CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

COMMENTARIORUM IN V. T. PARS III

IN

LIBROS PROPHETICOS

V. 1

PROPHETAE MINORES

COMMENTARIUS

IN

PROPHETAS MINORES

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

PARS PRIOR SEX PRIORES PROPHETAS COMPLECTENS

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

4, VIA « CASSETTE », ET VIA « DE RENNES », 75

1886

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in Prophetas minores*, auctore P. Iosepho Knabenbauer, S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis, die 15 Septembris 1885.

L. S. A. M. ANDERLEDY, S. I.
Vic. Generalis S. I.

IMPRIMATUR
Parisiis, die 20 Octobris 1885.
✝ FRANCISCUS Arch. Larissensis
Coadjutor Parisiensis.

TYPIS MANDETUR
Suessionis, die 17 Januarii 1886.
✝ ODO, Episc. Suessionen. et Laudunen.

LEGENTIBUS

S.

Nuper cum commentarium ederem in librum Iob, quid praecipue ob oculos haberem paucis exposui. Iam eadem via et ratione, quantum argumento vario alioque dicendi genere vel exigitur vel admittitur, hos in duodecim prophetas quos minores vocant commentarios conscribere mihi curae erat. Quo facilius expeditiusque habeatur conspectus rerum a prophetis propositarum, et argumenti summam praemittere et varias uti res tulerit orationes distinguere easque ex materiae cognatione sententiarumque nexu minoribus quoque partibus descriptas atque distributas exhibere visum est. Praeter versionem *vulgatam* textus hebraicus explanatur et ad interpretationis subsidia crebro quoque veteres versiones advocantur i. e. tum graeca τῶν LXX quae dicitur, tum Aquilae, Symmachi, Theodotionis, quarum versionum saltem fragmenta vel in veterum explanatorum operibus praecipue apud S. Hieronymum et Theodoretum vel in codice syriaco hexaplari nobis servata sunt, tum versio syriaca, tum paraphrasis chaldaica. Ut voces quaedam hebr. sat obscurae rite (ni omnia fallunt) explicarentur, ex iis feliciter contigit quae *I. Strassmaier* S. I. in lexico accadico-assyriaco (Lipsiae, 1885, apud Hinrichs) collegit mecumque communicavit; vide v. g. ad Am. 5, 26; 7, 7; 8, 1. Ion. 3, 7. Ad rerum historicarum explanationem non parum utilitatis inter alia iis affertur, quae ab assyriologis reperta et explicata sunt; ea suis quaeque locis breviter et quantum pro re nata satis visum est indicantur; confer v. g. ad Os. 10,14; Ion. proleg. II. Quaestiones autem de chronologia discutere a commentario censeo alienum. Illam proposui computationem quam plerique sequuntur aliorum quoque sententiis quandoque adscriptis. — Ipsa autem prophetarum ora-

cula ita enarrare conabar, ut quid interpretes et veteres et recentiores censerent, simul proponeretur et breviter legentium oculis subiiceretur; qua in re non piguit varia ipsis interpretum verbis perscribere, quo de iis facilius iudicium ferri posset.

Prophetarum libros legere sufficit, ut quis statim deprehendat, quantae fuerint integritatis ac religionis veri illi theocratiae custodes veraeque pietatis praecones. Hanc iis laudem ne rationalistae quidem denegant. Uni solum Ioeli nuperrime denegavit *Adalb. Merx.* Is enim prophetam male interpretatus etiam peius eum traduxit tamquam virum qui arctis praeiudiciorum iudaicorum limitibus teneretur totusque ritibus externis et « elementis mundi » esset adstrictus. Unde iis criminationibus repudiatis veram prophetae explanationem sedulo vindicare necesse fuit.

Si cuius interest scire, quid de textu masorethico censeam vel quam lectionem in locis dubiis et vexatis praeferri velim, videat v. g. quae adnotaverim ad Os. 4, 8; 6, 11; 7, 5. 16; 9, 2; 10, 10. 13; 11, 3. 4. 7. 12; 12, 11; 13, 8; 14, 3. 8. Ioel 2, 23. Am. 1, 15. Mich. 1, 5. 9. 10; 4, 13; 6, 9. 10. 11 etc.; planiorem lectionem vel apud LXX vel in vulgata quandoque servatam esse nemo iis locis inspectis facile negaverit.

Altera commentariorum pars, qua reliqui sex prophetae comprehenduntur, cum iam typis describi coepta sit, mox uti spero edi poterit.

Deum precor, ut hac mea opella (qualiscumque demum sit) sacrarum Scripturarum studium, intelligentia, amor promoveatur.

Scribebam in collegio S. I. Ditton-Hall, Widnes
in Anglia, die ss. *Nomini Iesu* sacro, 17 Ian. 1886. I. Kn.

PROPHETAE MINORES

PROLEGOMENA

I. — Quo ordine liber sit dispositus.

In sacrorum librorum catalogis post prophetas maiores, quorum singuli uno volumine recensentur, liber sequitur unus duodecim prophetas minores complectens. Minores dicuntur, « quia sermones eorum sunt breves in eorum comparatione, qui maiores ideo vocantur, quia prolixa volumina condiderunt » (*S. August.* Civ. D. 18,29. *M.* 41, 585); est enim, ut *S. Hieronymus* advertit, « Isaias duodecim prophetis iuxta numerum versuum aut aequalis aut maior » (Prooem. in Isaiam, *M.* 24, 22)[1].

Uno autem volumine eos iam olim comprehensos atque conclusos esse, iure colligitur ex loquendi modo apud Eccli. 49, 12; quo in loco postquam mentio facta est laudis plena de Isaia, Ieremia, Ezechiele aliisque viris virtute praeclaris, subiungitur[2]: *et duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo : nam corroboraverunt Iacob et redemerunt se in fide virtutis.* Cum enim et tempore quam maxime et regione inter se essent diversi, cur tamen una mentione recenseantur facile intelligitur, si eorum libelli iam una serie compositi ad unum sacrum volumen erant redacti. Ita autem redegisse viros qui dicuntur magnae synagogae, Talmudista-

1. Lego notam a *Martianaeo* adiectam : « Prolegomeno IV in Div. Bibliothecam S. Hieronymi composui tetrapla antiquae ac novae divisionis versuum Scripturae sacrae. Ex iis scire licet, Isaiam duodecim prophetis iuxta numerum versuum aut aequalem aut maiorem esse : nam iuxta antiquam divisionem ante *Hier.* numerantur in Isaia versus 3600, cum in libro duodecim prophetarum sint tantum 3110. Deinde *in manuscriptis versionis Hieronymianae* Isaias habet v. 3580, liber 12 proph. 3800 ».

2. Non esse, cur locus merito in controversiam vocetur, recentiores protestantes ultro concedunt (cf. *Fritzsche*, die Weisheit Jesus — Sirach's p. 293. *Bleek - Kamphausen*, Einl. ·diu2 A. T. §. 29. *De Wette - Schrader*, Lehrbuch der hist. krit. Einl. §. 280).

rum est traditio, qui opinantur ideo eos in unum volumen esse collectos, ne forte singuli si separatim ederentur et scriberentur, propter exiguam molem perirent vel intercidérent [1] (cf. *Fürst,* Der Kanon des A. T. p. 28, ubi locus recitatur ex *Baba Batra* 15 a et p. 50). Neque alienum est ab hac traditione [2] id quod 2 Mach. 2, 13 innuitur, Nehemiam bibliothecam condidisse et collegisse τὰ περὶ τῶν βασιλέων καὶ προφητῶν. Etiam apud Ecclesiae Patres duodecim prophetarum scripta tamquam uno libro comprehensa enumerantur : ita iam *Melito* scribit fratri Onesimo : τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ (apud *Euseb.* h. e. 4, 26. *M.* 20, 397) et *S. Gregorius Naz.* : μίαν μέν εἰσιν ἐς γραφὴν οἱ δώδεκα (*M.* 37, 473), *S. Athanasius* : οἱ μὲν δώδεκα εἰς ἓν βιβλίον ἀριθμούμενοι (*M.* 26, 1177 — idem in Synopsi olim ei attributa *M.* 28, 288) et *Epiphanius* : τὸ Δωδεκαπρόφητον (*M.* 43, 244); similiter *Rufinus* in explicatione symboli apost. : duodecim prophetarum liber unus (*M.* 21, 374), *S. Hieronymus* etc.

Ordo quo recensentur alius est apud Hebraeos, alius apud LXX; versio *vulg.* priorem sequitur [3]. Sex posteriores eodem modo collocantur; priores sic : Hebr.: 1) Osee 2) Ioel 3) Amos 4) Abdias 5) Ionas 6) Michaeas, LXX : 1) Osee 2) Amos 3) Micha 4) Ioel 5) Abdias 6) Iona. Iam quaeri potest, unde iste ordo repetatur. Vetus est traditio [4], eum ex ratione temporis quo singuli prophetaverint derivari; asserit enim *S. Hier.*: « in quibus tempus non praefertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse (vos admonitos volo), sub quibus et hi qui ante eos habent titulos prophetaverunt » (Praef. in proph. *M.* 28, 1016); idque saepius inculcat v. g. ad Ioel 1, 1 scribens : « tempora in quibus prophetavit eadem debemus accipere, quae et in Osee legimus » (*M.* 25, 950). Atque revera ii, quorum titulis reges sunt adscripti, serie temporis inter se subsequuntur : agmen ducit Osee *in diebus Oziae regis Iuda.. et in diebus Ieroboam regis Israel,* sequitur Amos ei aequalis iisdem regibus duobus adscriptus ; Michaeas autem prophetavit *in diebus Ioatham,*

---

1. Eandem affert rationem *Theophylactus* in prooemio expos. s. proph. *M.* 126, 569.

2. Tale collegium exstitisse — id quod ab aliquibus in dubium est vocatum — certum est; cf. Tübinger Quartalschr. 1876, *p.* 173. — Verum alia etiam exstabat apud Iudaeos traditio, esse non solum 22 vel 24 libros secundum numerum literarum in alphabeto, sed numerari 35, ita ut singuli ex minoribus prophetis integrum librum haberent sibi attributum (cf. *Fürst* l. c. p. 53. 54).

3. Iam *S. Hier.* advertit : « non est idem ordo duodecim prophetarum apud Hebraeos, qui est apud nos (i. e. apud LXX). Unde secundum id quod ibi legitur, hic quoque dispositi sunt » (Praef. in XII proph. *M.* 28, 1015), et mox addit : « hoc vos admonitas volo, o Paula et Eustochium, unum librum esse duodecim prophetarum » ; cf. Prol. in Ioel, *M.* 25, 947.

4. Ea tamen non est constans neque adeo firma, ut non Iudaei nominis similitudinem aucupantes alia commenti sint : v. g. *Abdiam* prophetam eum esse volunt, qui sub Achab rege Samariae paverit centum prophetas : 3 Reg. 18, 3. 4 : vel patrem Ionae fuisse puerum llum quem Elias vitae restituerit.

Achaz et Ezechiae; Sophonias *in diebus Iosiae;* Aggaeus *in anno secundo Darii regis in mense sexto,* Zacharias eodem anno *in mense octavo.*

De aliis haec statui possunt : Malachias certo vaticinatus est *post* Aggaeum et Zachariam; nam 1, 6 et seq. 3, 10 cultus Dei in templo iam ex aliquo tempore exercetur; populus iam diutius in terra versatur 12, 17 et demum eadem, quae Nehemias reprehendit, a Malachia vituperantur; cf. 2, 11; 3, 8-10 et Neh. 13, 10-14. 23 seq. Habacuc quoque serie temporis rite est collocatus. Nam, uti ex eius vaticinio elucet, munus obiit antequam Chaldaei Palaestinam invaderent, et controversia solum agitari potest, utrum prioribus Iosiae annis an iam ultimis Manassis vates exstiterit. Neque dubium est, quin etiam Nahum suo loco enumeretur. Vaticinium enim respicere videtur cladem a Sennacherib Iudaeis illatam (cf. 1, 9. 12; 2, 1. 3; immo 2, 14 optime explicatur ex Is. 36, 13; 37, 9) et certo est compositum, cum expugnatio Thebarum urbis Aegypti (No-Amon; *Alexandria populorum* in *vulg.*) esset adhuc recenti memoria animis hominum impressa. Iam ex inscriptionibus assyriacis discimus, eam urbem captam fuisse ab Asurbanipal, filio et successore Asarhaddon, in secunda eius in Aegyptum expeditione, quam suscepit contra Urdamani (Rud-Amon), qui post Tharacam (Tirhaqa) regnum tenuit. Quare haud immerito colligimus, Nahum circa annum 660 a. Ch. vaticinatum esse (cf. *Schrader,* Keilinschr. und das A. T. 2. ed. p. 450. 452.); iure igitur subsequitur Michaeam, qui sub Ezechia exstitit.

Unde ceteris omnibus suo temporis ordine recensitis restat quaestio de Ioel, Iona, Abdia, eaque gravior et maiori obscuritati obnoxia. Pauca interim sufficiant. Atque Ioel quidem ponitur ante Amos cum hic versum 1, 2 proferat ex abrupto, qui suo in contextu apud Ioel legitur, quem igitur Amos notum iam esse supponit. Neque negari poterit, Abdiam merito eo loco inseri, dummodo quis verbis prophetae bene expensis perspexerit, non esse sermonem de *chaldaica* urbis expugnatione, verum illos tangi eventus, de quibus etiam Amos cp. 1 et Ioel 3, 6 loquuntur (plura vide in Prolegg. ad Abdiam, infra). Ionas autem, cum ipsius patrisque nomen congruat, idem ille Ionas esse videtur, qui sub Ieroboam II vixerit cf. 4 Reg. 14, 25; unde rite adnumeratur *cum* Amos, qui in diebus Ieroboam vixit et *ante* Michaeam, qui *in diebus Ioathan* munere est functus. Quae cum ita sint, traditio illa de ordine temporis haud infirmis innititur fundamentis.

Keil ordinem temporis adesse negat; Abdiam enim omnium primum sub Ioram rege Iuda prophetasse censet, Ioel sub Ioas, ita ut duo isti reliquis longo intervallo praecedant, etiam Ionam ante Amos, hunc ante Osee saltem aliquo tempore antecessisse vult. Cur autem prophetae minores ea qua leguntur serie recensiti sint, ita explicare conatur: Osee primo loco positum esse, utpote ambitu

reliquos superantem — at nonne secundum epicrisin Masoretharum numerus versuum apud Osee est 197, et apud Zachariam 211? quare si ex ambitu ordinem repeti Keil vult, Zacharias [1] primo loco debuit incedere! — eos autem, quorum tituli tempus non prae se ferrent, ita fuisse dispositos, ut singulis prophetis in terra Iuda singuli adderentur ex terra Israel oriundi, et Ioel quidem utpote maiorem cum Osee maiore, Abdiam minorem cum Amos, Iona cum Michaea et Nahum cum Habacuc; Ioel quoque ideo ante Amos immediate, quia Amos a versu Ioelico ordiatur; Abdiam autem post Amos, quia eius de Edom oraculum maior videri potuerit explicatio vaticinii ab Amos 9, 12 propositi; Ionam vero ante Michaeam collocatum videri, non solum quia ante Michaeam vates exstiterit, sed etiam quia eius ad gentes legatio optime ad Abdiae oraculi initium adnectatur: *legatum ad gentes misit.* — Verum minora haec sunt et valde incerta; neque sane iis robore suo destituuntur ea, quae de ordine temporis observato demonstravimus. Ordini a *Keil* proposito etiam subscribit tamquam *probabilissimo* recentissimus prophetarum minorum interpres *Trochon* (Les petits prophètes; Paris 1883 p. III).

II. — Quaenam potissimum exstent commentariorum subsidia.

Ex titulo antiquitatis primo loco commemorari oportet *S. Ephraem* Syri explanationes in septem minorum prophetarum: Osee, Ioel, Amos, Abdiam, Michaeam, Zachariam, Malachiam. Exstant syriace et in versione latina, quae tamen saepe nimis est verbosa neque satis accurate et fideliter textum originalem reddit, in editione operum S. Ephraem, Romae facta an. 1740 et adornata a *Petro Benedicto* S. I. — Non sunt per modum commentarii continui, cum sat multi versus sine ulla explicatione transmittantur; neque certa methodus observatur, cum modo sensus literalis, modo solum allegoricus, modo uterque exprimatur. — Aetate subsequitur *Theodorus Mopsuestenus,* cuius commentarii in proph. min. integri servati sunt (*M.* 66, 123 — 636). Magnis eum laudibus ornat, qui eos commentarios in lucem edidit, *Angelus Maius* (cf. *M.* l. c. 115) — at sane desideratur apud *Theod. M.* interpretandi genus magis lucidum, modus dicendi magis simplex ac perspicuus, accuratior rerum sententiarumque explanatio et etiam, quod nequaquam minimum est, maior in explanandis vaticiniis messianicis fides; rarius enim *vera* de Christo vaticinia agnoscit, pleraque ad Christum *accommodari* posse opinatus. Alios interpretes, qui ante ipsum laboraverint, nomine non effert; raro ex iis, quos sola appellatione τινὲς citat, aliqua effert, raro refutat. De eo cf. *Cornely,* Introd. I p. 625.

---

1. Etiam *S. Hier.* eum vocat « inter duodecim longissimum »; prol. in Zachar.

Pluribus nominibus commendandi sunt *S. Hieronymi* commentarii in prophetas minores (*M.* 25, 815 — 1578). Primus ille mentionem infert, qui et quomodo ante ipsum commentarios condiderint : scil. Origenes in Osee, Zach. et Mal. ; Apollinaris Laodicenus in Osee et Mal. ; Didymus in Osee et Zach. ; Hippolytus in Zach. (cf. l. c. 819. 1418. 1543). In prol. ad Osee praeterea commemorat « longissimum Pierii tractatum, quem in exordio huius prophetae die vigiliarum Dominicae passionis ex temporali et diserto sermone profudit. Et Eusebius Caesariensis in octavo decimo libro Εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως quaedam de Osee propheta disputat ». Ex hisce temporum iniuria nihil ad nos pervenit. Quod tamen ex iis, quae *S. Hier.* innuit, non multum erit dolendum. Apollinaris enim « nimia brevitate lectorem ad perfectam intelligentiam ducere non potest » (ita de eius in Osee librum), similiter in Mal. « non tam interpretationem quam interpretationis puncta » conscripsit. Origenes autem parvum in Osee scripsit libellum, « volens ostendere quaecumque contra Ephraim dicuntur, ad haereticorum referenda personam.. et aliud volumen ἀκέφαλον καὶ ἀτέλεστον, quod et capite careat et fine ». In Zach. autem « duo tantum Origenes scripsit volumina, vix tertiam partem a principio libri usque ad visionem quadrigarum edisserens ». Et de eius in Mal. commentariis hoc iudicium fert *S. Hier.* : « scripsit in hunc librum Origenes tria volumina ; sed historiam omnino non tetigit et more suo solus in allegoriae interpretatione versatus est, nullam Ezrae faciens mentionem, sed angelum putans fuisse qui scripsit » (l. c. 1543). Utiliora sane erant, quae *Didymus* composuit ; eum enim *S. Hier.* valde coluit et « virum sui temporis eruditissimum » vocat, qui tres libros eo petente in Osee dictavit, quinque alios in Zach. — Demum *S. Hier.* in prol. ad Ionam de compluribus expositoribus ita iudicat nominibus suppressis : « scio veteres ecclesiasticos tam graecos quam latinos super hoc libro multa dixisse et tantis quaestionibus non tam aperuisse quam obscurasse sententias, ut ipsa interpretatio eorum opus habeat interpretatione et multo incertior lector recedat, quam fuerat antequam legeret » (l. c. 1117). — Quibus autem ipsius *S. Hier.* commentarii commendentur, notum est : veterum versiones saepe affert et expendit, sensum historicum non negligit, quae Christum et Ecclesiam spectant, praeclare proponit ; praeterea multa inserit, quae et dogmata et mores respiciunt (cf. *Cornely,* Introd. I p. 633).

Inter graecos laudandus est *Theodoretus,* Cyri episcopus, qui suo modo i. e. breviter, perspicue, apte sensum literalem explicat (*M.* 81, 1545 — 1988) et eadem ratione omnes 12 prophetas exponit. Uberiore sermone, quo praeter res historicas multas plurima quoque moralia et mystica pertractantur, prophetas prosecutus est *S. Cyrillus* Alexandri-

nus (*M.* 71, 9—1062). Ex horum potissimum explicationibus *Theophylactus* pauca de suo addens suos conflavit commentarios in Osee, Habacuc, Ionam, Nahum, Michaeam (*M.* 126, 563 — 1189); operis rationem ita ipse declarat: « cum in mandatis mihi dederit pia et literarum amantissima imperatrix, ut ex vetustis in prophetas elucubratis commentariis unum aliquod volumen componerem, brevitati simul et claritati consulens, quaeso eos, qui forte legent, ne temere iudicent.... ; quoniam autem trifariam isthaec prophetarum oracula exponere a pia imperatrice sum iussus, cum id alicubi praestiterim, alibi vero pro mearum imbecillitate virium praestare non potuerim, quaeso, ne istud etiam acerbiore iudicio mihi vitio vertatur; non enim omnia eiusmodi sunt, quae triplicem expositionem recipere commode queant ». De iis inter alia vide *Cornely,* Introd. I p. 626 seq. 642.

Inter latinos mentione dignus commentarius inter opera *Rufini* receptus et olim *Rufino* adscriptus, quare eum sub nomine *Ps. Ruf.* allegamus; complectitur tres solum prophetas: Osee, Ioel, Amos (*M.* 21, 959-1104). Auctor ille saepe iusto acerbius in *S. Hier.* sententias invehitur — quare eum Rufinum esse multi opinati sunt — alia tacito nomine *S. Hier.* cum approbatione et doctrinae specie sua facit. Dicendi genus saepe est implexum; ceterum utiliter consuli potest. Sunt, qui *Orosium* eius commentarii auctorem censeant (cf. *M.* l. c. *Cornely* l. c. p. 633).

Nihil pro re exegetica praebet *S. Paterii* expositio, quae ex «testimoniis» S. Gregorii M. est collecta; aliqua enim effata S. Patris allegorica et mystica ad paucos versus afferuntur (*M.* 79, 1001-1018). — *Haimonis*, episcopi halberstatensis, enarratio in duodecim prophetas minores (*M.* 117, 11-294) fere in omnibus commentarios *S.Hier.* ita sequitur, ut eos in breviorem formam redactos referre omnino videatur [1]. Multa quoque ipsius *S. Hier.* verbis suis commentariis inseruit R. D. D. *Rupertus*, abbas tuitiensis, sed et multa de suo addidit et historica, sed praesertim allegorica et quae ad pietatis exhortationem et institutionem spectant (*M.* 168, 9-836). Vide quoque *Cornely* l. c. p. 647. 654.

Methodus scholastica in expositione, quae frequentibus et subtilioribus divisionibus textuum et argumenti partitione frequentiore cernitur, deprehenditur in enarratione duodecim prophetarum *Alberti Magni,* episcopi ratisbonensis; singulos textus, immo saepe singula verba diligenti aliorum locorum similium allegatione illustrat, qua in re prorsus miram S. Scripturae cognitionem prodit, cum sine concordantiarum

---

1. Ab aliis ista prophetarum enarratio *Remigio* adscribitur (cf. M. 131, 843); verum eius est alius commentarius, quem primo edidit *Henten,* Coloniae 1515 (cf. *Merx,* Prophetie Joël p. 190).

(quas vocant) adminiculo tot e diversis libris locos apte congesserit. Ceterum cum utilitate consulitur b. *Albertus* et eius explanationes aptae ac solidae invenientur non paucae. Exstant eius in duodecim prophetas commentarii in operum eius tomo octavo, Lugduni 1651. — Ingens commentandi discrimen deprehendes inter *Rupertum* et *Albertum*; ille diffusus, per longas digressiones in varia doctrinae et allegoriae capita excurrens; hic brevis, concisus, per singula sacri textus verba sobrie incedens et singulos libros, capita, partes logice dividens ac subdividens [1].

Qui saeculis posterioribus operam impenderunt prophetis minoribus, sunt praecipue hi : *Robertus Holcoth* †1349 (cf. *Quetif et Echard,* Scriptores Ordinis Praedicatorum, I, 631) ; *Simon de Heintun* † 1360 : moralia super prophetas minores (*Quetif* l. c. 648) ; *Simon Anglus* † 1391 : commentaria super prophetas minores (*Quetif* II, 821) ; *Iulius Dacus* † ante 1400 : lectura super XII prophetas minores (*Quetif* l. c. I, 729) ; *Ioannes Pedro* † 1470 : commentaria in prophetas XII minores (*Quetif* l. c. I, 845) ; *Matthias Aquarius* †1591 : postillae in XII pr. m. (*Quetif* II, 303). Hisce multo notior, celebrior, longeque utilior est *Benedictus Arias Montanus* † 1598, qui praeter Bibliam regiam edidit Commentarium in 12 prophetas minores, Antwerpiae 1571, 1582 (cf. *Nicol. Antonius*, Bibliotheca Hispana nova I, 208. *H. Hurter* S. I. Nomenclator literarius, I, 151). Etiam *Francisco Foreiro*, celebri Isaiae commentatori, attribuuntur commentarii in prophetas minores (cf. *Nic. Antonius* l. c. I, 426). *Paulus Palacios de Salazar* evulgavit : in 12 prophetas minores commentaria (1581 in Portugallia ; 1583 Coloniae), quae laudantur «docta plane, erudita et gravitate plena» (cf. *Hurter* l. c. 166 ; *Nic. Antonius* l. c. II, 162). *Michael de Palacios,* eius frater vere germanus non solum sanguine, sed etiam studiorum genere et excellentia inter alia scripsit : explanationes in XII prophetas minores secundum omnes sacrae scripturae sensus, Salmanticae 1593 (cf. *Nic. Antonius* l. c. II, 162). *Petrus Figueiro,* regularis canonicus in monasterio regio s. Crucis conimbricensi scripsit in 12 prophetas minores commentaria, quae in operum eius tomo posteriore, Lugduni 1615, edita sunt. Ipse iam 1592 fatis cessit (cf. *Hurter* l. c. 169). Etiam *Blasius Viegas* S. I. († 1599) reliquit opus in prophetas minores (cf. *Nic. Antonius* I, 230).

Verum hos omnes longe superat *Franciscus Ribeira* S. I. († 1591) ; repetito excusi sunt : Commentarii in XII prophetas minores, sensum eorundem prophetarum historicum et moralem, saepe etiam allegoricum

---

1. Neque hoc loco praetereunda sunt *Gregorii Barhebraei* in proph. minores scholia, quae diligenter edidit *Bern. Moritz* (Lipsiae 1882) et ex quibus aliqua in commentarios nostros transtulimus s. v. *Barh.* Ceterum vide, quae in comm. Iobi adnotavimus.

complectentes, Romae 1590; Salmanticae 1598; Coloniae 1599; 1600; Lutetiae 1611; Duaci 1612. Sensum historicum dilucide et saepe feliciter explicat; textum hebr. respicit, in hoc tantum minime imitandus, quod eum repugnantem etiam cum versione *vulg.* conciliare studet. Laudes viri docti lege apud *Nic. Antonium* I, 466; *Hurter* l. c. 166; *Cornely* l. c. 676. — Eam sequitur methodum, ut singulas partes exponat primo *historice* (et ea etiam hodierno interpreti sint utiliter consulenda), dein secundum *allegoriam,* demum secundum *tropologiam* (ubi multa praeclare disputat pro pia meditatione et applicatione s. Scr.). Saepius edita sunt [1], quae *Christophorus de Castro* S. I. († 1615) scripsit: Commentariorum in 12 prophetas libri 12 cum paraphrasi. Praemittitur Isagoge ll. 4, in quibus omnia, quae pertinent ad vaticinium naturale, artificiale et propheticum exponuntur; Lugd. 1615; Moguntiae 1616; Antwerpiae 1619 (cf. *Hurter* l. c. 337). — Commentarios in prophetas omnes (Romae 1625) reliquit *Fabricius Paulutius* († 1625; cf. *Hurter* l. c. 616). — Magni nominis et meriti inter exegetas iure habetur *Caspar Sanctius* (Sanchez † 1628) S. I. qui optima paraphrasi et commentariis prophetas illustravit; sensum literalem et historicum diligenter et saepe valde feliciter investigat, ubertim exponit, magna eruditione ex literis sacris, scriptoribus ecclesiasticis et profanis declarat, aliorum interpretum sententias fideliter refert, subtili iudicio expendit et demum, quod inter *exegetae* merita pro eo tempore non est ultimo loco collocandum, ab allegoricis expositionibus abstinet. Brevi is est *Sanctius,* ut nullo modo liceat interpreti eius volumina negligere (cf. *Hurter* l. c. 603). Tropologiam praecipue excoluit *Thomas Colona* O. Cap. († 1646): Commentaria moralia super duodecim prophetas minores, Panormi 1644 (*Hurter* l. c. 817); exercitationes in prophetas maiores et minores edidit (Parisiis 1630) *Henricus Lud. Castanaeus* (Chasteigner de la Roche-Posai), episcopus pictaviensis († 1651; cf. *Hurter* l. c. 802); commentarios in 12 prophetas minores elaboravit *Ioannes Phelippaeus* (Phelipeaux) S. I. († 1643; cf. *Hurter* l. c. 806). Commentarium literalem et moralem gallice edidit *Franciscus Pean de la Coullardiere* († 1680), Parisiis 1680 (cf. *Hurter* l. c. tom. II p. 123). Demum nominandus est *Andreas Patrono* S. I. († 1752), qui Neapoli 1743 duobus tomis in prophetas minores commentarios conscripsit (cf. *Hurter* l. c. 1309). Merito vero oblivioni dantur commentaria acerrimi Ianseniani *Francisci Joubert* († 1763),

1. *Rosenmüller* et *Trochon* etiam *Maldonato* S. I. adscribunt commentarium in 12 prophetas: verum neque *Nic. Antonius* neque *de Backer* neque *Hurter* neque *Cornely* tale eius opus norunt.

quae spiritu sectae referta sunt et millenariorum somnia tuentur (cf. *Hurter* l. c. II, 1308 in nota).

Ex recentiore tempore cum laude commemorandus est *Petrus Schegg,* die kleinen Propheten, 2 t. (Regensburg 1854). Mentione valde dignus est commentarius satis amplo sententiarum delectu et multorum librorum subsidio commemorato instructus, quem edidit sacerdos parisiensis, *Trochon* (Les petits prophètes ; introduction critique, traduction française et commentaire, Paris 1883). Speciatim locos messianicos sedulo pertractat *Laurentius Reinke,* die messianischen Weissagungen, t. III. IV. (Giessen, 1861. 1862).

Iam ii essent recensendi, qui integram s. Scripturam commentariis illustrarunt et ideo inter interpretes quoque prophetarum minorum adnumerari debent. Verum cum nuper in Prolegomenis ad Iobum eos maximam partem adscripserimus et cum eorum mentio satis ampla facta sit in Introductione generali a *Cornely* conscripta i. e. in primo huius *Cursus* s. Scripturae volumine (p. 678 et seq.), hoc loco idem catalogus non erit repetendus. Insuper vide longam interpretum eorumque operum enumerationem quam sedulo concinnavit *Vigouroux* (Manuel biblique I, 274 et seq.).

Interpretes *protestantes* recensere supersedeo. Eos invenies enumeratos apud *Rosenmüller,* Scholia in vetus Testamentum (Lipsiae 1812), partis septimae vol. I p. 11 et seq. *Keil,* Lehrbuch der Einleitung ; p. 273. *De Wette-Schrader,* Lehrbuch der hist. — krit. Einl. (8 editio) p. 448 ; etc.

Sufficiat duos nominasse, unum e rationalistarum castris : die zwœlf kleinen Propheten, erkl. von Dr. Ferd. *Hitzig* (3. ed. Leipzig 1863), alterum, qui piis atque inter suos orthodoxis accenseri debet et qui solide ac docte textum hebr. explanat : *Carl. Friedrich Keil,* Biblischer Commentar zu den zwœlf kleinen Propheten (Leipzig 1866).

Ut conspectum hunc absolvamus, ii quoque addendi sunt, qui unum alterumve ex prophetis minoribus commentariis explicarunt : ex quibus potissimum hos accipe :

Ven. *Guiberti* Tropologiae in prophetas Osee et Amos ; prostant apud *M.* 156, 337-450. *Hugo de S. Victore* : Adnotatiunculae elucidatoriae in Ioelem et Expositio moralis in Abdiam (*M.* 175, 321-406). In *Osee* scripserunt : *Osorius* (†1580) qui in Zachariam quoque commentaria composuit et praecipue sententiarum ordinem et nexum respicit ; laudatur a *Dupin* et *Calmet* (cf. *Hurter* l. c. I, 58) ; *Leo de Castro* († 1586) commentaria in Oseam prophetam ex veterum Patrum scriptis, Salmanticae 1586 (cf. *Hurter* l. c. I, 164) ; *Hieronymus de Guadalupe* commentaria in Hoseam prophetam christianae philosophiae praeceptis pie accommodata, adiectis

observationibus etc, Caesaraugustae 1581, Venetiis 1585 et saepius (cf. *Hurter* l. c. 169) ; *Thomas de Sousa* († 1570) commentaria in prophetias Osee et Ioelis (cf. *Quetif* l. c. II, 213) ; *Franciscus de Franchis,* enucleavit Oseam t. 3 Panormi 1643. 1647. 1650, quibus titulus Salvator mysticus (cf. *Hurter* l. c. 818). Cum laude nominandus est *Franciscus Vavasseur* S. I. († 1681), inter cuius opera etiam exstat commentarius in Oseam.- Ex recentissimo tempore commentarius adest magna laude dignus et solida explanatione insignis, quem *Antonius Scholz* edidit : Commentar zum Buche des Propheten Osee, Würzburg 1882 (-de quo uberius iudicium tuli in «Stimmen aus Maria Laach» t. 23. (1882, 2) p. 299).

Ad prophetam Ioel adnotandi sunt : *Gilbertus Genebrardus* O. S. B. († 1597), a quo editus est Ioel propheta cum chaldaica paraphrasi et commentariis Salomonis Iarhii, Abrahami Aben-Ezra et Davidis Kirahi, latine, Parisiis 1563 (cf. *Hurter* l. c. 196) ; *Ludovicus de Alcazar* S. I. († 1613) in opere «in eas V. T. partes quas respicit Apocalypsis libri 5» Lugduni 1631 libro 5. explicat Ioelis cap. 3 ; Habacuc cap. 3 ; Zachariae vaticinium cap 1-7 (cf. *Hurter* l. c. 343) : ex nostro tempore *Adalbert Merx*, die Prophetie des Ioel und ihre Auslegung von den aeltesten Zeiten bis zu den Reformatoren, Halle a. S. 1879 ; de quo libro sermo erit in Prolegg. ad Ioel. Interim dicere sufficiat, librum esse utilem non ipsa explanatione, sed enarratione sententiarum et explicationis methodo priscorum interpretum ; auctorem vero, utpote rationalistam, saepius uti sermone virulento et acerbiore ; interpretes iudaicos eorumque opiniones sedulo et fuse exponi. Denique *Antonius Scholz* scripsit : Commentar zum Buche des Propheten Ioel, Würzburg 1885 ; de quo vide plura in Prolegg. et explicatione infra.

De Ionae explicatione scripserunt : *Marcellinus Evangelista* O. Min. († 1599) edidit expositiones in Ionam, Camerini 1581 ; *Gabriel d'Acosta* († 1616) reliquit commentarios in Ionam et in Malachiam ; *Franciscus Salinas* S. I. scripsit commentarios literales et morales in Ionam, Lugduni 1652, 1655 ; *Franciscus a Vitrio*, Neapoli 1645 (cf. *Hurter* l. c. 193. 133. 811. 818) ; *Angelus Pacinchelli* O. Praed. († 1660) pro concione declamavit lezioni morali sopra Giona profeta, quae saepius editae sunt Perusiae 1631. 1605. Venetiis 1664. 1701 (cf. *Quetif* l. c. II, 592). Ex tempore recenti *Franciscus Kaulen :* librum Ionae exposuit, Moguntiae 1862 ; idque literaliter (p. 7-78), allegorice (p. 79-113), moraliter (p. 114-145). Literalis expositio dilucida est et illustrata etiam ex Iudaeorum commentariis, praecipue ex Aben-Ezra, Iarchi, Kimchi ; allegorica et moralis apta ad pietatem nutriendam, utilis ad doctrinam neque iniucunda.

Ad Michaeam praeter eos, qui iam nominati sunt, notari potest *Caspar Graxar,* cuius commentarius editus est Salmanticae 1570 (*Hurter* l. c. 55). Ad Nahum : *Hector Pintus* hieronymianus († 1584) : prophetia Nahum cum explanatione et observationibus ex hebraeo ; opera eius omnia prodierunt 3 vol. Lugduni, Parisiis 1617 (cf. *Hurter* l. c. I, 160) ; *Augustinus de Quiros* S. I. († 1622) scripsit commentarios exegeticos literales in prophetas Nahum et Malachiam, Hispali 1622, Lugduni 1623 (*Hurter* l. c. 612).

In Habacuc edidit exegemata (doctis variisque antiquitatum, linguarum et historiarum notis referta, teste Andrea Scoto ; elegantia, pia atque erudita secundum Possevinum) *Antonius Guevara,* Matriti 1585. 1593. Augustae Vindelicorum 1603. Antwerpiae 1609 (*Hurter* l. c. 170). *Antonius Agellius* surrentinus clericus regularis, episcopus accernensis († 1605) reliquit inter alia opera «quae vel severioribus criticis Calmeto, Dupinio ac Simonio maxime commendata sunt», commentarium in prophetam Habacuc, Antwerpiae 1697 (*Hurter* l. c. 368).

Etiam *Cornelius Iansenius,* episcopus iprensis († 1638) reliquit Analecta in Proverbia Salomonis, Ecclesiasten, Sapientiam, Habacuc [1] et Sophoniam, Lovanii 1644. 1649 (cf. *Hurter* l. c. 627).

In Zachariam prophetam commentaria, Salmanticae 1577, edidit *Didacus de Zuniga* (etiam Stunica, Estunica) O. Erem. S. Aug. († 1589 ; cf. *Hurter* l. c. 157). Commentariorum in Malachiam, quos *Gabriel d'Acosta, Quiros* condiderunt, aliorumque v. g. *Osorii* in Zachariam iam supra mentio facta est.

Demum silentio minime sunt praetermittenda opera quibus *Laur. Reinke* praeter vaticinia messianica propriis libris illustrata complures ex minoribus prophetis explanavit : Der Prophet Malachi (Giessen, 1856), Der Prophet Zephanja (Münster, 1868), Der Prophet Haggai (Münster, 1860), Der Prophet Habakuk (Brixen, 1870), Der Prophet Micha (Giessen, 1874) ; magna cum diligentia in veteres versiones inquirit, cum solida rerum explanatione quaestiones philologicas et aliorum opiniones discutit, librorum subsidia amplissima enumeratione recenset.

Varia sed maximam partem incerta et fabulosa de vita et genere mortis prophetarum traduntur in *vitis prophetarum,* quae exstant inter opera Epiphanio falso adscripta (*M.* 43, 405-414), in Chronico Paschali (*M.*92, 359-398), apud Isidorum hispalensem : de ortu et obitu Patrum (*M.*83, 143) ; aliqua etiam leguntur apud Eusebium (*M.* 22, 1261-1267) et apud Hesychium, presbyterum hierosolym. in epitome duodecim prophetarum (*M.* 93,1348-1369).

---

1. Addi potest : *Ven. Bedae* super canticum Habacuc allegorica expositio ; *M.* 91, 1235-1254.

OSEE

PROLEGOMENA

I. — Quaedam de ipso propheta proponuntur.

De Osee nihil aliud certo notum est, nisi quod ex ipsius libro colligi potest. Ex eo autem constat, ipsum in regno israelitico per multos annos munere prophetico functum esse. Eiusdem regni illum civem fuisse, plerique censent, idque ex eius dicendi genere et colore, in quo quippe dialectus quaedam ad Palaestinae septemtrionem et ad syriacam linguae indolem plus minusve accedens deprehendatur, facile coniici posse putant. At alii eum origini iudaicae vindicare volunt rationibus, uti fit in re prorsus incerta et inexplorata, tenuibus prolatis. Per multos annos eum oracula fudisse et populi scelera reprehendisse, ipsa libri inscriptio 1, 1 aperte prodit. Nam etsi apud aliquos in dubio relinquatur, utrum temporis illa designatio ab ipso Osee libro sit adiecta, an ea debeatur vel Esdrae, ut olim aliquibus placuit, vel oraculorum 12 prophetarum collectori, ut alii malunt (cf. v. g. *Calm. Scholz),* eius tamen inscriptionis fides atque integritas nullo modo in controversiam vocari potest. Quare si *extremos* vitae Ieroboam annos et *primos* Ezechiae regis computaveris (adverte, quae ad 1, 1 adnotavimus) et regiae aliorum potestatis annos, quos in sacris literis legimus, Ioatham scil. et Achaz, attenderis, prophetam per 60 eoque amplius annos muneris partes explevisse fateberis. Diu scilicet Dei providentia per eundem prophetam populum voluit erudire, quo magis ei, qui testis fuerit conditionis prosperioris sub Ieroboam et ruinae ingruentis, fides adhiberetur, si populum neque per Dei beneficia neque per varias castigationes ad meliorem frugem reduci potuisse verissime obiurgaret. Neque ea desunt in libro, ex quibus aliquo modo colligi potest eum etiam post populi ruinam esse vaticinatum (cf. 12, 9; 13, 10; 14,2.5) ; ita Ieremias quoque alio tempore sed simili regni iudaici conditione et urbi cadenti adstitit et prolapsam

luxit frustra conatus ruinae ingruenti remedia afferre, attamen divinorum consiliorum praeco et utilissimus pro electis ex Israel et pro tempore futuro insignis.

Rationes chronologicas *hic* discutere non est in animo. Sufficiat paucis innuere quae sententiae potissimum ferantur de iis regibus, quorum tempore Osee vaticinatus est. Ita pro subsequentibus quoque prophetis simul sufficienter ratio temporis indicabitur.

Atque tempus quidem *Oziae* (Azariae) designatur ab anno a. Ch. 811 - 758 (ita *Oppert,* Salomon et ses successeurs p. 99); an.810 - 759 (*Keil,* Commentar üb. d. Bücher d. K. p. 142; *Zschokke,* hist. s. ant. test. p. 236); an. 809 - 757 (*Al. Schaefer,* bibl. Chronol. p. 140); an. 787 - 736 (*Neteler,* Zusammenhang der alttest. Zeitrechnung mit der Profangesch.). Iidem tempus *Ioatham* (Iotham) assignant ab an. 758 - 743; an. 757 - 741; an. 736 - 721; tempus *Achaz* ab an. 743 - 727; an. 741 - 726; an. 721 - 706; tempus *Ezechiae* ab an. 727 - 698; an. 726 - 685 (*Schaefer*); an 707 - 679 (*Neteler*); magis recedit, uti videtur, a sententia communiter recepta *Neteler*. Accurate res discutitur in libello ab *Al. Schaefer* edito (Münster, 1879). *Neteler* in altero fasciculo, sub eodem titulo an. 1885 edito, pauca quaedam in annorum computatione mutavit; assignat enim regi *Ioatham* an. 737 - 722; regi *Achaz* an. 722 - 707; regi *Ezechiae* an. 710 - 682.

Pseudo - Epiphanius (de vitis proph. *M.* 43, 405) prophetam natum esse asserit in *Belemoth* in ditione tribus Issachar; idem legitur apud Ephr. in initio explanationis, qui simul addit eum in terra eadem esse sepultum (aliorum testimonia vide apud *Sanct.*), alii *Belemon* nominant, quod nomen *Scholz* ad בַּעַל־מְעוֹן Baal - Meon vel Beth - Meon (cf. plenum nomen Beth — Baal — Meon legitur Ios. 13, 17) in tribu Ruben refert; indeque natum esse opinatur commentum talmudicum, patrem prophetae fuisse Beera, principem in tribu Ruben, quem Theglathphalasar captivum duxerit (1 Par. 5, 6). Ceterum prope Dothain Esdrelonem versus vici Belma sive Belemon mentio fit Iudith 7, 3. — Ad colorem aramaizantem referri possunt fere haec: 9, 6 קִימּוֹשׁ pro קִמּוֹשׂ[1]; 10, 14 קָאם pro קָם; forma *tiphil* תִרְגַּלְתִּי, quae 11, 3 occurrit; saepius א cernitur pro usitato ה cf. 13, 15; ad haec etiam referri possunt רְתֵת 13, 1; אֱהִי pro אַיֵּה 13, 10; et si scriptioni fides est adhibenda, illud quoque peculiare deprehenditur, quod olim Ephraimitis fatale erat cf. Iud. 12, 6, poni scil. שׂ (ס) pro שׁ cf. 2, 8; 8, 4; 9, 12 et probabiliter etiam מַשְׂטֵמָה 9, 7. 8; et forte נְשָׂא 1, 6. Alia, sed magis dubia, recensita invenies apud *Keil, Scholz.*

Magna sedulitate *Scholz* (Einleitung XXIX et seq.) collegit locos, qui ex Osee deprompti apud alios s. scriptores imitatione expressi cernuntur, neque minus,

1. Sed adverti debet in nova editione textus hebr. quam *Baer* et *Franc. Delitzsch* ador narunt Lipsiae 1878 scribi 9, 6 קמּוֹשׂ

qui ab ipso Osee de aliis transsumpti leguntur, praecipue vero, quos ex Pentateucho in usum suum converterit. Quae inquisitio magni meriti habenda est, cum tot sint hodie viri critici, qui Pentateuchum ad iuniorem originem reiiciendum esse statuunt. Similem catalogum locorum, quo res et verba Pentateuchi prophetae nostro nota fuisse demonstratur, etiam exhibet *Laur. Reinke*, Beitraege zur Erkl. d. a. T. vol. 8 p. 159.

II. — Quid Osee libro contineatur.

Osee in libro suo, quem ab ipso propheta compositum et in eum quo cernitur ordinem redactum esse (libri inscriptione 1, 1 forte excepta) omnes fatentur (cf. *de Wette-Schrader,* Lehrbuch der hist. krit. Einl. ed. 8 §. 284), compendium proponit eorum, quae sub variis regni israelitici regibus et fatis docuerat et monuerat. Sub Ieroboam II enim regnum israeliticum floruit et bellicis expeditionibus augebatur (4 Reg. 14, 25-27). Deus enim *vidit afflictionem Israel amaram nimis;* at haec Dei miserantis opitulatio mentes populi ab idololatria reliquisque sceleribus non avertit; ipse Ieroboam *non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel* (4 Reg. 14, 24); similiter populus luxuriei et impietati indulgebat, id quod reprehensionibus ab Osee et Amos factis satis superque comprobatur. Post Ieroboam regnum intestinis quoque seditionibus concutiebatur diu multumque, id quod caedibus et coniurationibus factis satis superque patet. Nam Zacharias, filius Ieroboam post sex menses regni a Sellum publice percussus et interfectus est (l. c. 15, 10); Sellum iam post unum mensem a Menahem regno et vita spoliatus est; Menahem vero crudelitate et caedibus regnum occupavit et ope Assyriorum, quos mille talentis argenti in sui subsidium conduxerat, confirmavit (l. c. 15, 16-20). Eius filius Phaceia iterum coniuratione et caede deiectus est a Phacee, sub quo magna israelitici regni pars ab Assyriis occupata et in captivitatem abducti sunt multi (l. c. 15, 29). Phacee vero ab Osee interfectus est. Is, ultimus rex Israel, factus est servus Salmanasar regis Assyriorum eique reddidit tributa; at Osee ope Aegyptiorum iugum assyriacum excutere conatus demum sibi regnoque israelitico exitium ultimum adscivit (l. c. 17, 3-6). Omnes autem reges isti fecerunt, *quod malum erat coram Domino.*

In ea rerum conditione Osee munere prophetico functus est. Scelera reprehendit, Dei castigationes annuntiat, spem instaurationis ostendit atque describit. Haec generatim. Liber apte tribus partibus dividitur.

Prima cp. 1-3 continetur; altera a cap. 4 usque ad 9, 9 protenditur; tertia reliqua libri parte 9, 10-14, 10 absolvitur.

Incipit vates ab actione symbolica ; se iussum esse narrat ad Dei foedus cum populo repraesentandum matrimonium inire cum muliere abiecta ; tribus ex ea liberis procreatis ea nomina imponit, quibus triplicis ruinae quae iamiam immineat, adumbratio cognoscatur, cladis scil. regiae domus, dissolutionis regni, populi in exsilium eiectionis. Sed interitui subiungit spem et promissionem instaurationis (cp. 1). Tali argumenti summa proposita iam cp. 2 populi crimina exagitat et condignas poenas a Deo iri inflictum denuntiat ; at pro Dei misericordia illas in fines salutares, ut scil. miseriis pressi ad Deum redeant, a Deo iri directum declarat. Novum quod post castigationem ineundum sit foedus sanctitatis et pacis ferax fore declarat. Demum cp. 3 denuo actione symbolica — adulteram uxorem ab omni commercio secludit — et populi infidelitatem et poenam captivitatis adumbrat.

Ita prima pars simul totius libri argumentum iam praeoccupat, adeo ut ea quae subsequuntur non sint nisi maior quaedam illius explicatio et illustratio. Et altera quidem parte scelera praecipue reprehenduntur. Primo omnes alloquens *filios Israel* eos in Deum esse rebelles, legis Dei contemptores demonstrat, qui rerum prosperitate ad mala patranda abutantur ; idololatriae stultitiam et scelera ei adiuncta perstringit, quibus interitum sibi adsciscant (cp.4). Dein ad populi duces potissimum sermonem dirigit, qui populo sint laqueo et ruinae, quare insigni vindicta divina prosternentur, quam auxilii ab exteris efflagitatione adeo non avertent, ut eam augeant et plane ineluctabilem reddant. At tribulatione populus Dei electus erudietur et Dominum salutis auctorem quaeret (5-6,3). Tum oratione tertia accusationem eousque prolatam auget enarrans, Deum varios adhibuisse et adhibere conatus, quibus ad meliorem frugem eos revocet. At eorum fides evanuit ; tamquam apostatae facti sunt ; omnes, etiam Iuda, etiam principes vitiorum igne accensi et divina spernunt et humana iura subvertunt. Inde factum est, ut gentium moribus et indole imbuti Deo sint fastidio ab eoque varie fuerint afflicti ; at quo magis a Deo puniebantur, eo magis ad exterorum opem et auxilia diffluunt, Deum vindicem spernentes neque salutis largitorem Dominum deprecantes (6, 4-7, 16). Ita sane Dei foedus abiecerunt, ut reges contra Dei voluntatem sibi constituerent et idola colerent. Indolem igitur regni theocratici funditus everterunt neque tot legibus scriptis atque promulgatis in officio continebantur ; quare ruinae implicabuntur ; eam iam luctuosissimam fore annuntiat et exsilii calamitate et luctu contineri declarat, ut scelerum multitudini poenae magnitudo quasi ex aequo respondeat (8, 1-9, 9).

Quo Dei consilium miseratione plenum, populi vero contumacia clarius illustretur, *in tertia parte* propheta ex instituto recenset, qualia

beneficia Deus populo impenderit, quid vero populus rependerit; dein prosequitur salutis oriturae promissionem et descriptionem; prisca enim illa beneficia simul pignora sunt, quibus Deus salutem messianicam in populo electo oriundam se daturum spopondit. Quare ex opposito inter se comparat propheta, quomodo Deus populum dilexerit, potentia rebusque secundis auxerit, lege sua erudierit — at qua ratione illi se peccatis maculaverint, donis Dei sint abusi, ex prisco iam tempore ad idololatriam deflexerint et luxuriae indulserint. Quare excidio perimendi sunt et castigatione ad frugem meliorem reducendi (9, 10 — 10, 15). Comparationem institutam prosequitur vates cp. 11; beneficia commemorat liberationis ex Aegypto, eruditionis per prophetas, suavis providentiae atque curae divinae in rebus angustis iis impensae; ex adverso populi idololatriam et contumaciam et rebellionem perstringit poenamque exsilii et gladii denuntiat; at poena soluta Deum miseratorem ac servatorem suos esse reducturum pollicetur. Dein alia ex parte degenerem populum Deus per prophetam aggreditur et reprehendit: Iacobi patris exemplum patientiae, pietatis, obedientiae iis proponit, et quantum a parentis mente et indole defecerint et Canaanitarum similitudinem et mores et idololatriam in se expresserint, iis exprobrat; quare divina ultione poenas luendas ostendit et quantum castigationum iam experti sint, tangit; verum cum sibi ipsi sint perniciei, Deum fidelem promissa sua gloriose impleturum et ab interitu eos revocaturum in piorum solatium iterato affirmat (12, 1 — 13, 15). Ultima denique cohortatione breviter primo iudicium impendens delineat modumque docet, quo ad Deum redire debeant, humili scil. supplicatione et humanae abiectione fiduciae. Qua ratione si ad Deum reversi fuerint, Deum opem illis laturum abundantissimam et fore promittit, ut Israel denuo floreat et salutem acceptam late diffundat. Quae vaticinia ut serio animis perpendant, hortatur (13, 15 — 14, 10).

Brevi hoc conspectu iam elucet, in libro hoc *compendium* proponi et *summam* illorum, quae pro varia temporum conditione propheta uberius sane atque explicatius populo inculcaverit. Tempore Ieroboam illa sane exsecutus esse censendus est, quae Dei beneficia populo collata, ruinam regiae domus, populi luxuriam et idololatriam spectant; in perturbationibus subsequentibus ea latius certe proposuit, quae iustam Dei vindictam, quam iam tunc in se experiebantur, ostenderent; cum vero Menahem ad Assyrios deflecteret aliis contra ad Aegyptios confugientibus, et cum Osee ab Aegyptiis opem efflagitaret, illa pronuntiavit, quibus vana ea esse conamina, irrita, Deo exosa demonstraret. Scelerum reprehensionem continuo ut adhiberet, regum impiorum populique morum corruptio cogebat. Laeta vero promissa inspersit, quo piorum animos (qui etsi

numero pauci tamen certe inter impios aderant prophetae discipuli) solatio erigeret, peccatores bonorum promissione, spe et desiderio meliore demulceret et divina ita disponente providentia temporibus quoque futuris per vaticinia divinae veritatis et salutis messianicae testimonium exhiberet.

Dicendi genus Osee breve est, concisum, sensu turgidum; quare saepe etiam obscurum, quandoque fere aenigmaticum. *S. Hier.* rem acu tetigit dicens : « Osee commaticus est et quasi per sententias loquens » (praefatio in XII proph.).

LIBER OSEE

PRIMA PARS CP. 1-3.

ARG. — Inscriptio praemittitur toti libro communis (1, 1). Generatim in hac parte *tria* proponuntur: populi peccatis dediti castigatio, via et praeparatio salutis, eius salutis indoles atque descriptio. Haec autem ita vates exsequitur, ut *primo* ad Domini foedus cum populo repraesentandum se iussum esse a Domino narret, connubium cum muliere olim fornicaria contrahere; liberos ex ea susceptos tres iis nominibus designare iubetur, quibus regiae domus clades, regni israelitici interitus ipsiusque populi a Domino reprobatio et in exsilium eiectio per gradus quosdam exprimantur (1, 2-9). Poenae vero denuntiationi immediate subdit eam, quae ex divina promissione iam olim patriarchis facta necessario consequitur, instaurationem populi Dei futuram, numero fidelium, sanctitate, concordia, Dei favore insignem (1, 10-2, 1).

Hoc quasi prooemio praemisso iam *secundo* longiore oratione populi crimina imagine mulieris adulterae prosequitur et condignas castigationes minatur, quas Deus eo consilio inflicturus est, ut miseria attriti demum resipiscant. Propter peccandi obstinationem in summas calamitates delabentur, quibus Dei eiusque favoris olim habiti memoria innovatur (2, 2-7; 8-13); ita castigatio in utilitatem cedet; in exsilio positus populus ad Dei vocem animum advertet, idololatriam abiiciet, Deus autem novum foedus inibit cum populo, quod sanctitate et pace inviolabili erit insignitum (2, 14-24). *Tertio* demum actione symbolica — uxorem adulteram ab omni commercio secludit — viam declarat esse ad illam salutem populi captivitatem (3, 1-5).

« *Verbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri, in diebus*

Oziae, Ioathan, Achaz, Ezechiae, regum Iuda, et in diebus Ieroboam, filii Ioas regis Israel » . —

Ipsa nomina loquendique formulae, quibus prophetae utuntur: *verbum Domini, visio, dixit Dominus* etc., testantur, quantopere se a Deo res suas, quas annuntient, communicatas accipere et solo impulsu divino agi iis fuerit persuasum. Neque enim ullo pacto se ipsi muneri prophetico ingerunt neque suam auctoritatem, scientiam, prudentiam praetendunt, sed tamquam iuris ac missionis *titulum* verbum Domini ad ipsos factum suis libris praefigunt (cf. Ier. 1, 2. Ioel 1, 1. Mich. 1, 1. Soph. 1, 1) vel *visionis* mentionem faciunt (cf. Is. 1, 1. Am. 1, 1. Abd. 1. Nah. 1, 1. Hab. 1, 1). Ipsa inscriptionis ratio, qua temporis spatium sat longum exprimitur (cf. Proleg.), in subsequentibus summa tantum capita argumentorum et sermonum ab Osee habitorum per modum compendii nobis proponi ostendit, idque dicendi genere, quod plerumque uti quam maxime concisum est ita plane rebus et sensibus turgidum atque fecundum, egregie confirmatur. Quis enim putaverit, sermones adeo rebus et cogitationibus infertos adeoque intellectu difficillimos plebeculae ita a propheta esse propositos, uti eos litteris consignavit ? Sed quae per multos annos fusiore oratione ac planiore docuerat, ea demum in compendium redacta popularibus reliquit, pretiosum sane Dei in suum populum benignitatis et providentiae documentum et divinorum consiliorum, quibus futura quoque saecula gubernentur, monumentum.

Reges legitimos domus David et primo loco nominari et sedulo per integram seriem recenseri, nemo mirabitur, qui promissiones stirpi Davidicae factas (2 Reg. 7, 14 etc.) vel vaticinium a Iacob prolatum « non recedet sceptrum de Iuda » prophetam nostrum rite perspexisse non negaverit. Id potius mireris, quod regis quoque Israel mentionem facit. Rationem affert haud incongruam *Rup.* hanc : « quia contra quos Elias et Eliseus ceterique prophetae steterunt idololatras reges Israel, contra ipsos etiam dirigebatur prophetia haec, ut inexcusabilis esset cum suis regibus impoenitens Israel » . Hoc enim titulo se in regno Israel prophetasse (« immo magis contra Israel » *Lap.*) Osee indicat. Aliis alia insuper placet ratio, quam a temporis designatione desumunt, voluisse scil. vatem edicere, se non extremis tantum Oziae regis annis munus propheticum auspicatum esse, verum iam prioribus [1] (cf. *Rib. Lap.*). Eo vero potiore iure etiam propheta Ieroboam *regem* nominare potuit, quia non solum revera regnum per 41 annos obtinuit, verum etiam ter-

---

1. Secundum 4 Reg. 15, 1 primus Oziae (Azariae) regni annus incidit in annum 27 Ieroboam, qui per 41 annos regnavit. Id tamen fieri vix potest. Nam cum Ieroboam rerum poti-

tius erat a Iehu, cui Deus usque in quartam generationem thronum regni Israel pro ultione in domum Achab exercita promiserat (4 Reg. 10, 30). Cur autem vates de subsequentibus regibus Israel tacuerit, ratio cernitur in misera Israel perturbatione; Zacharias enim filius Ieroboam regnum non obtinuit nisi post varia bella intestina [1] et solum tenuit per 6 menses; reliqui qui secuti sunt rebelles erant qui caede patrata et coniuratione facta sine ullo iusto titulo regni possessionem invadebant; ita *Sellum,* filius Iabes (4 Reg. 15, 10), ita *Manahem,* filius Gadi (l. c. v. 14), ita *Phacee* filius Romeliae (l. c. v. 25), ita demum *Osee,* filius Ela (l. c. v. 30). Quare mirum non est, neminem ex his titulo illo honorifico salutari a vate neque principio libri prophetici inscribi.

a) **Vatis matrimonium et tres liberi 1, 2-9.**

Osee munus propheticum auspicari *actione* debet, quae populi attentionem quam maxime excitet. Iuvenis enim morum integritate celebratissimus mulieri, quae eousque fornicaria erat, matrimonio se copulare iubetur a Domino: quo illam adumbret Domini benignitatem summam, qua populum in Aegypto misere tabescentem et vitiis oneratum ad foedus et amicitiam suam elevaverit. Hoc suo matrimonio propheta populo et Dei miserentis summam clementiam et qua ipsi fidelitate et integritate serviendum sit et quomodo grati animi vices pro tantae dignitatis culmine persolvendae sint, vivis quasi coloribus proponit. Cernunt enim in muliere illa conditionem suam pristinam abiectam, miseram, indignitate plenam; cernunt gratuitam ad dignitatem populi Dei elevationem; et cum mulier illa per prophetam effecta sit uxor fidelis, pudica, casta, eique certe sancta animi religione, veneratione, gratitudine devinciatur, quae fides et devotio ab ipsis iure merito sit expostulanda erga Deum foederis, in imagine viva cernunt expressum. Quae omnia repetitis vicibus a propheta iis explicata per singula fuisse atque inculcata, ratio ipsa muneris prophetici demonstrat.

V. 2 « *Principium loquendi Domino in Osee: et dixit Dominus ad*

---

tus sit anno 15 regni Amasiae (4 Reg. 14, 17. 23), is autem per 29 annos regnaverit eumque subsecutus sit Ozias 16 annos natus (4 Reg. 14, 21), primus Oziae annus potius incidit in annum 15 Ieroboam. In annum 4 incidere statuit *Neteler*.

1. Ieroboam regnum tenuit per 41 annos (4 Reg. 14, 23), proinde e vivis excessit circa annum 27 regni Oziae (vide notam praecedentem); sed filius eius Zacharias regnum non capessivit, nisi anno 38 Oziae (4 Reg. 15, 8), quare (cum Petavio) probabiliter post Ieroboam interregnum quoddam vel potius rerum perturbatio per 11 annos exstitit, antequam Zacharias per breve tempus sex mensium solus thronum regni obtineret. Alii Ieroboam 52 annos adscribunt.

Osee : vade, sume tibi uxorem fornicationum et fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino » ; — principium loquendi i. e. cum Dominus singulari modo se Osee manifestare eique revelationem et allocutionem divinam indere inciperet, id quod statim ab initio ab eo postulavit et a quo communicationis divinae principium sumpsit, erat mandatum hoc : *vade* etc. (cf. *Theod. Hier.* 2° loco, *Haimo, Rup. Rib. Sanct.).* Ita commode textus intelligitur, nam Osee *primum* omnium prophetarum, qui scripto aliquid reliquerint, alloquium Dei in animo accepisse (*Hier.* 1° loco, *Lap.*), nec certo probari potest, nec hoc loco effertur, cum omnis comparatio vel aequiparatio desit, talem autem supplere arbitrarium sit existimandum. Illud *principium* in omnibus versionibus veterum exstat ; insuper sensus commodus et aptus adest ; nam quia illud mandatum et grave molestumque erat et primo aspectu satis singulare, certe ad animi vatis dispositionem plane natum factumque est, ut explicite statuat a tali exordio communicationem Dei secum incepisse, hoc fuisse « principium loquendi in Osee », ut diceret Dominus etc. Quare minime opus est, cum recentioribus quibusdam (*Hitz. Scholz*) « principium » tamquam glossema delere et ad diasceuastae cuiusdam sedulitatem referre, qui vocem primo margini adscripserit, ut libri initium designaret, vel qui hoc modo Osee primum omnium prophetarum, quorum libri exstent, fuisse voluerit indicare [1]. Nervose dicitur « loqui *in* Osee » i. e. in eius animo fieri revelationem, ibique futurorum notitiam illuxisse, ut ait *Cyrillus,* qui ad Hab. 2, 1 ; Ps. 84, 9 ; Zach. 1, 9 lectorem remittit, vel ut *Rup.* loqui in corde per occultam suae virtutis inspirationem. *Vade* mandati vim effert ; frequens est talis ad imperativum appositio (cf. Ez. 3, 1. 11) ; *sume tibi* i. e. tamquam uxorem accipe (ita לקח Gen. 4, 19 ; 6, 2 ; 12, 19 ; 1 Sam. 25, 43 etc.) *mulierem fornicationum* i. e. quae antea multum vitiis dedita erat et qua talis nota et infamis.

Celebris est atque antiqua controversia, utrum haec et quae sequuntur solum per modum allegoriae proponantur, quae propheta in somno vel exstasi viderit, fecerit, an revera ab ipso gesta sint et in opus externum deducta. De ea fuse iam agit *S. Cyr.* ad h. l. et *Ps. Ruf. S. Hier. Theod.* Allegoriam meram sequitur *Chald.:* « vade, prophetiza contra habitatores civitatis idololatrae, qui addunt peccare, quia errando errabunt habitatores terrae a cultu Domini ». In spiritu et

1. Gr. ἀρχὴ λόγου ; sim. *Syrus* et *Chald.* Textus hebr. uti nunc *punctis* effertur תחלת דבר potest quidem explicari ; nam apud Hebraeos enuntiatio quaedam integra « dixit Dominus » potest quasi una notio substantivo expressa nomini antecedenti adiungi eique subordinari (cf. *Ewald*, Lehrbuch d. hebr. Spr. §. 332), quasi dicas « principium τοῦ dixit D. ». Sed satius est cum LXX, Syro, Chald. substantivum דבר legere.

visione haec gesta esse volunt « Palaestina et Aegyptus aliique omnes qui Origenis auctoritate plurimum commoventur » (*Ps. Ruf.*), ad quos etiam recentiores quidam accedunt e. gr. *Keil*, *Trochon*; at plerique veterum et recentiorum rem vere esse gestam affirmant. Ita v. g. iam *Irenaeus* [1], *Ephraem*, *Augustinus* (c. Faust. 22, 80 — *M.* 42, 453), *Cyr. Theod. Theod. M. Theoph. Alb. Barh. Rib. Estius, Lap. Gord. Scholz, Rohling* [2]. Idque recte. Nam in verbis adeo planis nihil omnino adest, quod ad allegoriam vel meram visionem nos amandet, e contra : *et abiit et accepit Gomer, filiam Debelaim, et concepit et peperit ei filium* et quae sequuntur, ita verborum perspicuitate et nominum appositione et generis mentione efferuntur, ut quomodo res vere gesta clarius dici possit, nullo pacto reperias. Quare haud immerito *Theod.* « eorum audaciam, inquit, mirari satis non queo, qui non verentur dicere, verba haec esse rebus destituta ». Neque vero in re imperata aliquid inest, quod ad visionem ut confugiamus suadeat. Nam honestum prorsus est, ut mulier, etsi antea impudica, matrimonium contrahat; et quod prophetae *durum* est, ut cum tali ineat connubium, id sane non sufficit, ut tantum visione rem actam esse dicamus; multa enim et difficilia Deus a suis saepe postulat in aliorum eruditionem et doctrinam. Propheta autem hoc suo matrimonio et liberis in eo susceptis hebetes popularium mentes ad divina consilia perpendenda efficaciter provocare debuit; verum quaenam efficacia ad soporem illum excutiendum adfuisse censebitur, si propheta haec a se visa esse solum verbis proponeret? Nonne propterea prophetae actiones iubentur suscipere externas symbolicas, ut gravi tepore oppressos excitent, ut verbis pondus addant, ut « visorum admiratione ad considerationem eos trahant, qui pervicaci sunt animo » (*Theod.*)? Neque ea rei indignitas adest, quam aliqui fingunt censentes, mulierem illam etiam matrimonio contracto adulteriis se dedisse et prophetam cum adultera vixisse. Gratis enim tale quid adstruunt; valet, quod *S. Hier.* scribit : « nec culpandus propheta, si meretricem convertit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit... ex quo intelligimus, non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariae copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam, quam antea non habebat »; valet, quod *S. Augustinus* Fausto Manichaeo respondit : « quid enim adversum clementiae veritatis, quid inimicum fidei christianae, si meretrix relicta fornicatione in castum coniugium commutetur » (c. Faust. 23, 80. cf 89; et similiter c. Secundinum cp. 21; *M.* 42, 597)?

---

1. Adv. haer. 4, 20, 12; *M.* 7, 1042 : « non solum autem per visiones ... et per sermones ... sed et in operationibus visus est prophetis, ut per eos praefiguraret et praemonstraret futura. Propter quod et Osee propheta accepit uxorem fornicationis, per operationem prophetans ... »

2. Cf. fascicul. Tubingae editos (Tübinger Quartalschr.) an. 1867, p. 559 et seq. Eandem sententiam etiam tuetur *Pusey* (The minor prophets). Miram opinionem inter alia proposuit *Williams* (The prophets of Israel and Iudah, Edinburgh 1866), designari scil. nomine Hosea ultimum regem Israel, « whom God has suffered to wed his fallen people »; qui igitur iubeatur matrimonium contrahere, esse regem ultimum Israel et feminam illam esse populum Israel peccatis iam diu a Deo abalienatum. Ceterum ipse *Williams* hanc opinionem mox deserens rem totam ad meram referri parabolam demum probabilissimum censet.

Quo autem consilio hoc proponatur, dubitari nequit. Nam populi electio et foedus Domini ita iam in Pentateucho describuntur, ut foederis quasi matrimonialis, quod Dominus cum populo tamquam sponsa a se electa inierit, notio subsit (cf. Ex. 19, 5. Lev. 20, 26. Num. 14, 33. Deut. 4, 34 ; 5, 2 ; 14, 2 etc.) ; huic omnino affine est, si cultus idolorum nomine fornicationis accusatur Lev. 17, 7 ; 20, 5. Ex. 34,15. Quare prophetae matrimonio id exprimitur, quod Ez. 16 habetur ; Deus enim, ut ait *S. Hier.*, suscepit populum Iudaeorum fornicationi et libidini servientem ; «fornicata est enim (verba sunt *S. Cyr.*) spiritualiter in Aegypto [1] Iudaeorum synagoga.. ceterum ita proiectam visitavit miseratus Deus et denuo pudicam reddere molitus est et propemodum contubernalem». Unde quantum misericordiae et gratiae Deus populo suo impenderit et ad quale dignitatis fastigium eum evexerit, cum ex omnibus hanc gentem sibi sponsam elegerit, propheta matrimonio suo debet ad vivum exprimere. Inde iam accusatio ingrati animi in populum oritur, qui huius dignitatis oblitus Deo fidem non servavit. Ex officio vero prophetico consequitur, vatem hanc suae actionis significationem populo explanasse et cohortationibus suis ad meliorem frugem revocare esse conatum. Quid vero populo immineat, ni resipiscat, nominibus liberorum suorum per quosdam veluti gradus declarat.

Quod in *vulg.* legitur *fac tibi*, neque in hebr. neque in gr. neque apud *Syrum*, neque in interpretatione *S. Hier.* [2] habetur, deest etiam, ut *Brug.* notat : « in multis libris, etiam antiquis Epanorthotae» ; at verum est interpretamentum. Iubetur enim propheta ex tali muliere liberos sibi procreare. Hunc esse sensum mandati, ex ipsa exsecutione quae subiungitur apparet ; nam v. 3 nil aliud refertur quam mandati accepti impletio, idque ea forma iisque verbis, quae ad ipsum mandatum quam maxime accedant ; notum est autem, quoties hoc in s. literis cernatur, ut scil. iussio prius, dein iussionis exsecutio eadem rerum et verborum serie narretur. Quare cum legamus : *et abiit et accepit* (in hebr. eadem verba adsunt, quae v. 2 וַיֵּלֶךְ וַיִּקַּח) *et concepit et peperit ei filium* et *tum* demum alterum Dei sequatur mandatum, omnino dicendum est, iussum esse prophetam filios gignere. Nam quod aliis *(Keil, Scholz)* placet et iam *S. Hier.* in medio relinquit, prophetam iuberi filios a meretrice iam susceptos alere et

---

1. Falso *Schegg* asserit, Israel ante foedus exhiberi virginem puram — quare vult Osee iniisse matrimonium cum virgine, quae matrimonio contracta facta sit adultera — sed cf. Lev. 17, 7. Ez. 16, 3-8 ; 20, 7 ; 23, 3 ; neque ullo pacto obstat Ier. 2, 2, quo in loco sola fidelitas laudatur, qua populus Deo vocanti ad egressum ex Aegypto dicto audiens fuit.

2. Scribit enim : « ἀπὸ κοινοῦ, subauditur : sume tibi uxorem et sume tibi filios fornicationum. Utrumque potest intelligi, quod et fornicariae priores de fornicatione susceptos recipiat filios, et ipse ex meretrice generet filios, qui idcirco fornicationis appellandi sunt filii, quod sint de meretrice generati ».

adoptare, neque ad v. 3 aptum est, neque alia fit horum filiorum mentio in explicatione subsequente actionis symbolicae.

Cur autem filii a propheta in legitimo matrimonio geniti vocentur *filii fornicationum,* non una est interpretum sententia; alii censent, quia mater *antea* mulier erat fornicaria *(Tir. Lap. Men. Rohling)*; sed bene advertit *Rib.*: «licet Hieronymo non displiceat, sententia tamen dura est et violenta»; quare (sicut alii, ut *Barh.*) ipse rationem nominis inde petit, quod ipsi filii fornicationibus se dederint, et consentit *Sanct.* At vehementer mihi displicet, quod propheta tam male vel educaverit filios suos vel in eos invigilaverit; et quid quaeso ad populi eruditionem conferret, si prophetae filii in turpia se vitia profunderent? nonne ipse derisui potius foret et contemptui, quam salutari exemplo atque institutioni? Quare ita vocantur, non quia ipsi admittunt fornicationes, sed quia suis nominibus in signum esse debent atque portentum (ut ait *Rup.* et sim. *S. Ephr.*) eorum, quae agenda sunt inter gentem istam et Dominum; vocantur filii fornicationum i. e. filii, qui nativitate et nomine destinantur, ut populi peccatis contra Deum i. e. fornicationibus poenam debitam in symbolo repraesentent, qui futuri sunt in signum et comminationem pro populo fornicario, pro veris *filiis fornicationum* (2, 4). Idcirco additur: *quia fornicans fornicatur terra* [1] ... conditionem exhibet praesentem atque perdurantem, cui remedium Dominus vel poenae praedictionem adhibere vult. Cur populi scelera nomine hoc veniant, bene *Ps. Ruf.* expendit: « quia enim notus in Iudaea Deus unam gentem quam sibi sociaret, elegerat et quasi instar coniugis intervenientibus legis tabulis, de qua filios instituendo generaret, assumpserat, eos appellat pudicos, qui inviolata religione iura custodiunt, illos vero e contrario turpes atque pollutos, qui cultus sacri foedera errorum infectione et haeresis consectatione violaverunt. Qua imagine nimirum et magnitudinem caritatis erga pios et vehementiam severitatis, qua hosce impios persequatur, expressit, quia non solum sicut censor aut iudex, sed quasi fremens ad vindicandum maritus exsurgat ». Insuper notum est, magnam cultus idololatrici partem spurcitiis constitisse.

Propheta Domini voci obedit, idque eadem verborum forma, qua mandatum insonuit, narrat v. 3 « *et abiit et accepit Gomer, filiam Debelaim, et concepit et peperit ei filium* ». — Notat *Theod. M.*: « nomen patremque dicit, ne forte quod dictum est, purum figmentum, sed ut vera historia habeatur ».

---

1. Hebr. imperf. *(fut.)* ad conditionem *perdurantem* designandam adhibetur; quare *fornicabitur* ex hac hebr. linguae proprietate explicari opus est.

Quare a curiosa quoque nominum investigatione abstinendum esse censeo; neque enim mulieris eiusque patris nomen symboli ratione inditur, illud autem, etsi nunc non cudatur, sed mulieri et patri semper infuerit, tamen non sine symbolica significatione efferri, certo nequit demonstrari. Accedit, quod nominum explicatio satis incerta est et dubia. *Gomer* frequenter explicatur *consummata, perfecta* (cf. *Hier. Rib. Lap. Keil)*, quam vocem alii in laudem mulieris eiusque pulchritudinis vertunt, alii in sceleris vituperium ; *Scholz* idem esse nomen opinatur, quod Ier. 29, 3 ; 36, 10 *Gemaria* legitur i. e. Dominus retribuit. In patris nomine multi cum S. Hier. παλάτας cernunt, i. e. «massam pinguium caricarum, quas in morem laterum figurantes, ut diu illaesae permaneant, calcant atque compingunt» *(Hier.)*, idque ad filiae indolem describendam traducunt «quae fruentibus suavis videtur et dulcis, perfecta filia voluptatis» *(Hier.*, quem latini sequuntur) [1] — sed satius est dicere, nomina rei gestae veritatem testari eo magis, quia non symbolica apparent; nam explicationes illae nimis coactae videntur.

Cum dicatur *et peperit ei*, omnis adulterii suspicio, quam hic ingerere volunt *(Schegg)*, sane excluditur. Quomodo filius iste sit in signum atque portentum et quid igitur propheta suis ad populum concionibus potissimum proponere debeat, Dominus eum docet : v. 4 «*et dixit Dominus ad eum: voca nomen eius Iezrahel, quoniam adhuc modicum et visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu et quiescere faciam regnum domus Israel*». — Iehu electus erat a Domino, ut percuteret domum Achab et ulcisceretur sanguinem prophetarum et sanguinem omnium servorum Domini (4 Reg 9, 7); id factum est in Iezrahel; ibique praeprimis criminis illius in Naboth Iezrahelitam commissi Iezabel poenas luit secundum verbum Domini: « canes comedent Iezabel in agro Iezrahel» (3 Reg. 21, 23-4 Reg. 9, 36). Pro ultione hac exercita Iehu a Domino laudatur et accipit promissionem : «filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel» (4 Reg. 10, 30), quare *sanguis Iezrahel*, qui mox visitandus sit super domum Iehu, non potest esse strages illa in domum Achab edita. Sunt quidem, qui reponant, Iehu Deo iubente sanguinem effudisse, sed malo animo, dominandi libidine, non iustitiae divinae studio, ideoque sanguinem illum repeti ab eius domo *(Keil)*; «at hanc responsionem (ut iam habet *Rib.*) verba Domini refellunt laudantis Iehu et magnam eius operi mercedem pollicentis... quis dicat iratum fuisse Dominum, cum haec dicebat, aut malo animo factum esse, quod tantopere laudatur»? Insuper cur Deus crimen Iehu nunc de-

---

1. *Scholz* arabicam dialectum in auxilium vocat, ut « perfectam filiam concubituum » extorqueat.

mum in eius pronepote vel abnepote puniret? Quare *sanguis Iezrahel* [1] caedem refert iniustissimam Naboth Iezrahelitae illatam, propter quam Achab et Iezabel poenas dederunt; similes igitur caedes, similes iustorum oppressiones, «occisionem populi mei» (*Hier.*) reges ex stirpe Iehu commiserunt, quorum scelerum poenas mox sunt luituri. Et revera de singulis sacri libri referunt : non recessit *Iehu* a peccatis Ieroboam (4 Reg. 10, 29. 31), eius filius *Ioachaz* fecit malum coram Domino secutusque est peccata Ieroboam (4 Reg. 13, 2); idem de Ioas (l. c. v. 11), de Ieroboam (l. c. 14, 24), de Zacharia (l. c. 15, 9); cum idololatria autem caedes et iniustitias sociari et iura omnia violari, libri sacri satis superque probant.

Duo minatur vates : instare interitum regiae domus Iehu — eaque exstincta est caede Zachariae per Sellum perpetrata 4 Reg. 15, 10 — et regni israelitici dissolutionem et abolitionem. Duos eventus coniungit tempore quidem dissitos, at causarum nexu ligatos; insuper a morte Ieroboam regnum Israel continuis fere perturbationibus, coniurationibus, caedibus regum fuit concussum et exstinctioni praeformatum.

Ceterum *Iezrahel* nomen est urbis in tribu Issachar (Ios. 19, 18), ubi Achab rex saepe commorabatur (3 Reg. 18, 45; 21, 1), 12 millia passuum distans a Scythopoli; postea nomine 'Εσδράηλα, hodie Zerin vocata. Appellationem urbs in colle praerupto quasi in alta specula sita a planitie et campis latissimis atque fertilissimis hausit, qui secundum S. Hier. plus quam decem millibus tenduntur passibus ; est enim Iezrahel יזרעאל *Deus seminat,* Dei segetes i. e. praeclarae (*Scholz*), ipsaque vox Deum commemorat, qui *seminat* (cf. *Ephr.*) i. e. rerum et eventuum cursum praeparat, dirigit; unde filio prophetae imposita et nativa sua significatione vaticinatur et illa rerum in Iezrahel gestarum notione scelera damnat, ultionem indicat; qualis ea futura sit et proinde quid vox illa quam maxime insonare debeat audientibus, declaratur v. 5 « *et in illa die conteram arcum Israel in valle Iezrahel* » ; — i. e. bellicam Israel virtutem, potentiam letali vulnere iri prostratum ; cladem igitur insignem praedicit Israelitis ibi infligendam ; quam in bellis cum Assyriis gestis illatam esse, apud omnes constat (cf. *Hier.*). Nomina *Israel* et *Iezrahel* ipso sono affinia arcte inter se iungit, ut quomodo *Iezrahel* scelerum et vindictae divinae memoriam audientibus revocat, ita eadem in Israel quoque iam adesse et mox magis magisque explicari significet. Ea est igitur nominis vis, ea adhortatio populo proposita, ut ab iniustitia desistant, ut Deum

---

1. Neque mirum est, scelus in Naboth commissum adeo insigne censeri, ut suum nomen similibus indiderit; erat enim maxima hypocrisi, sacrilega iuris imitatione, blasphemia, impudentia etc. instructum et perpetratum ; cf. quae hac de re *Cyr.* et *Rup.* prosequuntur.

rerum moderatorem suspiciant, ut cladem divinitus infligendam metuant, atque, nisi resipiscant, omnem suam fortitudinem, pompam, virtutem bellicam esse conculcandam sciant.

Hanc vero comminationem et admonitionem fructus non tulisse, ex *graviori* quod subsequitur signo colligitur. Quare haud immerito *Chald.* post v. 5 haec inserit : et addiderunt facere opera mala. — Unde additur « magnum prioris sententiae incrementum » *(Rup.)* : v. 6 « *et concepit adhuc et peperit filiam. Et dixit ei : voca nomen eius Absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum* ». — Filiam parit, non ut ablata fortitudine status rerum fragilis *(Hier. Haimo, Rib.)* vel miseratione indigens *(Schegg)* significetur, sed ut omnes, viros et feminas, ea clade esse involvendos repraesentetur *(Lap. Men. Scholz)* ; solet enim *universalitas* exprimi utroque sexu nominato ; cf. Is. 3, 1. Ier. 48, 19. Nomen *quae misericordiam non consequitur* (hebr.) iudicium illud, quod v. 4. 5 minatus erat, non misericordia temperandum indicat, sed fore *in furore, in ira* (Ps. 6, 1 ; quale ne fiat, David deprecatur), neque adhibitum iri *moderamen* illud, quod Deus regibus domus David peccantibus promisit : « arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum » (2 Reg, 7, 14).

Hucusque tali moderamine etiam in Israel usus est, neque vero deinceps ; immo illorum etiam memoriam abiicere vult. Rem expendit *Ps. Ruf.* : « his geminae pondus sententiae continetur ; neque enim solum ait tempore miseriarum misericordiam denegabo, sed eos nec in memoriam meam redire permittam ; esset enim licet in extremo languore solatium, si vel quocumque tempore memoriam eorum, quos abiecisset, assumeret ». Emphatica est locutio ; *oblivione obliviscar* ; hebr. נשׂא אשׂא — *vulg.* interpretatio sensum bonum effert et satis facile explicatur ex נשׂה [1] ; alii hebr. vertunt ; *tollendo tollam eos,* auferendo auferam eos (ita *Syrus, Rib. Scholz* — cf. etiam *Lap.*) i. e. proiiciam in exsilium ; sed haec castigatio magis spectat ad sequens poenae augmentum ; alii : non ignoscam *(Hitz. Keil),* sed id post minas antecedentes satis languide additur.

Quo magis confundantur, vel etiam « ut filios Israel a nequitia deterreat, ut eos eorumque virtutem imitari velint, quo misericordiam ab ipso consequantur » *(Theoph.)* et etiam, ut omnia sua voluntate iis accidere ostendat, mentionem addit regni Iudaeorum *(Theod. M.)* : v. 7 « *et do-*

---

1. Scriptio א forte ad levem quandam varietatem dialecti vel pronuntiationis refertur (cf. *Scholz*). LXX ἀντιτασσόμενος ἀντιτάξομαι αὐτοῖς. *Aq.* καὶ ἐξαπατήσω αὐτούς (cf. cod. syr. hexapl., ed. Henr. *Middeldorpf* p. 162. 508) ; ergo נשׂא! *Chald.* : si conversi fuerint, dimittendo dimittam eis.

mui Iuda miserebor et salvabo eos in Domino Deo suo ; et non salvabo eos in arcu et gladio et in bello et in equis et in equitibus ». — Normam regni *theocratici* statuit, cuius robur sit in Dei ope, non in bellico apparatu (cf. Deut. 28, 7. Ios. 24, 12. Ps. 19, 8 ; 32, 17 etc.) ; emphasin habet, quod per partes fit enumeratio : arma recenset, quibus eminus et cominus pugnatur ; *in bello* i. e. reliquis belli adiumentis ; demum currus falcatos et equestrem apparatum [1] commemorat. Promissio haec verbotenus impleta est, cum Assyrii terra Israel vastata, regno destructo, habitatoribus in captivitatem abductis (cf. 4 Reg. 15, 29 ; 17, 6) ante urbem sanctam insigni clade ab angelo inflicta prosternerentur sub rege Sennacherib (4 Reg. 19, 34. Is. 36. 37), de qua strage hunc locum interpretes [2] explicant ; verum norma illa salutis conferendae latius quoque patet, neque solum in liberatione per Cyrum facta (*Rib. Lap. Sa, Tir.*) manifestatur, sed totius providentiae supernaturalis, qua Deus suos salute donare vult, regulam generalem enuntiat. Valet enim in Dei gubernatione, quod iam monuit Deut. 8, 17 : « ne diceres in corde tuo : fortitudo mea et robur manus meae haec mihi omnia praestiterunt » ; cf. Is. 7, 9 ; 28, 16. Etiam id inculcatur, salvationem *domui Iuda* stabili Dei decreto esse adnexam, ita ut quicumque promissionum divinarum particeps esse velit, ad domum Iuda accedat necesse sit ; in ea enim sola regnum Davidicum consistit et templum et urbs sancta cum sacerdotio legitimo ; omnes autem promissiones divinae stirpem Davidicam, montem templi, urbem Sionem respiciunt ibique quasi in suo fonte et centro colliguntur (cf. 2 Reg. 7, 14. Is. 2, 1. Mich. 4, 1).

Excidium Israeli per gradus quosdam denuntiatur (ut *Lap.* bene prosequitur) : secunda enim prophetae filia afflictiones sine misericordia subeundas repraesentat ; congruo temporis intervallo propheta symbolum hoc popularibus explicat ; ipsa quoque narrationis mora et per singulos eventus facta distinctio iudicium gradatim enuntiari et devolvi indicat ; quare v. 8 « *et ablactavit eam, quae erat Absque misericordia. Et concepit et peperit filium.* v. 9 *Et dixit : voca nomen eius : non populus meus ; quia vos non populus meus, et ego non ero vester* ». — Postquam munus maternum filiae Lo-ruchamah persolutum est, « nascitur quasi e vestigio nec ita multo post alius infans » (*Cyr.*) ; nam propheta in liberis suis signa et portenta populo proponere iussus erat, « ut quoties illos populus videret, toties irae minarumque Dei recordaretur et futurorum malorum imagine terreretur » (*Rib.*). Tertius filius tertium et summum

---

1. De distinctione vocum hebr. cf. 1 Reg. 5, 6 (hebr.).

2. Ita communiter ; aliqui enim, ut *Ephr.* in tempore Achaz sistentes eventus 4 Reg. 16, 7. Is. 7, 16 ; 8, 4 respici censent.

iudicii gradum exprimit : populi in exsilium abiectionem et foederis olim initi dissolutionem ; Deus hereditatem illam suam et peculium quod sibi ex omnibus gentibus elegerat (Ex. 19, 5), in Israel abiicit, Israel ut gentem alienam, inimicam a suo pacto resecat, se iam non illorum Deum, gubernatorem, tutorem, provisorem, nutritorem, patrem fore edicit, illos hostibus conculcandos relinquit (cf. *Sanct. Lap.*). Ita propheta exsilium illud, quod Ahias propheta iam Ieroboam vaticinatus erat (3 Reg. 14, 15. 16), instare indicat.

b) **Promissio instaurationis 1, 10 — 2, 1.**

Bene *Rup.* nexum cum sequentibus exhibet : « dicat nunc aliquis : quid ergo Dei fiet de proposito? proposuerat namque Deus et promiserat Abrahae de semine eius populum sibi adducere innumerabilem sicut stellas coeli, et inito foedere firmaverat, quod esse deberet Deus eius et Deus seminis eius... quid ergo fiet de proposito Dei? numquid excidit verbum Dei »? etc. (sim. *Lap.*). Dei promissiones hominum malitia non evacuantur, neque Dei consilia hominum perversitate subvertuntur; quare *immediate* vates pergit v. 10 « *Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quae sine mensura est et non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis : non populus meus vos! dicetur eis : filii Dei viventis* »*!* — Cum enim adsint promissiones Abraham factae, quae totidem fere verbis h.l. referuntur (cf. Gen. 15, 5; 17, 22; 28, 14; 32, 12), cum exsistant vaticinia de Pacificatore ex Iuda regnoque eius aeterno, cui obedientiam exhibituri sint populi (Gen. 49, 10 hebr.), haecque vaticinia stirpi Davidis sint adnexa et psalmis iam ex Davidis et Salomonis tempore (Ps. 2; 71; 109) celebrata, facile patet, cur propheta post minas immediate instaurationis magnificae promissionem subiungat. Sed cum Abraham *multarum* gentium pater sit constitutus a Deo (Gen. 17, 5), et cum Moysi dixerit Deus : « dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos et deleam eos faciamque te in gentem magnam » (Ex. 32, 10), elucet, quomodo reiecto populo *hoc* Deus alios suscitare possit, qui vere Israelitae sint, qui mente et indole patriarcharum illorum fidem, pietatem, religionem exprimant. Quare in hoc vaticinio de numero ingenti Israelitarum, quod abiectionem Israelitarum secundum nativitatis et originis iura immediate excipit, illa summi momenti veritas aperte proponitur, velle Deum veros Israelitas ex gentibus sibi deligere. Idem consequitur ex argumentatione S. Pauli Rom. 9, 24. 25 (cf. 1 Petr. 2, 10).

Primum igitur versus membrum omnino universale est; alterum modum indicat, quo promissiones illae implendae sint; scil. eo modo,

ut fiant et dicantur *filii Dei viventis* ii, qui alieni fuerint a Deo : Deus scil. *vivus*, qui ipse est vita et se tamquam vitae largitorem manifestat et « ea, quae non sunt, vocat tamquam ea quae sunt », nova quadam creatione vel quasi generatione eos suos efficit filios ; idque praestat tam aperte et luculenter, ut haec filiorum adoptio ab omnibus agnoscatur et praedicetur ; neque enim *filii Dei viventis* in obscuro aliquo angulo ignoti latent, sed ubi et a quibus olim ludibrio habiti sunt tamquam Deo exosi et a Deo abiecti, ibi iam et ab iisdem *filii Dei* agnoscuntur et laudantur. Cernitur scil. in hac adoptione virtus quaedam supernaturalis, efficacia vigoris, splendor dignitatis, ita ut admirabundi et Deum *viventem* et eos *filios Dei viventis* nominent. Haec vis sane epitheto illi, quod tam explicite apponitur, inest (cf. *Lap).*

Haec vero instauratio *initium* ducit a reditu in terram sanctam : v. 11 « *et congregabuntur filii Iuda et filii Israel pariter et ponent sibimet caput unum et ascendent de terra, quia magnus dies Iezrahel* » ; — est scil. commune prophetis, praedicere exsilium, reditum ex exsilio, instaurationem magnificam, et quia reditus ex exsilio est prolusio et praeparatio quaedam ad promissa illa sublimiora (messianica) adimplenda, duo illa, reditus et instauratio, saepe simul adumbrantur (cf. Is. 40, 1-12. Mich. 2, 12. 13. Ier. 31, 21. 22 ; 33, 12. Ez. 34, 13. Am. 9, 11 ; Ioel 3, 1. Soph. 3, 15 etc.). Tunc aberit divisio illa adeo funesta et apostasia ab uno rege Davidico, uti revera redeuntes ex Babel *unam* rempublicam sub uno duce Zorobabel constituerunt (*Ephr. Barh. Cyr. Theoph.*) ; at haec adumbratio erat congregationis illius sub uno capite i. e. rege theocratico magno ex stirpe David, de quo Ez. : « et suscitabo super eos pastorem unum et pascet eos et servum meum David et erit eorum pastor » (34, 23 — cf. *Cyr. Rib. Lap.*). *Pariter,* vel *una, simul* dicit vates regni utriusque divisionem reprehendens ; *ascendere* de itinere hierosolymitano adhibetur. Demum indicat ad tale fastigium felicitatis et salutis viam sterni calamitate illa et afflictione, qua in campo Iezrahel per Assyrios arcus Israel erit confringendus (cf. v. 5) ; *quia magnus* i. e. vere humiliatio illa et depressio magnum quiddam est et propter fines maxime salutares a Domino immittitur, quippe quae humana potentia destructa et regno impio cadente sacram illam unionem, concordiam, et reditum praeparet. Magnum igitur Deus proclamat diem, non quia magnam miseriam infert, sed quia miseria haec (cf. *Ephr.*) melioris conditionis praeparatio est et via ; inde quid humanae superbiae et potentiae deiectio apud Deum valeat, perspicitur. Similiter *Ps. Ruf. :* « tantum in illo statu felicitatis locabuntur, ut magnum diem Iezrahel fuisse fateantur i. e. vel illud tempus quo adversa coeperunt, et hoc assumet in memoriam populus liberatus, ut gaudia eius ex comparatione grandescant ».

Aliis placet, verba haec statim transferre ad tempus messianicum, tamquam ad tempus *Sementis Domini;* cf. 2, 21. Ita *Rib. Sa, Men. Tir. Trochon.* Potest explicatio commendari eo, quod 2, 1 etiam alia nomina omine optimo prolata de tempore messianico dicuntur. At propius tamen ob v. 5 prior expositio adiacere videtur, praesertim quia ex vocis etymo demum 2, 21 propheta arguit. Instaurationis epocham vates ita delineat, ut et prima impletionis inchoatio et plena rerum sub Messia perfectio apte attingatur. Quare ad Pauli explicationem (Rom. 9, 25) *Ps. Ruf.* haud incongrue haec scribit : « gentium magister ostendit, quod evangelii tempore felicitatis huius promissio compleretur ; non utique ut negaret illud quod totius prophetiae textus inculcat : resolutionem videlicet captivitatis quoque babylonicae fuisse promissam, sed ut ostenderet quam intelligentiae regulam custodire in propheticis libris debeamus : i. e. ut cum sub narratione iudaicarum rerum ingentius quam unius gentis mediocritas caperet aliquid promeretur, et ex parte in illo populo nosceremus fuisse completum, etiam per theoriam [1] aliis quoque, i. e. cunctis gentibus, convenire ». Promissio vero etiam populum iudaicum in exsilium fore eiiciendum aperte supponit; perspexit Osee, res iudaici etiam regni ita labi, ut antiquae illae minae (Lev. 26, 33. Deut. 30, 1. 3 Reg. 9, 6-9) iam in opus sint deducendae : *si autem aversione aversi fueritis. . . auferam Israel. . . et templum proiiciam.*

Nova rerum conditione ut quam maxime laetentur eiusque bona inter se adprecentur, hortatur propheta : 2, 1 « *dicite fratribus vestris : populus meus! et sorori vestrae : misericordiam consecuta* »! — Nomina haec bonorum copiam complectuntur ; « congruet ipsis, ait, vocari (ita), tamquam familiaribus et clementia mea tunc fruentibus » (*Theod. M.*); Dei enim populus in Dei civitatem adscriptus filiorum adoptione bonorum Dei erit particeps et eius misericordiis, quae sint super omnia opera eius, continuo perfruetur. Utrumque sexum commemorat, ut salutem ad universos pertinere doceat ; vult, ut beata hac appellatione inter se salutent, eamque ingeminat, quo magis exprimat eorum animos intime perfundi oportere beneficiorum acceptorum exsultatione et aestimatione. Mutua hac laetitia et gratulatione apte concludit instaurationis descriptionem ; nominibus ipsis veterem errorem ac maledictionem abiisse ostendit et novum Dei coetum designat, ad cuius indolem quam maxime spectat adoptari a Deo et miseratione aeterna coronari. Ad *omnes* vero extendi, rerum consequentia ex v. 10 docet ; quare bene *Rup.* : « quibus fratribus aut ubi manentibus et unde venientibus? nimirum fratribus Abrahae fidem habentibus, undecumque veniant, ubicumque sint, quacumque ex gente originem ducant » (cf. *Rib. Mar.*).

---

1. Modus loquendi est apud graecos usitatus pro intelligentia altiore, spirituali, profundius rerum causas spectante ; vel ut idem *Ps. Ruf.* loquitur : « est in brevibus plerumque aut formis aut causis earum rerum quae potiores sunt considerata perceptio ».

Verbis his hanc partem concludi omnino censemus et censuerunt iam *Hier* et *Cyr.* ; idque merito ; nam argumentum versus ad antecedentia proxime adhaeret et ipsis nominibus v. 9 adiungitur et brevi formula novae conditionis beatitatem complectitur, unde valde aptum est, ut eo quasi epiphonemate vel epilogo oratio absolvatur. Sunt tamen, qui divisionem in vulg. nulla auctoritate introductam etiam sensus orationisque terminum ac limites exhibere velint (cf. *Lap. Scholz)* ; proinde hunc v. ad sequentis orationis exordium referunt, explicantes : dicite, o prophetae etc. (cf. *Chald. Lap. Sa, Men. Tir. Scholz).* At perperam. Nam haec appellatio vel ad populum illum dirigitur, quem tunc vates alloquitur, vel ad populum futurae instaurationis ; atqui in ea divisione neutrum dici potest. Neque enim populum eiusque conditionem praesentem spectare potest: nam is populus modo dictus est non populus meus (v. 9) ; qua igitur fronte vates illum nomine contrario consalutaret ? praesertim cum 2, 2 iterum ei dignitatis nomen explicite negetur. Et si explicaveris : qui populus meus esse et tamquam talis agere debes, id textui infers quod praecipuum est atque textum non explicas sed mutas. Vel si dixeris, id dirigi ad populum futurae instaurationis, iam quaero, qua ratione id cum sequenti cohaereat ? Nonne hiulca sunt omnia ? Scio Isaiam tali modo cp. 2 vaticinium ordiri ; sed adverte, qua ratione temporis discrimen efferat : *et erit in novissimis diebus* ... ita vaticinium vestit, sed ad suos suaque tempora conversus et adhortatur, quid faciendum sit : *venite et ambulemus in lumine Domini*, et ingens discrimen affert, quo a conditione illa futura separantur. At nihil tale nostro in loco. Iidem qui admonentur, ut populum tamquam Dei hereditatem salutent, eodem momento v. 2 iubentur, illum ut apostatam condemnare ! Cur igitur ea sociare velimus, quae maxime inter se repugnent ? At quomodo non repugnent, apta rerum divisio, quam *Hier.* et *Cyr.* ducibus fecimus, luculenter ostendit.

c) **Israel, uxor infidelis 2, 2-7.**

« Cum totam a principio usque ad finem oeconomiam enarrasset, transit iam in his ad detegenda crimina eorum, qui iuste reiecti fuerant » (*Cyr.*), redit enim ad concionem illis temporibus congruentem (*Ps. Ruf.*) et oratorio modo ipsos monet, ut rebus inspectis iudicium ferant : v. 2 « *Iudicate matrem vestram, iudicate, quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir eius. Auferat fornicationes suas a facie sua et adulteria sua de medio uberum suorum* » ! — Simili orationis schemate utitur Is. 5, 3. 4 (*Theod. Sanct.*) ; habet haec admonitio emphasin : tam foeda est mater vestra, ut nec vobis iudicantibus possit absolvi (*Ps. Ruf.*). Monentur ergo, ut reipublicae conditionem praeteritam et praesentem attente considerantes et maiores suos et seipsos arguant, accusent, damnent ; videbunt enim, matrem i. e. gentem suam fidem Deo non servasse, « pu-

ritatem spiritualis cum Deo communionis minimi duxisse, nec voluisse voluntatum Dei fructus parere » (*Cyr.*). Ita factum, ut foedus omni salute plenum iam plene sit dissolutum; excidit scil. synagoga a splendore, salute, divitiis, quae sponsam Dei decent, Deus iam non sponsus est et amicus, verum ultor, violatae fidei zelator et vindex. In misera rerum conditione in qua versantur, id satis experiuntur; quare miseriis exacerbati in tot malorum auctorem ut accusationes coniiciant, monet i. e. ut seipsos reprehendant, in maiorum et suis delictis causam calamitatum agnoscant. « Vos ipsi causas appendite, vos ipsi iudicate, utrum aliter debeat fieri » (*Rup.*).

Quorum malorum si eos taedeat, quomodo emergere possint, docet. « Vide clementiam viri : iam repudiata est, iam abiecta est, tamen praecipit filiis, ut ad matrem loquantur, loquantur autem ad poenitentiam provocantes » (*Hier.* sim. *Sanct.*). *Fornicationes* idolorum cultum (*Ephr. Cyr. Theod. M. Barh. Rib. Sanct. Lap.*) nominat et scelera idololatriae adnexa (cf. *Rup. Haim.*); *a facie sua* i. e. quorum scil. facies et vultus impudentiam peccatorum prae se ferunt; cf. Is. 3, 9 : « agnitio vultus eorum respondebit eis » i. e. vultus ipse eorum turpitudinem indicat ; vel « oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti » (2 Petr. 2, 14. *Rib.*). Eadem crimina vocat *adulteria*, quippe quae fidem Deo datam quam maxime violent et Dei sponsam summopere maculent; *de medio uberum* exponunt veteres : auferat talia ex corde, ex quo proficiscuntur cogitationes malae (*Theod. Rup. Haim. Theoph.*) [1]; recentiores imagines idolorum vel ornamenta intelligunt et phylacteria, quae ad pectus appensa in idolorum honorem et venerationem gestabantur (*Sanct. Lap. Tir. Scholz*). Cum idololatriae etiam omnis generis impudicitiae iungerentur, neque illorum sententia erit reprobanda, qui ornatum meretricium et irritamenta libidinis explicant (cf. *Rib. Mar. Men. Schegg*). Vitia igitur palam et impudenter committi, innuit; idololatriae indignitatem duplici comparatione effert : « fornicaria est, quae cum pluribus copulatur ; adultera, quae unum virum deserens alteri iungitur ; quorum utrumque est synagoga » (*Hier.*).

Monitionem et reprehensionem gravibus minis fulcit, quae in eadem imagine versantur : v. 3 « *ne forte exspoliam eam nudam et statuam eam secundum diem nativitatis suae, et ponam eam quasi solitudinem et statuam eam velut terram inviam et interficiam eam siti* ». — « Hunc locum omnium optime nobis exposuit Ezechiel cp. 16, ubi hunc sponsae statum plane miserabilem perquam apte et eleganter describit » (*Sanct.*);

---

1. *Ephr.* et *Barh.* illud *in facie* — publice, palam, ad Israel, hoc *de medio uberum* — occulte ac tecte, ad Iudam et cultus idololatrici modum in utroque reguo exercitum referunt.

minatur scil. se ablaturum omnem ornatum, omnemque gloriae temporalis cultum, privilegia protectionis, templi, ceterorumque quibus Deus populum suum prae aliis donaverat (cf. *Theod. M. Rup.*) eumque in illam miseriam reducturum, qua olim in Aegypto premebatur, « ubi paupercula, imbellis, abiecta, informis, carens rege, duce, tutore, lege, religione, immo Deo, exposita ludibrio, praedae, neci, miserrimam trahebat vitam» (*Tir.*). Hic enim erat « dies nativitatis » i. e. conditio illa in Aegypto « iugum portans tyrannidis, gratia Dei et dilectione et legali sapientia destituta » (*Cyr.*), ex qua Deus benignissimus sponsam assumpsit; idem apud Ez. qui hunc quasi locum commentans scribit: « et quando nata es ... non pepercit super te oculus . . . sed proiecta es super faciem terrae in abiectione animae tuae, in die qua nata es, transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo; vive, dixi, inquam, tibi; in sanguine tuo vive » (16, 4-6). Hanc omnimodam bonorum exspoliationem et malorum accumulationem triplici praeterea comparatione auget; solitudo vastitatis et horroris notionem affert; terra *arida* (hebr. gr. syr.) omni caret proventu et benedictione, in sterilitate et abiectione iacens, qua miseria miserrimam demum mortem subibit. Comparationes eo aptius a campis et agris desumuntur, quia *regio* simul cum habitatoribus ex V. T. norma affligitur, vastatur, sterilis ac deserta redditur (cf. Lev. 26, 16. 20. 32. Deut. 28, 23 etc.).

Atque hac communi totius reipublicae ruina et vastatione singuli quoque, quotquot scelerum socii erant, plectentur v. 4 « *et filiorum illius non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt* »; — auget miseriam communem casum et infortunium singulorum distincte proponens; ita nomen illud et omen filiae *Lo-ruchamah* explicat; filii fornicationum i. e. qui ad fornicariae i. e. idololatridis matris imitationem idololatrae et ipsi fuerunt (cf. *Theod. Cyr. Sanct. Lap.*).

Cur vero ita puniturus sit Deus, ratio redditur et simul, quae v. 2 dicta sunt, explicantur, cur scil. synagoga iam non sit uxor fidelis, et quibus se sceleribus polluerit: v. 5 « *quia fornicata est mater eorum, confusa est quae concepit eos, quia dixit: vadam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum, oleum meum et potum meum* »; — i. e. idola coluit et ignominia plena facta est turpitudine, se ipsam dehonestavit, sordibus replevit [1]. Quanto cum *ardore* idolorum cultui inhiaverit, verba depingunt, quibus idola magna

---

1. Ita הֹובִישָׁה *confusa est* bene vertit *S. Hier.* cf. Ier. 2, 26; 6, 15; 10, 14; 48, 20. Ioel 1, 12; neque opus est h. l. aliam substituere (cum *Hitz. Keil, Scholz*) notionem: ignominiose agere (i. e. הֵבִישׁ cf. Prov, 10, 5).

teneritudine compellat, firmum suum ac determinatum ea sequendi propositum (cf. *Alb.*) enuntiat et magno studio singula beneficia iis accepta referens explicita enumeratione recenset. Sunt quidem *amatores* primario loco idola; at quia sua sponte et reipsa simul cum cultu etiam aliarum gentium foedera, amicitiam, mores ambire solebant idololatrae (cf. Is. 2, 8; 30, 6; 31, 1. Ez. 16, 26. 28), etiam studium illud foederis ineundi cum exteris et ab illorum ope et subsidio florentem reipublicae statum sperandi h. l. censendum est describi et reprobari (cf. *Ps. Ruf. Rib. Sanct. Men.*).

Sponsi erat providere nuptae de victu totoque instructu sponsalitio atque mundo muliebri (*Sanct.*); victum iam et vestitum usque ad delicias redundantem idola praebuisse commendant (*Ps. Ruf.*); pane scil. et aqua omnia intelliguntur, quae ad victum spectant; lana et lino omne tegumentorum genus intellige; oleum est condimenti genus et unguentum odoriferum quoque, quo irrorantur mensae, cubilia, vestes, capita convivarum; potum varia vinorum et sicerarum genera dici (cf. Cant. 8, 2) probabile est (*Sanct.*). Ita « impudens mulier consectatui flagitiorum faciem utilitatis obtendit, ut sequi se amatores suos ob liberalitatem potius quam ob turpitudinem mentiatur » (*Ps. Ruf.*); similiter loquuntur idololatrae apud Ier. (44, 17): « facientes faciemus . . . ut sacrificemus reginae coeli et libemus ei libamina . . et saturati sumus panibus et bene nobis erat et malum non vidimus » etc. Propheta igitur indicat, adfuisse quandoque temporaneam quandam prosperitatem non obstante populi ducumque impietate, uti v. g. Ieroboam II regnante accidit (cf. 4 Reg. 14, 25 - 27).

Verum Deus, verus ac zelotypus sponsus, idemque populi ruinam miseratus, ut ad fidem et pietatem infidelem sponsam revocet, impedimentis oppositis viam illi ad adulteria praecludit, eamque calamitatibus attritam ad meliorem frugem reducit (cf. *Ephr. Sanct.*); ita v. 6 « *propter hoc ego sepiam viam tuam spinis et sepiam eam maceria et semitas suas non inveniet* »; — i. e. viam reddet difficillimam et asperrimam, ita ut spinis et sudibus sit obsita (cf. Iob 19, 8. Lament. 3, 7); quare illa libenter pedem retrahat; aedificabit maceriam (hebr.) i. e. muro exstructo viam intercludet, ne ingredi possit; ergo omnino efficaciter infidelem cohibebit; « sudes seu praeacutos palos appellat casus, quos expertus est Israel: bella dico, captivitates, famem, pericula, diuturnam servitutem » (*Cyr.*); « ipsa igitur poena misericordia plena est, quae eo tendit, ut impietatem cessare faciat » (*Theod. Theoph.*). Deus idola conteret eorumque potentiam nullam esse ostendet (Is. 2, 18; 44, 12 et seq. 46, 1 etc.); quare illa supplices adire iam non poterit; vel si conata fuerit, nihil subsidii vel solatii inde capiet: unde v. 7 « *et sequetur amato-*

res suos et non apprehendet, et quaeret eos et non inveniet, et dicet: vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc ». — Bene *S. Hier.*: « non invenies, ne apprehendas eos quos tanto studio sequebaris, ut rerum necessitate compulsa revertaris ad virum tuum et dicas illud de Evangelio : quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus ... surgam et ibo ad patrem ». Deus enim nunquam populum suum abiecit, uxorem infidelem non repudiavit (Is. 50, 1), verum constanter eam per prophetas ad reditum invitavit; ipse fide et promissione servata semper mansit *vir eius*. Quantae sint apud Deum providum utilitatis mala inflicta, inde colligit *S. Hier.*: « ex quo intelligimus, quod providentia Dei saepe nobis accidant mala, ne habeamus ea quae cupimus, et variis oppressi calamitatibus huius saeculi ac miseriis ad Dei servitutem redire cogamur ».

d) Poenae uxori infideli propositae 2, 8-13.

Denuo uxoris infidelis scelera exagitat eamque castigationibus ad saniora consilia se reducturum promittit. Haec autem repetitio animi commoti et indignabundi est, qui eadem apud se perpendere solet. Et primo quidem eius miratur stupiditatem respondens ad animi eius cogitationem (supra v. 5) : v. 8 « *Et haec nescivit, quia ego dedi ei frumentum et vinum et oleum et argentum multiplicavi ei et aurum, quae fecerunt Baal* » ; — i. e. scire et agnoscere noluit; « voluntariae tarditatis spectat invidiam secundum illud Davidicum : noluit intelligere, ut bene ageret » (*Ps. Ruf. Alb. Sanct.*) *et haec* i. e. ista, non sine emphasi et comtemptu quodam. Terram optimam, melle ac lacte fluentem, *Dominus* dederat, idque saepe inculcat : « Dominus dat vobis terram in hereditatem, Dominus pugnabit pro vobis (Deut. 3, 18. 22; 4, 38), ne diceres in corde tuo : fortitudo mea et robur manus meae haec mihi omnia praestiterunt » (Deut. 8, 17); argentum et aurum ipsa Palaestina non fert, at prosperis rerum eventibus (*Theod. M.*), bellis, commercio et frugum abundantia praecipue frumenti, olei, vini, mellis et variorum aromatum (cf. Ez. 27, 17), haec etiam metalla abunde Israelitae nacti sunt. Indignationem movet et ingrati stupidique animi est, quod ea Baal idolo Phoenicum consecrarunt, ea in cultum idololatricum, in sacra profana, in aras et statuas erogarunt (τῇ Βάαλ ἀνατιθέναι *Theoph.*) eo modo, quem Ez. 16, 17 reprehendit (cf. *Sanct.*); ita hebr. עָשׂוּ לַבָּעַל impenderunt in eius cultum, signa et phylacteria (uti *Sanct.* inter alia vult) et idola inde conficientes (cf. *Lap. Rib. Calm. Scholz*).

Oblationes primitiarum, festum tabernaculorum ideo erant instituta, ut populus beneficia etiam temporalia Domino ferret accepta. Quod cum negligerent et bonis in contumeliam Domini abuterentur, ea se ablatu-

rum minatus est; unde v. 9 « *idcirco convertar et sumam frumentum meum in tempore suo et vinum meum in tempore suo et liberabo lanam meam et linum meum, quae operiebant ignominiam eius* ». — Hebr. *ideo iterum auferam* i. e. uti anteactis temporibus iam rebelles afflixerat, cf. Iud. 6, 1 — 6; 10, 9; « grandem ipsis creabo sterilitatem; nam quo potissimum tempore frui bonis sperant, tunc omni repente erepto eis fructu consuetorum varietate damnorum obruam, rubigine, grandine et huiusmodi aliis » (*Theod. M.* sim. *Cyr. Theod.*), ita quidem, ut non casu sed a Domino haec fieri cognoscant. *Suo tempore,* nam « gravior poena est, quando in tempore messis et vindemiae speratae fruges auferuntur et vinum, et quodammodo tentae tolluntur e manibus » (*Hier.*). Enumeratio adeo distincta et repetitum illud *meum* sententiam reddit gravem, nervosam, ad animos percellendos factam.

Et liberabo, hebr. *et auferam* (*Mar.*); vim vocis latinae bene expendit *Sanct.*: illud liberari, quod iniuste ac violenter retineatur; Dei dona ab impiis quasi captiva teneri et creaturam invitam solum et coactam impiis servire et ab hac servitute liberationem expetere (Rom. 8, 21 — cf. *Hier. Alb. Rib. Lap. Calm.*). Iam haec omnia auferenda dicit, et uxorem infidelem ita spoliandam, ut non solum regium ornatum amittat, verum etiam ut coram aliis maximam subeat ignominiam (cf. v. 3. Ez. 16, 39). Id ulterius graviusque minatur v. 10 « *et nunc revelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius; et vir non eruet eam de manu mea* »; — vides hic *amatores* dici alios populos, quibuscum Israelitae se sociarunt foederibus initis, quorum mores aemulati sunt, uti etiam dii amatores dicuntur, id quod inde fluit, quia idolum gentis et gens ipsa una eademque gloria, terra, potentia, sorte frui censentur; quare idola dicuntur vinci, in captivitatem abduci, quando eorum cultores vincuntur etc. (cf. Is. 46, 1. Iud. 11, 24. Ier. 48, 7 et iam Ex. 12, 12). Coram illis igitur, quorum favorem et amicitiam ambiit uxor Israel, quam maximam sustinebit confusionem.

Hebr. נַבְלוּת est ἁπ. λεγ. — gr. vertitur ἀκαθαρσία; *Syrus* et *Chald.* vertunt uti in versu antecedente עֶרְוָתָהּ transtulerunt, et ita recentiores quoque (*Mar. Scholz*) explicant. *S. Hier.* vocem exponit (cf. *Rib. Calm.*) sicut נְבָלָה — id quod נָבָל loqui et agere solet; *stultus* vero est homo impius, scelestus, flagitiosus, quare Gen. 34, 7 vertit foedam rem, Deut. 22, 21 nefas, Iud. 20, 10 scelus.

Deus efficiet, ut sit derisui et contemptui omnibus; idque ea comparatione proponit, qua honestae mulieris summam confusionem exprimit (cf. Is. 47, 2. Nah. 3, 5. Ez. 16, 37 et seq.), neque quisquam id poterit avertere. Quam infirmum ac vanum sit subsidium humanum, quam stulta spes in hominibus reposita, inde discant!

Tristem populi conditionem futuram accuratius delineat v. 11 « *et cessare faciam omne gaudium eius, sollemnitatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius et omnia festa tempora eius* » ; — incipit a generali : omne id quod gaudium affert et laetitiam ; cf. Ier. 7, 34 : « et quiescere faciam vocem gaudii et vocem laetitiae, vocem sponsi et vocem sponsae » ; 16, 9. Etiam in festis diebus laetos agebant choros aliisque deliciis sese oblectabant ; cf. Lament. 5, 14. 15 ; quare omnem sollemnitatem esse cessaturam ait ; « posuit nomina feriarum, in quibus plurimum laetabatur, cum tota regio choreis, canticis epulisque lasciviret » (*Ps. Ruf.*) ; *sollemnitatem S. Hier.* tres illas maiores intelligit pascha, pentecosten et festum tabernaculorum ; dein festum kalendarum vel novilunii, quod singulis mensibus, tum sabbati, quod singulis hebdomadis celebrabatur, demum omnes festivitates uno nomine comprehendit (*S. Hier. Alb.*). *Scholz* ordine inverso *sollemnitatem* exponit generatim omnes dies festos complecti ; cf. Neh. 10, 33. Iam *Cyr.* adnotat, Israelitas dies festos a Moyse institutos partim Domino partim Baali celebrasse ; et revera, uti Domini cultum aliqua ratione retinuerunt sed ei idololatriam adiunxerunt, ita et dies festos usu olim receptos agebant aliosque etiam in idolorum cultum addebant (cf. 5, 6 ; 8, 13. Am. 4, 4).

Insuper opportunitatem dies ducendi geniales subtrahet annonae penuria v. 12 « *et corrumpam vineam eius et ficum eius, de quibus dixit : mercedes hae meae sunt, quas dederunt mihi amatores mei ; et ponam eam in saltum et comedet eam bestia agri* ». — Praecipuos terrae fructus commemorat, quibus Palaestina commendabatur, cf. Num. 13, 24 et « sedere sub vite et ficu » vitae felicissimae symbolum est ; cf. 3 Reg. 4, 25 ; Mich. 4, 4 ; 1 Mach. 14, 12. Deus vero augens minas non solum fructus esse tollendos ait, uti v. 9, verum spem omnem, cum vineta et ficeta sint corrumpenda vel hostium incursu exscindenda vel tempestatibus et sterilitate ferienda (cf. *Sanct. Rib.*). Si hostium invasione regio fertilis arboribus succisis devastatur, ab iis ipsis, ad quorum deos et idola confugerant, debitis poenis afficiuntur ; unde manibus palpare possunt, quam stultum fuerit terrae fertilitatem idolis referre acceptam. Talem vastationem in bellis cum Assyriis evenisse, nemo negabit. Prophetam vero non solum illam, verum totius terrae desolationem ob oculos habere, quae futura sit incolis in captivitatem abductis, membrum ultimum docet, in quo ait agros et campos et urbes habitatas in silvas et saltum [1] esse convertenda et cuncta a feris impune depascenda ; cf. Lev. 26, 22. Is. 7, 23 ; 27, 10. Mich. 3, 12.

---

1. LXX εἰς μαρτύριον, legebant לעד pro ליער, uti iam *S. Hier.* adnotat, « *res* et *daleth*

Hunc in modum poenas dabunt pro studio colendi Baal eique dies festos celebrandi : v. 13 « *et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, et ornabatur inaure sua et monili suo et ibat post amatores suos, et mei obliviscebatur, dicit Dominus* » ; — i. e. ultionem capiet (gr.) propter festa idolo celebrata, quibus thura et libamina offerebantur (cf. Ier. 44, 18), et ad quae cum omni ornatu accedebant, uti moris erat sacra celebrare (cf. *Sanct.*). Bene *S. Hier* : « servat personam meretricis, quae auro ornatur et gemmis, ut placeat amatoribus suis, et quidquid pulchritudinis non habet per naturam, arte conquirit ». Indignabundi animi est ea per singula enumerare, et vehementer dolentis efferre, quanto studio et ornatu deos secuta sit uxor adultera, Dei sui oblita !

נֶזֶם annulus est vel in naso vel in auribus gestatus ; notat *S. Hier.* ad Ez. 16, 12 «verbum hebr. נזם excepto Symmacho, qui interpretatus est ἐπιῤῥίνιον, omnes *inaurem* transtulerunt, ... quo circulus in similitudinem factus inaurium eodem vocabulo nuncupetur, et usque hodie inter cetera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere et imminere naribus» (cf.Is. 3, 21. Prov. 11, 22).

e) **Promissio salutis 2, 14-24.**

Uti supra v. 6, ita nunc Deus propter populi peccata et miseriam misericordia commotus exponit, quid remedii sit adhibiturus : v. 14 « *Propter hoc, ecce ego lactabo eam et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius* ». — Illud *propter hoc* insignem Dei misericordiam commendat : enumerata sunt scelera populi, dictum est, in quale barathrum sese proiecerint ; quid merentur tanta flagitia? «Sed tanta est Dei misericordia, ut quae ad commiserationem et ad opem tantis malis ferendam excitetur maxime» (*Rib.*) ; ita Ps. 11 : «propter miseriam inopum, nunc exsurgam, dicit Dominus».

Lactabo i. e. alliciam, verbis utar ad persuadendum mollibus et blandis, ut scil. me sequatur, et *ducam eam in solitudinem,* «sicut, supple, feci, de Aegypto egredientem» (*Alb.*) ; alludit ad ea, quae olim facta sint in Aegypto, ubi populum invitavit, ut se duce egrederetur ex servitute ipsumque in desertum sequeretur (cf. Ex. 3, 16, 17. Ier 2, 2). Uti olim in deserto populum suum edocuit, ad terrae promissae possessionem praeparavit et cultui divino et obedientiae assuefecit, ita nunc simili remedio se usurum spondet. Erit igitur periodus quaedam *praeparationis* ad instaurationem illam ; hanc epocham intermediam comparatione illustrat

---

literarum falsi similitudine ». Praeterea *bestiis agri* addunt καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς (cf. additamenta similia in v. 8), quae fluxerunt ex v. 18 ; cf. 4, 3.

commorationis in deserto; talis epocha fuit *exsilium;* quare Ezechiel hanc exsilii indolem optime perspiciens et nostrum locum praeclare illustrans dicit: « et adducam vos in desertum populorum » (20, 35). Ibi, dum avulsi a patria et exsules degunt et poenae magnitudinem sentiunt et Sionis desiderio et pristini Dei sui favoris recordatione et suspirio tenentur, *loquar ad cor eius* i. e. tunc Deus verbis efficacibus illorum animos movebit, ut Dei voluntati obsequantur; illorum corda emolliet [1].

Pergit in promissione: pollicetur, se ablata restituturum, ex tribulatione spem daturum et effecturum, ut sponsa fide antiqua ipsi adhaereat; v. 15 « *et dabo ei vinitores ex eodem loco et vallem Achor ad aperiendam spem et canet ibi iuxta dies iuventutis suae et iuxta dies ascensionis suae de terra Aegypti* »; — hebr. *et dabo ei vineas suas.*

Ita Syrus quoque et LXX κτήματα; *S. Hier* legit כֹּרְמִים [2] nunc כַּרְמֵים, ita quoque *Chald.* (vertit enim *gubernatores*, vel *pastores*) et forte ita quoque graeci aliqui codices legerunt, quia *Hier.* in Is. 65, 10 locum ex LXX affert hoc modo: et dabo possessores illius inde, et vallem Achor, ut aperiat intelligentiam illius (Migne t. 24 c. 638 — cf. *Rib. Sanct.*).

Dicit Deus, se *inde* i. e. ex illa solitudine quasi ortum ducentem illis restituturum esse vineas, quas ablaturum se esse antea minatus erat v. 9. 12; vel quod idem est, se illis ex illo deserto i. e. qui inde veniant, egrediantur, daturum esse vinitores; proinde reversuros esse, qui terram derelictam et vastam denuo sint culturi. Ergo reditum promittit. Sensus hic apertus est et facilis.

S. Hier. et latini interpretes *vinitores* exponunt principes, gubernatores *vineae Domini Israel* (cf. Is. 5, 7. Ps. 79, 9): sicut ex Aegypto scil. Deus dederit duces Moysen et Aaron, ita ex illo deserto se provisurum eos, qui populi duces atque cultores sint futuri (cf. *Rup. Haim. Lap. Tir.*). *Rib.* illud Is. 61, 5: *filii peregrinorum.. vinitores vestri erunt* i. e. vobis deservient, ad explicandum adhibet. At explicatio quam dedimus arcte et verbis inhaeret et ad antecedentia apta est; *Scholz* vocem interpretatur de iis, qui poenas repetant, de vindicibus (cf. Ier. 6, 9; Is. 1, 25); at *vinitores* esse vineae destructores vix credideris, et *postquam* populus ductus est in solitudinem ibique Domini allocutione edoctus, iam non poenis et vastatione affligitur; haec *antea* eveniunt.

---

1. *S. Hier.* candem locutionem alias reddidit: tristem delinivit blanditiis (Gen. 34, 3), blande ac leniter est locutus (Gen. 50, 21), volens reconciliari ei atque blandiri (Iud. 19, 3); ceterum locutioni etiam notio *consolationis* inest (cf. Is. 40, 2; Ruth 2, 13); hic ea erit praeferenda, quae eo tendit, ut cor alicuius capiatur et ad obsequendum et redamandum alliciatur (cf. *Sanct.*).

2. Cf. Is. 61, 5. Ier. 52, 16. Ioel 1, 11 — Ceterum *Aq.* ἀμπελῶνας αὐτῆς. *Sym.* ἀμπελουργοὺς αὐτῆς (cf. cod. syr. hexapl. p. 164. 509, a quo etiam lectio LXX κτήματα confirmatur, non κλήματα).

Hebr. *et vallem Achor* (dabo) *ad ostium spei* (*Sym.* εἰς θύραν ἐλπίδος); alluditur ad Ios. 7, 26 et vim vocis *Achor* : perturbatio, tribulatio; olim scil. peccato Achan expiato ex loco illo, qui illis afflictioni et cladi fuerat, novo Dei favore ditati ad capessendam terrae possessionem feliciter profecti sunt [1] ; ita nunc erit : vallis afflictionis ianua est et ostium *spei*; per afflictionem et miseriam ad felicitatem et salutem pervenient; «sicque illa vallis nova arva capientibus spem felicitatis aperuit, quam praecedentibus culpa concluserat» (*Ps. Ruf.*). Ibi olim clade et supplicio populus didicit, quid sit Dei mandata spernere; «erit quippe illi perquam utile cogi ad resipiscendum ;... facta in valle perversionis aperient intelligentiam eius, ut manifeste sciat, quem finem contemptorum facinus habiturum sit» (*Cyr. Theoph*. — gr. enim habetur : διανοῖξαι σύνεσιν αὐτῆς). — Illa perturbatio expiatione facta versa est in gaudium parta demum victoria de urbe Hai ; ita fore promittit, ut ex calamitatibus ingruentibus ostium magnum aperiatur ad sperandam Dei propitiationem, beneficentiam, salutem (*Rib.*).

Huic Dei invitationi populus *respondebit* (hebr.), uti olim vocem Dei ex Aegypto vocantis cum omni sedulitate suscepit et secutus est (cf. Ier. 2, 2); ibi sponsa Dei accita est, unde illi dies dies sunt iuventutis, prima populi Dei epocha, tempus primi amoris (cf. Ez. 16, 8-13) *et canet* [2] i. e. carmen eucharisticum et triumphale concinet in Dei liberatoris laudem animo grato et gaudenti, uti olim devictis Aegyptiis et in mare mersis : « cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est » (Ex. 15, 2 — cf. *Rib. Lap. Tir.*). Unde liberatio illa secunda et instauratio post exsilium futura cum prima servitutis solutione confertur; id quod deinceps sollemne est apud prophetas (cf. Is. 52, 4; 11, 15. Ier. 23, 7. Zach. 10, 11 etc.).

Quomodo sponsa vocanti Deo sit obsecutura, optime depingit v. 16 «*et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me Vir meus, et non vocabit me ultra Baali* »; — i. e. ad fidem et amorem unius veri Dei revertetur, eique omni religione et amore adhaerebit, in eoque tamquam in sponso, qui omnia bona et summam salutem dabit, plane acquiescet. Hanc fidem ita exhibet vates, ut dicat populum iam non, uti eousque, cultum idoli Baal sociaturum cum Domini cultu : *non vocabit me ultra Baal meus.*

---

1. Cf. *Alb.* : « Achan interfecto debilitas populi versa est in fortitudinem, paupertas in abundantiam, tristitia in gaudium : quae omnia in valle poenitentiae se promittit daturum »..

2. Notat *Hier.* : ubi nos posuimus canet et LXX transtulerunt *humiliabitur*, in hebr. scriptum est ענתה, quod Symmachus interpretatus est *affligetur*, Theodotion *respondebit*, Aquila *obediet* i. e. ὑπακούσει ; nos ab Hebraeo κατὰ λέξιν magis accipimus i. e. *praecinet*... canat igitur et laetetur, et regnum Christi ac suam salutem inter ecclesiae choros concinat ». Et fatetur, se ita propter Ex. 15 vertisse, cum עָנָה sit inter alia *praecinere*, *carmine celebrare*, cf. Ex. 15, 21. Num. 21, 17. Ps. 147, 7. 1 Sam. 18, 7. 21, 12. 29, 5. Esdr. 3, 11.

Bene advertit *S. Hier.* : «cum utroque sermone *issi*, et *baali* (בַּעֲלִי אִישִׁי) [1] appelletur *vir meus*, sive *maritus meus*, tantum odi idolorum nomina, ut etiam quod bene dici potest, propter ambiguitatem et verbi similitudinem nequaquam velim dici; et *Ps. Ruf.* « toto siquidem corde mihi sociabitur, ita ut non me ulterius ex interpolatione veneretur, sed continuum mihi cultum, mihi continuum impendet affectum, meque tantum virum suum appellabit et Dominum».

Hancque mentis innovationem Dei opere et gratia fieri (cf. *Theoph.*) ostendit v. 17 « *et auferam nomina Baalim de ore eius et non recordabitur ultra nominis eorum* » ; — tam longe Deus eam a cultu idolorum removebit, ut ne nominum quidem recordetur i. e. res nomine expressa plane auferetur Dei ope (cf. Mich. 5, 12. Zach. 13, 2). Et révera hunc fructum tulit exsilium, ut reduces iam non ad idola deflecterent. Et ita tempus post exsilium subsequens vere fuit *inchoatio* quaedam et *praeparatio* ad messianicam instaurationem, qua quae hic promittuntur plene demum efficiuntur : novus scil. populus messianicus, Ecclesia, indefectibilis est sanctitatis et fidei.

Iam quid et quantum salutis ac beatitatis in illo *Vir meus* Dei benignitate contineatur, latius prosequitur : Deus sponsam facti poenitentem omni dilectione recipit, foedus gloriose instaurat, bona dotalia in immensum auget et vera sanctitate eaque perpetua sponsam in sui amoris complexu perpetuo retinet. Primo dicit, cum foedus priscum infidelitate sit violatum et populi inter gentes eiectione quasi factum irritum (cf. 1, 9), se foedus instauraturum : v. 18 « *et percutiam cum eis foedus in die illa cum bestia agri et cum volucre coeli et cum reptili terrae et arcum et gladium et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter* ». — Hebr. *et percutiam eis foedus* (ut habet *Hier.* in comment. cf. *Rib. Sa, Mar. Men. Tir.*) i. e. vi foederis divini omnia erunt eis amica; uti in statu innocentiae homo plenum habuit dominium terrae et bestiarum, ita per peccatum ordo ille turbatus est et creatura armata in ultionem iniquitatis (cf. Sap. 5, 21); quare supra minatus est v. 12 *comedent eam bestiae agri,* nunc vero pacem ac securitatem pollicetur [2] (cf. *Cyr.*), quae sit pacis cum Deo et sanctitatis quasi imago (cf. *Ps. Ruf. Theoph.*); cf. Lev. 26, 6 : « dabo pacem in finibus vestris; dormietis et non erit, qui exterreat; auferam malas bestias et gladius non transibit terminos vestros » cf. Is. 11, 6. Iob 5, 22. 23; bellis ablatis summae pacis tranquillitatem et fruitionem pollicetur; arma, quibus

---

1. *Baer-Delitzsch* ediderunt בַּעֲלִי « ajin habet scheba simplex quiescens praeeuntibus cod. in Complut. » etc. p. 60

2. LXX κατοικιῶ σε sim. *Sym.* et *Theod.* sed *Aq.* κοιμήσω. *Syrus* et *Chald.* vertunt שְׁרָא.

eminus et cominus pugnatur (cf. *Alb.*) et reliquum apparatum bellicum dicit se contriturum (cf. Is. 2, 4. Mich. 4, 4); talis est enim instaurationis et regni Dei, qui est pacis auctor, indoles, ut ii, qui totis animis sese Deo dedunt, perpetua pace et ipsi fruantur (cf. *Haimo, Rup. Theoph. Rib.*) et pacis suavitatem ubique promoveant. Electi Dei summa securitate fruentur ablato omni terrore hostili. Pax illa et secura felicitas continuo inter divina instaurationis promissa effertur estque praeambulum et symbolum illius, cuius perpetua vox est : *pax vobis, pacem meam do vobis* (cf. *Cyr.*).

Hucusque foedus a bonis, ut ita dicam, potius externis, a securitate et pace et quiete tranquilla descripsit. Iam ad altissimum horum bonorum fontem progreditur et foedus Domini quantae sit sublimitatis proponit v. 19 « *et sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et in misericordia et in miserationibus;* v. 20 *et sponsabo te mihi in fide et scies, quia ego Dominus* ». — Bene *Rup.* : « mira familiaritas, mira gratia ! mulier ista fornicatrix fuerat.. ecce autem ad desponsationem adducitur et convertitur ad illam amator Deus, et inter blanditias ineffabiles sponsa fore promittitur, quasi virgo, immo vere virgo.... talis animarum amator Deus ut quantumcumque anima fornicata fuerit, statim ut Deo vero per fidem coniungitur, virgo sit » et sim. *S. Hier.* Et revera vox ארש non nisi de virginis desponsatione adhibetur (cf. *Keil, Scholz*), ita ut Deus nova quasi creatione et immutatione ex fornicaria illa virginem dicatur efficere. Ter in modum laetabundi et triumphantis exclamat : *sponsabo te mihi :* quanto quasi desiderio et gaudio Deus amator hanc hominis elevationem anhelat ; optima sane illius Sponsi descriptio, qui desiderio desideravit et coarctatus est, donec in baptismo sanguinis eam perficeret desponsationem, et qui illam cum unaquaque anima inire gestit ! Eam fore ait *a*) *perpetuam,* i. e. non iam, uti synagoga fecit, violandam ; erit autem sempiterna, quia *b*) *in iustitia,* i. e. desponsatione sponsam sanctitate donabit, vera illa iustitia, quae valeat coram Deo et quam Deus hominibus inesse vult ; haec iustitia et sanctitas opus est Messiae (cf. Ps. 71, 3. 7. Is. 11, 4. 5; 32, 17 ; 33, 5 ; 45, 8 ; 51, 6 etc. Ier. 23, 5. Dan. 9, 24) ; hunc vero rectum ordinem Deus est effecturus simul *c*) *in iudicio* vel in iure i. e. iudicium exercens et ultionem in adversarios (cf. *Theod. M. Sanct. Rib. Men. Tir.*) ; haec duo saepe coniuncta apparent in epocha messianica, quae iudicio in gentes instituto inducitur et adversariorum prostratione (cf. Is. 2, 4 ; 11, 4 ; 33, 5. Ier. 33, 15. Mal. 3, 3. Agg. 2, 8). Hoc *iudicio* firmam fore desponsationem promittit et invictam contra omnes impetus hostiles ; praeformatur scil. illud : « non praevalebunt adversum te » ; Deus

nempe suum cuique *ius* tribuit et ordinem *iuris* statuit et sustinet, qui inimicorum punitionem, exaltationem amicorum postulat.

Hos amicos omni benevolentia complectitur; inde *d*) *in misericordia* (חֶסֶד in gratia, amore, in benignitate, in tenero affectu) uti decet sponsum, qui viscera induit miserationum : *in miserationibus :* omnes scil. viae Domini misericordia et veritas; et misericordia eius super omnia opera eius ; optime Domini amor *bis* exprimitur, ut eius abundantia significetur, quae in gratia et humanitate Salvatoris demum plane apparuit. Hoc vero foedus erit *e*) in *fide* i. e. in fidelitate, constantia (cf. *Alb. Mar. Men. Tir.*); sine poenitentia enim sunt dona Dei; hancque foederis perennitatem et indefectibilitatem eo potiore iure effert ut insigne novae desponsationis decus, quia synagoga turpiter foedus prius violaverat. Membrum hoc ultimum ad primum redit; impletio adest in regni messianici (Ecclesiae Christi) sanctitate et fide perpetua : « rogavi pro te, ne deficiat fides tua; Pater, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi » !

Haec cum fiunt, *scies* i. e. experimento cognosces (*Sanct.*), *quia ego Iahve* [1] i. e. ὁ ὤν, qui actus purissimus in se omnisque *esse* fons ac principium, hoc suum nomen *essentiale* foederi cum hominibus gratiose ineundo praefixit, ut indicaret et *se* in opus deducere illud et ope illius se homines elevaturum ad suae essentiae intuitionem. Ita enim impletione edocti perspicimus, quare Deus in promissionibus Patriarchis datis sollemni utatur formula : *ego Iahve,* cum vel omnium promissionum per saeculorum cursum implendorum cumulum proponit (cf. Gen. 12, 1; 18, 18; 22, 17; 26, 2—5; 27, 27 (cf. v. 7); 28, 13) vel foederis primam exsecutionem in terra Chanaan danda speciatim pollicetur (Gen. 12, 7; 13, 15; 15, 7. 18; 24, 7). Inde quoque elucet, cur foederis primam impletionem moliturus nomen hoc essentiale sollemni ratione ei epochae tamquam symbolum et omen assignet (Ex. 3, 14), vult scil. nunc se prodere ut Deum *exsecutorem* et *operatorem* foederis; terra vero Chanaan eiusque pacifica possessio typus est et figura regni messianici (cf. Matth. 5, 4. Hebr. 4), cuius terminus et beatitudo in Dei essentia intuitive visa consistit.

Quid igitur mirum, si Deus tali foederi nomen suum essentiale innexuerit? Proinde *scies* i. e. ipso facto, ipsa experientia cognoscetis,

1. Textus mas. habet, ut LXX et Syrus : et scies I. — At codex babylonicus ex anno 916 c m multis codicibus apud de Rossi fert וידעת כי אני יהוה ut refert *Ginsburg* (Transactions of the Society of biblical Archeology 1876; vol. V part 1 p. 135). Cum hac lectione adamussim concordat *Hier.*

me esse Deum foederis immutabilem, aeternum. Nominis sui, i. e. essentiae suae pignus tamquam impletionis arrham et vadimonium exhibet. Praeterea maiorem Dei cognitionem tempori renovationis promittit (cf. Is. 11, 9. Ier. 31, 33). Iam in subsequentibus imagine ad *V. T. indolem* adaptata docet huius foederis effectum, qui in rerum natura et gubernatione reluceat. Sicuti enim peccato ipsa etiam creatura maledicto est subiecta (Gen. 3, 17) et invita gemit corruptionis servitute (Rom. 8, 20. 21), ita novae salutis et reparationis etiam ipsa suo modo erit particeps. Ad peccatores puniendos terrae vastationi et sterilitati traduntur a Domino; ubertas vero et felix prosperitas et laeta amoenitas sanctos comitatur (cf. Lev. 26, 3—11, Deut. 28, 3—14), et pacis serenitas in natura rerum refulgebit. Quare pergit v. 21 « *et erit in die illa : exaudiam, dicit Dominus, coelos et illi exaudient terram;* v. 22 *et terra exaudiet triticum et vinum et oleum, et haec exaudient Iezrahel* ». — Eleganti utitur ac poetica prosopopoeia; finguntur enim creaturae inanimes orantes Dominum, ut ipsis abunde largiatur pro cuiusque natura, quod ipsi postea in hominum usum ac delicias effundant. Coeli efflagitant a Domino, ut ipsi largis gravidentur imbribus, quibus terram talem irrigationem postulantem fecundent; terra illam expetit, quia semina ei concredita talem succum, tale alimentum postulant ab ipsa; semina autem crescere et in fructus ac fruges adolescere desiderant, ut necessitatibus hominis satisfaciant (cf. *Theoph. Sanct. Rib. Lap.*). Bene notat *Lap.*: « haec gradatio significat tum miram fertilitatem bonorum etiam temporalium, quam populo suo pollicetur Deus, tum subordinationem congruam et ordinatam causarum secundarum seriem a Deo institutam, qua infimae a mediis, mediae a summis, summae a Deo pendent et reguntur »; cf. Is. 5, 6 : « nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem » (*Cyr. Theoph.*). Dicit *Iezrahel* i. e. nomen filii usurpat, qui populo omen [1] et portentum datus est (*Theoph.*), sed qui nunc vi nominis *semen Dei* (*Hier. Cyr. Alb. Rib. Men.*), vel Dei plantatio et agricultura (*Theod.*) sit effectus et cui largissima Dei benedictio adest. Nomen, quod scelus et poenam in mentem revocavit ex rebus gestis et Domini minis, iam in nomen salutis optimique augurii mutatur, ut indicetur, *eidem* populo, dummodo resipiscat, Dei adfore gratiam. Israel iterum Dei fore iucundam plantationem (cf. Is. 27, 2—6) et ideo nomen Iezrahel usurpari, docet versu sequenti ipso usu vocis זָרַע *seminare* (cf. *Ephr. Mar.*). Promittit

---

1. Ita sane ob 1, 4; id quod certo propius adiacet, quam quod *Alb.* vult : « I. metropolis Samariae Samariam signat, Samaria per metonymiam decem tribus »; vel quod *Calm.* praefert, esse sermonem de valle uberrima Iezrahel. Bene exponit *Chald.* populum meum.

igitur Deus terrae fertilitatem, sed eam tamquam altiorum bonorum symbolum et indicium; ipsa enim prosperitas externa pro indole promissionum (Lev. 26. Deut. 28) propositarum index est sanctitatis internae [1]. Atque bona haec spiritualia praecipue spectari, elucet ex v. 23 « *et seminabo mihi eam in terra et miserebor eius, quae fuit absque misericordia,* v. 24 *et dicam non populo meo : populus meus es tu; et ipse dicet: Deus meus es tu* ». — Dicit *eam*, quia de sponsa sermonem intulerat; *seminare* est curam agere, abundantiam concedere, genus propagare et multiplicare (*Sanct.*), uti Ier. 31, 27 (*Lap.*); *in terra;* nam reditus in Palaestinam melioris conditionis est inchoatio quaedam, quare bene *Ps. Ruf.* : « haec autem, ut diximus, suavitas gaudiorum et in illa aetate praelusit, cum est Babylonis soluta captivitas, et reddita est Apostolorum tempore cumulatior », id quod alii *typice* sub Zorobabele et *vere* ac *complete* Messiae tempore et regno factum esse eadem sententia censent (cf. *Theod. Theoph. Sanct. Lap. Tir. Calm.*). Quare incolatus Palaestinae post exsilium futurus certe promittitur (*Theod. M.*); at ibi minime est sistendum; complectitur enim promissionum amplitudo totam instaurationis epocham, cuius ille non est nisi debile praeludium. Optime vero Dei reconciliationem et summam, quam in suos effundet benignitatem ita exhibet, ut nomina illa poenae et abiectionis auguria *Lo-ruchamah, Lo-ami* (1, 6. 9) mutet in nomina salutis ac spei plena; bene notat *Lap.* רחם *intimum* notare affectum dilectionis ac miserationis. Uti igitur *scelera* et *peccata* procrearunt nomina infausta, ita bona iis opposita, i. e. *spiritualia* faustis nominibus designantur. Mutua illa Dei et populi inter se consalutatio et appellatio novi foederis unionem dilectione mutua completam et mutua laetitia et gaudio auctam optime depingit. In hebr. populus exclamat : *Deus meus* hac una voce totum pandens animi affectum. Hic est demum totius salutis terminus, hic scopus, haec summa, ut nos simus Dei et Deus sit bonum nostrum, ut Deus sit omnia in omnibus. Quare sacer vates hac formula concludens ultimum et felicissimum salutis fastigium in Dei amplexu et fruitione sempiterna nobis depingit. Haec est igitur praeclara illa meta, ad quam castigationes ac calamitates populum adducere debent, hoc ostium spei, quod vallis Achor, haec lacrimarum vallis aperit.

f) Via ad instaurationem 3, 1-5.

Postquam salutem et instaurationem futuram in antecedentibus descrip-

---

1. Notat *S. Hier.* : « quae omnia Iudaei et nostri Iudaizantes post Antichristum in fine mundi corporaliter praestolantur ».

sit,nunc accuratius viam ostendit, qua ad illam perveniendum sit; atque primo quidem « rursus ad praesentis temporis statum sermonem reducit » (*Ps. Ruf.*) et uti priore matrimonio cp. 1 Domini benignam clementiam adumbraverat in populo ex summa miseria adoptando, ita iam altero populi infidelitatem et castigationem delineari Dominus iubet. Erat enim, ut iam *Alb.* advertit, similitudo prima, cum *infidelitatem* populi non ita exhiberet, ad populi malitiam repraesentandam non sufficiens, neque perfecte omnem foederis conditionem exprimebat (sim. *Lap.*).

Quare 3, 1 : « *Et dixit Dominus ad me : adhuc vade et dilige mulierem dilectam amico et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel, et ipsi respiciunt ad deos alienos et diligunt vinacia uvarum*». — *Adhuc* i. e. iterum, ut id quod priori matrimonio desit in ratione imaginis, populi scil. a foedere defectio, suppleatur. Mulierem hanc *aliam* esse a Gomer, plerique perspiciunt (cf. *Hier. Cyr. Theoph. Theod. M. Lap. Scholz*) et iam *Haimo, Rup. Sanct.* totam populi conditionem in *duabus* mulieribus depingi etiam ab Ez. 23, 2 illustrationis causa adnotant. Nam hanc mulierem non esse Gomer, uti volunt *Rib. Schegg* aliique, clare indicatur : a) locutione indeterminata : mulierem *aliquam,* sine articulo aut alia determinatione, quae non deesse posset, si *suae* uxori iterum amoris signa exhibere iuberetur; b) nihil suadet, Gomer adulteria admisisse neque decet, mulierem adulteram domi a propheta ita retineri, ut libere libidini inserviat et denuo a propheta ad cohabitationem admittatur; c) quomodo Gomer uxorem suam sibi emisse v. 3 dici possit, nulla ratione intelligitur.

Iubetur propheta matrimonium contrahere cum muliere, quam infidelem *fore* Deus ei praedicit. Bene *Haimo* : « sensus est hic : tu quidem eam diligis, sed ipsa debita vicissitudine non te diligit, quoniam potius tuum negligens amorem adultera est » ; scil. futurum est, ut postquam cum illa inierit matrimonium, illa fidem violet; ita ex eventu futuro et praeviso eam statim vocat : *dilectam amico et adulteram*, amicus רֵעַ non est *maritus* (*Lap. Tir. Schegg*), sed *amasius, adulter* (*Alb. Sanct. Scholz*).

LXX vertunt γυναῖκα ἀγαπῶσαν πονηρὰ, et eodem modo *Syrus,* legerunt itaque אֹהֶבֶת, non uti textus *mas.* et *Hier* [1]. *Aq. Sym.* אֲהֻבַת ; et certe *illa* lectio est praeferenda : mulierem, quae diliget amasium ; nam a) id demum mulieri vitio vertitur ; *diligi* ab altero viro etiam innocenti accidere potest ; b) ita requiritur ipsa expli-

---

1. Ceterum *S. Hier.* in prologo ad Osee utramque lectionem ex aequo affert scribens : dilectam amico sive diligentem mala ; similiter in com.

catione textus subiuncta: *ipsi respiciunt et diligunt,* quod membrum eam symboli partem declarat.

Quid hoc mandatum sibi velit, Deus exponit: dilige tu i. e. matrimonio copulare, sicut Dominus sibi adiunxit filios Israel; sed amor suus a muliere ingratitudine et scelere rependetur, uti Dei amor a filiis Israel; ita singula versus membra apte inter se correspondent [1]; *amasii* Israel sunt dii alieni, quos Israel diligit; hebr.: *et ipsi respicientes*, i. e. sese convertentes continuo ad deos alienos (cf. Deut. 29, 17; 31, 18 hebr. inde scil. haec locutio deprompta est) et *diligentes liba* (placentas) *uvarum* i. e. liba mellita ex uvis passis, quae idolis oblata epulis in sacrificialibus comedebantur et certe etiam deorum symbolis erant insignita (cf. Ier. 7, 18); hisce epulis idolorum accumbentes adulteria committere dicebantur, idque optime; epulae enim sacrificiales revera intimam quandam cum deo communionem et coniunctionem significant et efficiunt (cf. 1 Cor. 10, 20) [2].

Mandatum Dei propheta exsequitur; v. 2 « *et fodi eam mihi quindecim argenteis et coro hordei et dimidio coro hordei* »; — i. e. emi eam [3]; Hac coemptione vates ostendit, se illam in uxorem adscivisse; nam pro sponsa parentibus certum solvi pretium, non erat insuetum. Iam *Rib. Sanct. Lap.* pro hoc usu monent, Iacobum multorum annorum servitio sibi Rachel acquisivisse (Gen. 29), Sichem dicere: « augete dotem et munera postulate et libenter tribuam, quod petieritis; tantum date mihi puellam hanc uxorem » (Gen. 34, 12), et David dicere, se sibi Michol uxorem despondisse centum praeputiis Philisthiim (2 Reg. 3, 14). Pretium constabat quindecim siclis (quorum unus circiter M. 2, 60 monetae germanicae, Franc. 3, 25 gallicae — cf. *Scholz*), chomer vel coro hordei i. e. triginta modiis (*Hier.*) et lethech [4] « quod ceteri interpretes ἡμίκορον transtulerunt i. e. *mediam partem cori,* quae facit quindecim modios » (*Hier.*). Cum chomer 10 epha constabat, 15 epha hordei et

1. Amor scil. prophetae in mulierem et Dei amor in filios Israel; mulier diligens amasium et filii Israel respicientes ad deos; mulier adultera et filii Israel accumbentes epulis idolorum, diligentes cupedias, liba uvarum diis oblata.

2. Notat *S. Hier.*: « pro *pemmatibus* quae LXX transtulerunt (φίλουσιν πέμματα μετὰ σταφίδων), et comeduntur cum uvis passis, sive vinaciis, *placentas* latine possumus dicere, vel *crustula,* quae idolis offeruntur et graece appellantur πόπανα ». Eandem vocem אֲשִׁישָׁה 2 Reg. 6, 19 et 1 Par. 16, 3 vertit *similam frixam oleo* et Cant. 2, 5 *flores*.

3. Ita כָּרָה adhibetur Deut. 2, 6. Gen. 50, 5 (uti iam notant *Sanct. Rib. Lap. Mar. Tir.*); simili modo LXX ἐμισθωσάμην, et emendi notionem etiam exprimunt *Chald.* et *Syrus*, et recentiores (*Keil, Scholz*). Cur interpres *vulg. fodi* retinuerit, *Rib.* respondet eum saepe hebraico more interpretari i. e. hebraici vocabuli significationem imitari.

4. LXX καὶ νέβελ οἴνου Sim. *Sym.* (ἀσκοῦ οἴνου) et *Theod.*

15 siclos pro sponsa emenda insumpsit; censent aliqui ita pretium 30 siclorum, quo fere serva emi poterat, exprimi (cf. *Schegg*). Sed quidquid est, cum *Sanct.* dicere satis erit, vatem obtulisse aut quod paratum habuerit in fortuna tenui aut quod sibi visum sit idoneum pro conditione ac meritis feminae. Certe tali pretio illam ex infima conditione fuisse satis patet; unde populi conditio prisca bene adumbratur (cf. Ez. 16, 4). Mandato Domini: *dilige mulierem* quae voces rem uxoriam omnino dicunt, et hac coemptione et iis, quae v. 3 dicuntur et ipsa significatione, qua Domini foedus cum populo exprimendum erat, sententia illorum excluditur, qui volunt prophetam alterius viri uxorem adulteram sibi in *ancillam* emisse, eamque domi inclusam servasse castam (cf. *Lap.* qui eam vocat probabiliorem, et *Rohling,* qui eam sequitur).

Reliqua, quae propheta explicite non refert, ex v. 1 et symbolica significatione satis per se intelliguntur; scil. matrimonio contracto mulierem illam fide violata adulterium commisisse vel saltem attentasse; statim narrat, quomodo adulteram punierit et ab occasione peccandi removerit; v. 3 « *et dixi ad eam: dies multos exspectabis me; non fornicaberis et non eris viro; sed et ego exspectabo te* »; — hebr. *dies multos sedebis mihi* i. e. eris seclusa et ab omni circumcursatione quiesces; qui sunt in captivitate et luctu, *sedere* dicuntur (Is. 3, 26; 42, 7. *Scholz*); *mihi* aliquid comminatorii habet: ego faciam, ut ... In hac seclusione et peccandi licentia privata est et ab ipso etiam marito separata; nulla consolatione fruetur neque ab amasio, neque a viro. In ultimo membro hebr. *et etiam ego ad te,* i. e. ita etiam ego ero ratione tui, ero contra te, me alienum a te et separatum exhibebo (*Keil, Scholz*) vel *ego ad te*[1] respiciam, sensu promissorio (*Cyr. Sa, Lap.*). *S. Hier.* potius priori sensu intellexisse videtur, scribit enim: « ac ne putes, factam tibi iniuriam, quia dixi *exspectabis me,* par pari referam: *et ego exspectabo te* » id quod solum esse potest: ego a te separatus manebo.

Iam quid haec pro populo significent, proponit v. 4 « *quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephod et sine theraphim* »; — i. e. sedebunt in luctu, republica dissoluta, cultu sacro cessante, alieni tamen ab idololatria; ita theocratia (regno et sacerdotum officio interrupto) erat destructa, i. e. Dominus a sponsa infideli recesserat neque eam suis amplexibus recreabat; hac vero castigatione ab idololatria retrahebatur.

Regem et *principem* commemorat, uti alias praeter reges crebro principum

1. LXX καὶ ἐγὼ ἐπὶ σοί. *Sym.* ἀλλὰ καὶ ἐγὼ σοί.

populi, magistratuum, nobilium, iudicum mentio fit; enumeratio distincta *sine sacrificio* etc. ad emphasin fit, ut rerum sacrarum ablatio oculis quasi subiiciatur; *sine altari,* ita LXX quoque et *Syrus*; legerunt itaque מִזְבֵּחַ; textus mas. fert מַצֵּבָה columna, titulus, monumentum (cf. Gen. 28, 18. 22; 31, 45; 35, 14; Is. 19, 19); huiusmodi signa etiam in idolorum honorem erigebantur (cf. Lev. 26, 1. 4 Reg. 3, 2; 10, 26. 27. Ier. 43, 13. Mich. 5, 12); *statuas* multi intelligunt (ita saepe vertit *vulg.*, *Ges.* Thes. ling. hebr.), alii non statuas, sed cippos, columnas, obeliscos, lapides in rei alicuius memoriam vel idolorum symbola erecta dici volunt (cf. *Fürst C. Scholz* — et revera LXX vocem vertunt στήλη, στήλωμα, στύλος, ὑπόστασις, θήκη; huic significationi etiam accedit *Chald.* קָמָא et *reliqui* graeci μὴ ὄντος στηλώματος — cf. cod. syr. hexapl.). Igitur secundum hanc lectionem ponit propheta modo ea, quae ad veri Dei cultum, modo, quae ad idola spectant, ut verborum intermixtione etiam illam « in duas partes claudicationem » et cultus permixtionem reprehendat. Idem habes in seq. *sine ephod et sine theraphim.* Illud *amictus* erat vel *humerale, superhumerale (vulg.),* sacerdotalis vestitus pars, duabus constans plagulis, quarum anterior pectus, posterior tergum tegebat, manicis carens; gestabatur super tunica et pallio (cf. Ex. 28, 6; 29, 5) — unde sacerdotii insigne [1] h. l. ponitur, quare LXX bene ἱερατεία h. l. dicunt, alias ἐπωμίς. Erat ephod duplex; alterum soli summo sacerdoti proprium, in quo erat *choschen,* LXX λογεῖον, *vulg.* rationale et *urim* et *thummim* (cf. Ex. 28, 29. Lev. 8, 8); hisce Pontifex erat indutus, cum Dominum de causa communi consuleret et ab eo responsum acciperet (cf. Num. 27, 21. 1 Reg. 23, 9; 28, 6; 30, 7 — vide *P. Scholz,* die heiligen Alterthümer des Volkes Israel I p. 105 et seq.); unde praeter sacerdotium etiam auferenda esse dicit oracula illa et divina responsa, quae Deus per Pontifices dare saepe dignatus erat (*Lap.*). Alterum ephod genus erat lineum, quo sacerdotes ordinis infimi, immo etiam levitae (cf. 1 Reg. 2, 18) atque etiam laici, cum cultu sacro occuparentur, induebantur (cf. 2 Reg. 6, 14. 1 Par. 16, 27 — *Scholz* l. c. p. 25).

Theraphim ad idololatriam spectabant; erant simulacra domestica, *penates (cf. Fürst C.),* figuram humanam habebant (1 Reg. 19, 13) et ab iis oracula expetebantur (Ez. 21, 26 hebr. Zach. 10, 2); ultimum h. l. respiciunt LXX δῆλοι, « pro quibus Aquila φωτισμούς transtulit et haec ipsa sunt in λογείῳ, i. e. in rationali » (*Hier. Cyr. Theod. Theoph.*); idem spectat *Chald.* מְחַוִּי i. e. annuntiantes, loquentes (cf. *Levy,* Chald. Woerterb. ü. d. Targumim s.v. *P. Scholz* l. c. 112; *v. Haneberg,* die relig. Alterthümer der Bibel p. 62).

At haec populi seclusio et arcta custodia via est ad salutem: « sola vexatio intellectum dabit » (Is. 28, 19); nam vallis Achor ostium est spei cf. 2, 15. 6. 1, 10. Quare pergit v. 5 « *et post haec revertentur filii Is-*

---

1. Iude forte explicari potest Iud. 8,27; sacerdotii symbolum et apparatus pro ipso cultu exhibetur.

rael et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum et pavebunt ad Dominum et ad bonum eius in novissimo dierum ». — Dominum colent toto corde eique adhaerebunt, id scil. est *quaerere* Dominum ; *David* [1] rex est ille rex sempiternus, Davidi promissus (2 Reg. 7, 14) qui sceptrum Iudae geret, cui est populorum obedientia (Gen. 49, 10), qui est dominator in Israel (2 Reg. 23, 3. Mich. 5, 2), qui ex stirpe David oriundus (Is. 11, 1) tamquam alter David egredietur ex Bethlehem (Mich. 5, 2), pastor erit populi sui, et nomine David consalutatur (cf. Ier. 23, 5 ; 30, 9. Ez. 34, 23. 24 ; 37, 24. 25), cuius est imperium, qui super solium David et regnum eius sedebit, ut confirmet illud ac corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum (Is. 9, 7) et cui Dominus ius imperii dabit (Ez. 21, 27).

Hoc vaticinio Osee complet illa, quae 1, 10 ; 2, 18. 19 de futura instauratione dixerat, *eum* scil. designans, qui congregaturus est Israel, foedus novum initurus, sponsam sibi desponsaturus, nomine Dei bona illa verae sanctitatis cum populo Dei electo communicaturus.

Eo tempore summa reverentia et veneratione (*pavebunt* cf. *Lap.*) et maxima observantia et religione (*Sanct.*) animos ad Dominum convertent conversosque servabunt et *ad bonum eius,* ad dulcia illa ac suavia et verae beatitatis fecundissima, quae 2, 19 - 24 latius est prosecutus ; idque fore ait *in novissimo dierum*, in fine dierum (*Chald.*), extremo tempore, LXX ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν. Ita *tempus messianicum* apud prophetas designari, inter omnes constat (cf. Is. 2, 2. Mich. 4, 1 — *Reinke*, Beitraege, 4. pg. 236 et seq.). Est enim periodus messianica revera « hora novissima » (1 Ioan. 2, 18), ibi enim adsunt τὰ τέλη τῶν αἰώνων (1 Cor. 10, 11), ipsa est impletio promissionum, ultra quam nulla alia epocha neque alia Dei ad homines manifestatio exspectanda erit, cum ipsa in beata Dei intuitione sit absolvenda.

Verum interpretes hoc loco minime consentiunt, utrum generatim periodus messianica intelligatur, vel huius periodi extremum tempus. Sunt enim non pauci iique graves, qui v. 4 et 5 non de babylonico exsilio et de instauratione messianica, verum de Iudaeorum conditione tempore messianico et de eorum ad Christum conversione in consummatione saeculi explicent (cf. *Hier. Cyr. Rib. Lap. Estius, Mar. Men. Tir. Gord. Scholz*) ; alii tamen ibi cernunt figuram populi in captivitate babylonica pressi et tempus reversionis tempus post primum Christi adventum agnoscunt ; ita *Ps. Ruf.*, qui aliam sententiam acerbe carpit :

1. Hoc ipso nomine etiam innuitur ratio typica, quae in David rege cernitur ; nam nominis communio iam sua sponte unum alteri iungit et sortis officiique quandam infert similitudinem. Ea itaque appellatione doctrina de typo praeformatur et praeparatur ; eam satis aperte etiam innuit modus loquendi apud Mich. 4, 8 ; 5, 2.

« hunc locum Iudaei vel eos secuti ad praesentis temporis iudicium pertinere contendunt » (scil. v. 3. 4), quare *Rib.* multis in eum invehitur; ita explicant *Theod. Theod. M. Ephr. Theoph. Trochon;* immo *Theod.* et *Theod. M.* etiam v. 5 iam tempore Zorobabelis impletum volunt, quod concedi nulla ratione potest. Alii demum, uti *Alb.* et *Sanct.* mediam quandam viam ingressi utramque sententiam coniungere student; fuisse scil. exsilium babylonicum typum et vivum quoddam status posterioris post urbis hierosolymitanae destructionem simulacrum et exemplar et prophetam utriusque temporis rationem descripsisse, ita tamen ut plena ac perfecta impletio non habeatur, nisi in Iudaeorum conditione praesenti et in communi illa post Antichristum ad Messiam conversione, de qua etiam Paulus, Rom. 11, 25.

Iam si Osee prophetiam suo ordine et nexu contextam spectamus, dubium nobis non est, quin etiam cp. 3 eodem modo concipi debeat, uti cp. 1 et 2 tempus castigationis et epocham instaurationis considerant interpretes. Nam *primo* alterum hoc matrimonium ad eiusdem populi conditionem plene adumbrandam assumitur, quae priore illo per partes tantum designabatur; proinde nulla est ratio, cur ad aliud tempus in ipsa explanatione confugiamus. *Secundo*, poena pro adulterio irrogata certe illa est, quae adulterium immediate subsecuta est, sed ex iis, quae modo diximus, adulterium est apostasia illa et idololatria illa ante exsilium assyriacum et babylonicum, ergo poena est ipsum illud exsilium. *Tertio,* quod 3, 3. 4 proponitur, idem est in rei substantia, quod 1, 9 *non populus meus vos, et ego non ero vester* et 2, 6. 7. 9. 11 exhibetur: hisce enim in locis clare edicitur, cessaturam theocratiam, populum iri separatum a cultu idolorum, Deum illos variis calamitatibus oneraturum et omnes dies festos omnemque laetitiam ablaturum. Iam quis est qui non cernat, prorsus eadem 3, 3. 4 praedici? Cum igitur priores versus cp. 3 tam accurate priori parti cp. 1 et cp. 2 correspondeant, etiam v. 5 promissorius iisdem promissis cp. 1 et 2 e regione comparetur necesse est. Accedit, quod ipsa quoque verba ad priores promissiones omnino conformata sunt; nam *quaerere David regem* nihil est aliud quam 1, 11 *ponere sibi caput unum, reverti* idem dicit ac *congregabuntur* 1, 11; *quaerere Dominum* eandem rem designat, quam 2, 16 discimus; *bonum eius* non est aliud quam praeclara illa salus 2, 18 et seq.; *pavere* vel maximam illam observantiam 2, 17. 24 deprehendimus expressam. Denique *in novissimo dierum* apud alios prophetas tempus messianicum, tempus fundationis Ecclesiae designat et ita quoque Hebr. 1, 1; 1 Ioan. 2, 18 dicitur; unde cum non sit ratio recedendi ab hoc usu ulla, eum etiam pro hoc loco retinemus, atque id quidem eo magis, quia locutio ista ante Osee non de consummatione saeculi, verum de *epocha futura* tantum adhibetur (cf. Gen. 49, 1. Num. 24, 14. Deut. 31, 29). Iam si epocham instaurationis dicimus, ea utique totum delineari tempus messianicum manifestum est; quod vero insignior quaedam impletio habeatur in fine temporis, id non tam ex verbis Osee quam ex S. Paulo discimus.

SECUNDA PARS 4-9,9.

I. — PRIMA SCELERUM REPREHENSIO CP. 4.

Arg. — Primo totius reprehensionis summam generatim proponit : tangit scil. radices peccatorum, ipsa peccata, poenas a iusto vindice infligendas (4, 1-3). Dein ad particularia descendens, monet, ne quis excusationem praetendat ; omnes esse rebelles ; quare ruinam instare praedicit ; quia Dei scientiam et legem spreverint et rebus prosperis ad mala perpetranda abusi sint ; malitiae adiutores et pseudoprophetas fuisse et sacerdotes, omnes condigna poena iri implicatum (4, 4 - 10). Dein speciatim in stultitiam idololatriae invehitur et in impura scelera ei coniuncta (4, 11 - 14) ; propter idolorum cultum et morum perversitatem veluti saeva tempestate eos abreptum iri vaticinatur (4, 15 - 19).

a) **Peccata eorumque poena 4, 1 - 3.**

Munere prophetico instituto Deus providit, ut populus scelerum admoneretur, ut quae ingruerent peccatoribus mala, edocerentur, et moniti discerent iustitiam vel si id respuerent, ut clare intelligerent ipsi etiam inviti, non Dei auxilium deesse, verum propter peccata ultionem instare Deumque uti hostium regnorumque alienorum potentia et crudelitate ad iusta sua consilia adimplenda (cf. *Cyr. Ps. Ruf. Rup.*). Quare quid accusationis et querelae Deus habeat, propheta proponit : 4, 1 « *Audite verbum Domini, filii Israel! quia iudicium Domino cum habitatoribus terrae ; non est enim veritas et non est misericordia et non est scientia Dei in terra* ». — Consueta formula *attentio* excitatur (cf. Deut. 32, 1. Is. 1, 2. Mich. 1, 2. 3, 1. 6, 1) ; propheta non loquitur, nisi quae Deus posuerit in ore eius (Deut. 18, 18) ; quare eius verba Domini sunt. Eos titulo honorifico alloquitur, ut eos pudeat tanti patris se probare filios adulterinos, sed ut ad patris exemplum (Israel enim vidit et audivit Dominum *Alb.*) nobili aemulatione imitandum provocentur (*Alb.*). Neque abs re *Sanct.* notat : « illud *Israel* non puto carere aliquo pondere, quod maxime ad reprehensionis acerbitatem faciat ; nam quo quis ab alio magis aut ornatur titulis, aut augetur commodis, eo magis augetur peccatorum gravitas... leve illud non est, quod mutato parentis nomine pro Iacob *Israel* appellari voluit, et eius progeniem filios Israel, ut in parentis ac filiorum nomine divinum quoque nomen audiretur... hoc sane beneficium maximum est, quale sponsa solet a sponso accipere, dum ab illo compellatio-

nem habet ». Ita nomine ipso fidem patris et obedientiam in memoriam revocat (cf. 12, 4. 12) et quantum a patre defecerint filii, coarguit.

Iudicium i. e. disceptatio, lis ; bene *Ps. Ruf.* : «quia non recusat vobiscum inire conflictum et rationem ponere iudiciorum suorum meritorumque vestrorum, cui dicit beatus David, *ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas, cum iudicaris* » ; est igitur « discussionis et convictionis iudicium » (*Alb.*) ; vel ut bene *Cyr.* : « iudicio contendit cum hominibus, coarguens, non sententiam excipiens, et impietati in ipsum obnoxiis aperta ac nuda eorum scelera proponit, iuxta illud : arguam te et statuam contra faciem tuam iniquitates tuas », cf. Is. 3, 14. Mich. 6, 2. *Israel* h. l. ad decem tribus certe restringitur (*Sanct. Lap. Mar.*), quia v. 13 a Iuda explicite distinguitur.

Cur Deus adversus eos contendat, docet : *quia non est fides,* fidelitas (hebr.), neque חֶסֶד *amor* i. e. populus, sponsa Dei non servat fidelitatem promissam, neque ullo in sponsum amore tangitur ; ita חֶסֶד Ier. 2, 2. — Eodem modo *vulg.* explicant ; *veritas* i. e. fides et fidelitas (cf. *Rib. Lap. Sa*), *misericordia* caritatem dicit erga proximum, sed qui ea destituatur, etiam Dei amore carere adnotant. Cur autem sponsa sit infidelis et a primaevo amore defecerit, quo olim in deserto Domino sese desponderat (Ex. 19), ratio affertur : *non est scientia Dei in terra* i. e. quis quantusque sit Deus, illa sponsa non perpendit, Dei cognitionem alto animo infigere neglexit. Bene *Lap.* : « scientiam Dei accipe practicam, qua cognoscimus, aestimamus, reveremur Dei numen, providentiam, iustitiam ; ideoque haec Dei scientia cum eiusdem timore, amore, cultu et obedientia coniuncta est ». Haec igitur causa est peccatorum. Quantopere autem defecerit populus a fidelitate et amore, explicat v. 2 « *maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit* » ; — maiore etiam emphasi in hebr. *iurare et mentiri et occidere et furari et adulterare ; grassantur* (perrumpunt i. e. violenter agunt) *et sanguines pertingunt ad sanguines* i. e. frequentiam vitiorum denuntiat, quibus bona humana omnia pervertunt et auferunt : periuria, quibus aliorum bonis et vitae coram iudice insidiantur, mendacia et calumniae, quibus honorem et famam proscindunt aliorum, caedes, furta, adulteria, ita ut omnia iura vitae, bonorum, familiae pervertantur et ordo socialis et publicus pessum detur ; quare omnes quasi limites et cancellos perrumpere eos et vi infringere dicit usque eo, ut caedes caedem excipiat, i. e. continuo caedes, vulnera, oppressiones innocentium perpetrentur. Ita contra Deum et homines omni modo peccant, foedus cum Deo initum de observando decalogo (Ex. 19, 8. 20, 2 et seq.) turpiter violant et pedibus conculcant. Tales igitur

fructus enascuntur [1] ex neglecta Dei scientia, ex Dei oblivione et contemptu (cf. Rom. 1, 19 et seq.).

Peccatoribus dignas poenas denuntiat v. 3 « *propter hoc lugebit terra et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri et in volucre coeli; sed et pisces maris congregabuntur* ». — Simul cum homine « iram Dei etiam muta elementa sentient » (*Hier.*); is est scil. nexus inter hominem et creaturam, ut cum homine peccante affligatur, maledicto subiaceat (Gen. 3, 17; 6, 7; 19, 25), sed etiam cum homine salutis ac gloriae pro sua parte futura sit particeps (Rom. 8, 19). « Terra lugere videtur, quando inculta remanet sublatis habitatoribus et quae antea suis laetos proferebat fructus, incipit vepres procreare et spinas » (*Haimo*), quare bene exprimi dicunt habitatorum transmigrationem (*Cyr. Hier. Alb. Haimo*); *lugere* enim est desertum esse, vastatum, carere illo ornamento, quod rei natura exigit (*Sanct. Rib. Lap.*), unde terrae vastationem et horrorem praedicit. *Infirmabitur,* hebr. *tabescit,* arescit, languescit omnis habitans in ea.

Qui *homines* exprimi putant, *in bestia* exponunt vel *usque ad :* tabes et languor extenditur usque ad animalia omnia in terra, in aere, in aqua versantia (*Hitz.*), vel *instrumentale :* lugebit terra cum habitatoribus suis et infirmabitur, ut non habeat bestias agri (*Hier. Schegg*), LXX σὺν τοῖς θηρίοις, sim. *Syrus* « et bestiae deserti » etc.. Alii explicant : *omne habitans in ea,* id quod sequenti enumeratione (בְּ cf. Gen. 7, 21; 9, 10) per singula recensetur (*Keil, Scholz*); terrae summa ariditas imbrium defectu innui videtur (cf. 3 Reg. 17). Sed cum אֻמְלַל etiam de hominibus dicatur (1 Sam. 2, 5. Ier. 15, 9) et hominis mentione enumeratio fiat uberior, et ipsum etiam verbum יֹשֵׁב *homines* dicere videatur, versio *vulg.*, quacum et LXX et *Syrus* concordant, omnino retinenda est.

Congregabuntur i. e. deficient, auferentur, uti ipse *S. Hier.* explicat, id quod voci hebr. אסף consonat (cf. *Sanct. Rib. Lap.*). Iudicium Dei tale est, quod ubique omnem creaturam tangat; id quoque propheta affert, quia Dei iudicia temporibus anteactis etiam aquas revera attigerunt (cf. Ex. 7, 20. Ps. 106, 33), quia in regionis vastatione etiam aquae, fontes, flumina suo modo vestigia vastationum ferunt (cf. Is. 15, 6; 19, 5. Ez. 38, 20; 30, 12), et quia generatim enuntiare vult, omnia prorsus emolumenta, quae habere possit homo ex rebus creatis, esse ipsi auferenda (cf. Is. 50, 2. Soph. 1, 2. *Sanct.*), et quia iudicium Dei *igne*

1. Bene *Theoph.* : « docet nos, unde haec oriantur, scil. quia non sit cognitio Dei; dixit enim insipiens in corde suo : non est Deus ».

constare saepe apud prophetas asseritur (cf. Is. 9, 18; 10, 16; 26, 11; 66, 16. *Scholz*). Ita piscium interitu ariditas illa, qua omnia sunt percutienda et interimenda, quam maxime ad vivum descripta cernitur. Ad impletionem sufficit, ut simul cum homine res creatae iram Dei experiantur; neque abest a prophetarum more, ut iudicia particularia coloribus depingant a iudicio universali depromptis; de qua re vide, quae adnotamus ad Mich. 1, 2.

b) Deceptores et decepti corruent 4, 4-10.

Iudicio generatim annuntiato prohibet, ne quis obloquatur quasi excusationem praetendens; ita in hebr. *verum ne quisquam disceptet, ne quis arguat,* litiget; nam pronum est hominibus suam diminuere culpam vel asserere, se ultra meritum puniri, cf. Is. 58, 2; Ier. 2, 23. 33; 5, 19 (*Scholz*). Versio *vulg.* alium praebet sensum, v. 4 « *Verumtamen unusquisque non iudicet, et non arguatur vir; populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti* »; — i. e. « loquitur quasi desperans illorum correctionem : quid ago? nemo hunc populum obiurget, nullus ex hoc numero reprehendatur; tantae est enim impudentiae, ut ne convictus quidem habeat pudorem » (*Rib.; sim. Hier. Sanct. Lap.* aliique). Sed vix puto, prophetam cum reprehensionem incipiat, prohibere munus correctionis et reprehensionis; dein יָרֵב certe respicit רִיב 4, 1 et est *litem movere, litigare.* Rationem affert, cur nemo conqueri possit de severo iudicio : *sacerdoti contradicere* animum ostendit in rebellione et contumacia obstinatum, quippe qui summo et ultimo tribunali quod constitutum sit — cf. Deut. 17, 12 — et *Dei nomine* ius dicat, acquiescere nolit : « qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio... morietur homo ille et auferes malum de Israel » (*Sanct. Scholz*); etiam ad rebellionem et contradictionem Core (Num. 16) respici potest (*Sanct. Schegg*), sacerdos enim « cum sanctitate et reverentia audiendus erat » (*Alb.*); alio modo *Ps. Ruf.* : « a vero pontificatu consectando idola recessisti », sed id nimis alienum est a verbis [1].

Obstinati et in malis et rebellione obfirmati animi poenam subiungit v. 5 « *et corrues hodie et corruet etiam propheta tecum; nocte tacere feci matrem tuam* »; — hebr. ita iungitur : *et corruet etiam propheta tecum nocte et excidi matrem tuam* (cf. *Mar. Sanct.* et plures apud *Lap.*

---

1. LXX ὡς ἀντιλεγόμενος ἱερεύς; explicant graeci de sacerdote, qui a dignitate et officio propter scelera vel varios defectus excluditur (cf. *Cyr. Theod. Theod. M. Theoph.*). *Syrus* : populus tuus aeque ac sacerdos rebellis est; i. e. ut *Barh.* explicat : omnes verbis Dei et prophetarum se opponunt. — Commemorari h. l. potest coniectura quam criticus quidam

Trochon ; corruere i. e. penitus cadere, in captivitatem abduci (*Hier. Rib. Lap. Sa, Mar. Scholz*), cum captivitas sit *casus* et *ruina* populi ; *hodie* vero indicat, ruinam esse proximam (*Rib. Sanct. Lap. Tir.*) ; notat *Hier* : « quod dicit *hodie* aut praesens tempus significat, aut non fraude et insidiis, sed clara in captivitatem luce ducemini ». Propheta, qui corruere dicitur, non est munus propheticum vel gratia prophetalis, quae sit auferenda (*Hier. Haimo*), verum pseudoprophetae, « qui mendacium vobis annuntiant » (*Theod.*) ; *nocte* corruent simul cum iis, quos deceperint, i. e. quia tempus miseriae et calamitatis *nox* est (cf. Am. 8, 9) et quae *nocte* accidunt infortunia, ex ipsis tenebris magis sunt horrori. Postquam singulis (*corrues*) ruinam praedixit, addit totius reipublicae formam cum metropoli iri ablatum et excisum ; hanc *matrem* populi appellat ; « mater vocatur populi frequentia et omnis turba nationis hebraeae, ad quam loquitur ; filii autem vel singuli ex populo, vel per oppida villasque dispersi » (*Hier.*). Idem dicunt graeci, cum *synagogen* matrem vocari explicant. Verum nota, de regno israelitico (cf. v. 15) esse sermonem. Populus igitur corruet, ductor etiam et doctor qui censetur, pseudoprophetae scil. demum tota respublica in metropoli designata.

Cur tale excidium ingruat, inculcat v. 6 « *conticuit populus meus eo quod non habuerit scientiam ; quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi ; et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego* » ; — i. e. aeterno silentio conticescit (*Hier.*), *perit ;* ita נִדְמָה (cf. Is. 15, 1). *Scientia* est illa v. 1 practica et vivida, quae non solum mentem illuminat, sed etiam ad religiosum opus movet et instimulat (*Sanct.*). Hanc non modo non habent, verum *fastidiunt,* cum fastidio repellunt et aversantur [1], quare Deus pari par referens illos quoque eiiciet de dignitate, ad quam eos assumpserat, ut ipsi essent

---

proposuit in *Studien und Krit.* 1879 p. 516. Cum enim « litigare cum sacerdote » ei non videretur crimen adeo magnum, quale sine dubio in hac prophetae expostulatione supponeretur, et cum nexum cum subseq. summopere desiderari censeret neque perspici posse arbitraretur, ad quem illud *tuus* referendum esset, parva textus mutatione facta ita legendum esse opinatus est : וְעִמְּךָ מְרִיבִי כֹּהֵן *et tecum, sacerdos, est mea disceptatio*. Ad quam mutationem commendandam provocat ad v. 6, quo sacerdotes indubie designentur, provocat ad parallelismum cum 4, 1 etc. At huic coniecturae varia obstant : vox מְרִיב alias non est in usu ; nexum adesse et sensum satis commodum in lectione tradita vide in explanatione data; e contra cui illa coniectura arriserit, is in nexu intra ipsum v. 4 adstruendo forte non parum laboraverit.

1. *Rup.* ibi cernit radicale illud regni israelitici vitium : « scire nolens, attendere contemnens, quod scientia et salus esset ex domo David, cui iuraverat Dominus dicens : *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (Ps. 131). Repellendo ergo David nonne illum, in quo vera scientia est, fructum ventris eius repulit »?

« in regnum sacerdotale et gens sancta » (Ex. 19, 6); ad quod consequens est : « procul vos propter captivitatem ab iis locis submovens, in quibus rem mihi sacram a vobis fieri constitutum fuerat, vos a cultu meo expellam » (*Theod. M.*). Non est solum « ex vobis non assumam sacerdotes » (cf. *Haimo, Lap.*), verum totum populum dignitate illa theocratica, qua ad Deum potest appropinquare et eius protectione et favore fruitur (Is. 43, 2. Ier. 30, 21. *Scholz*), spoliatum iri praedicit. Hoc autem eiectione in exsilium factum et cessatione sacrificiorum expressum est (cf. *Ephr.*). Doctrinam (scientiam) Dei neglexerunt — et tamen « labia sacerdotis custodient scientiam » Mal. 3, 7 — pariter *mandata* (cf. v. 1. 2) *Dei tui,* cum emphasi propter foedus initum et sollemnem populi declarationem et sponsionem (cf. Ex. 19, 8). Eo maior iam est culpa. Deus pari modo se ad eos habet : *obliviscar* i. e. in malis sinam eos consenescere (*Sanct.*); Deus enim *recordari* dicitur pauperis, quando illius necessitatem miserando relevat. Quo ambitu et quo fine eos malis traditurus sit, ex prima parte elucet. Quare hae minae illi aeternae caritati, qua Israel Deus diligit neque unquam obliviscitur (Is. 49, 15. Ier. 31, 3), non contradicunt. Dum *filii* puniuntur, duplici ictu mater percutitur. Ait *etiam ego* vicem reddens non lubens, sed dolorem et coactionem significans (*Scholz*).

Iam peccati accusationem et poenae denuntiationem ex eo auget, quia gloria et potentia a Deo concessa insigniter abusi sunt; v. 7 « *secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi; gloriam eorum in ignominiam commutabo* »; — i. e. non quidem « quot homines in eo nati sunt, tot hostes habeo peccantes in me » (*Rib.* sim. *Hier. Theod. Lap. Sa, Mar.*), sed sermo est de populi potentia, conditione florente, ad quam Dei ope evecti sunt; tempore enim Ieroboam II res israeliticae denuo multum florebant. Bene *Ps. Ruf.* : « quasi dedita opera impensoque studio contra beneficia mea populus certare proposuit, ut quanto ego fuissem in largiendo affluentior, tanto hic in abutendo appareret insanior » (sim. *Sanct. Tir. Trochon*). Unde poena condigna : quo maior est gloria, eo maior erit ignominia. Bona, opes, divitias idolis et peccatis impenderunt (cf. 2, 7. Ez. 16, 15 et seq.); « incrassatus est dilectus et recalcitravit » (Deut. 32, 15).

Huius libidinis peccandi exemplum proponit in adscitis illis sacerdotibus, quos Ieroboam I recedens a domo David instituerat (3 Reg. 12, 31): v. 8 « *peccata populi mei comedent et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum* »; — plerique *peccata* — oblationes, sacrificia pro peccatis intelligunt, de quibus adipes solum in altari cremabantur (cf. Lev. 4, 8-10. 19. 26. 31. 35), carnes vero a sacerdotibus comedebantur (Lev. 6, 19 seq.), et revera tale sacrificium חַטָּאת *peccatum*

appellabatur (Lev. 4, 1. 6, 17. Num. 15, 22); unde ita explicant *Ps. Ruf. Cyr. Theoph. Alb. Sanct. Lap. Sa, Mar. Tir. Keil, Schegg, Trochon.* Alii peccata comedere metaphorice intelligunt i. e. peccatis consentire, ea fovere et promovere eorumque complices se reddere (cf. *Hier. Barh.*), vel: illa metent, quae seminaverint (*Theod. Theod. M.*). *Peccatum* alii idololatriam intelligunt et cultum illum illegitimum, quem Ieroboam instituit, qui revera hoc nomine in s. literis designatur 3 Reg. 14, 16. 15, 30 etc. (*Scholz*), ad quam explicationem iam prope accedit *Rup.*: « peccata namque populi comedebant, qui pro hoc solum, ut ipsi decimas atque oblationes caperent, populum in peccatis et in mendacio detinebant » i. e. in cultu illo mendaci; hoc enim erat consilium Ieroboam, ne ultra ascenderent ad adorandum in Ierusalem (3 Reg. 12, 26 seq.). Quare isti sacerdotes etiam iniquitatem dicuntur populi desiderare et expetere: in hebr. *et iniquitatem eorum desiderat anima eius* [1] i. e. anima sacerdotum, quia ex cultu superstitioso et oblationibus pro delictis suos percipiunt fructus. Eheu, quantum a vera sacerdotum forma recedunt, a quibus lex Dei sit requirenda (Mal. 2, 7).

Quare communi ruinae involventur; v. 9 « *et erit sicut populus, sic sacerdos; et visitabo super eum vias eius et cogitationes eius reddam ei* »; — qui scelerum socii sunt et adiutores, etiam poenae erunt; Deus et vitam illorum et mentem pessimam ad vindictam revocabit. In hebr. adsunt fere synonyma *viae* et *opera* eius; *viae* tamen magis universim de tota sentiendi et agendi ratione, qua homo per vitam incedit, dicuntur.

Iam paucis per modum proverbii tangit, quomodo Deus eos sit visitaturus; et quidem in textu hebr. v. 10 *et comedent et non saturabuntur; fornicantur et non multiplicantur* [2] i. e. non dilatantur, non propagantur; nulla erit prosperitas; labor omnis erit inanis et sterilis, Dei maledicto obnoxius (cf. Lev. 26, 26. Deut. 28, 20. Mich. 6, 14. Agg. 1, 6); haec una est ex longa calamitatum serie (Lev. 26) rebellibus praedicta: neque pro se neque pro familia aliqua prosperitate fruentur. Sterilitatis poena iam olim erat proposita peccantibus (Deut. 7, 14) eamque Osee imprecatur 9, 14: « da eis vulvam sine liberis ». Vocat propheta per contemptum omne eorum matrimonium *fornicari,* quatenus est matrimonium ab idololatris contractum, *quia non est uxor mea*

1. Textus mas. habet יִשְׂאוּ נַפְשׁוֹ; sed versiones veteres omnes et codices aliqui apud de Rossi legerunt נַפְשָׁם, et ita certe legi debet; *animam attollere* est appetere; inde, ubi versio literalis habet: *qui non accepit in vano animam suam* Ps. 23, 4 intellige: qui non dirigit animam ad vanum, qui non vanas res appetit.

2. *Sym. Theod.* καὶ οὐ μὴ πλησθήσονται. *Aq.* καὶ οὐ μὴ ποιήσουσι διακοπήν (cf. cod. syr. hexapl.).

(2, 2). Textus *vulg.* in priore membro cum hebr. concordat, in altero scelerum descriptionem continuat v. 10 «*et comedent et non saturabuntur; fornicati sunt et non cessaverunt, quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo*», — *fornicari* alii uti cap. 2 de foedere violato et de idololatria explicant (cf. *Ps. Ruf. Alb. Sanct. Rib. Lap. Men.*); alii proprie: « vires in fornicatione deficiunt et fornicandi desiderium non quiescit . . voluptas insatiabilis est et quanto magis capitur, tanto plus utentibus se famem creat »; ita *S. Hier.* de utroque membro; sim. *Trochon.* Concludit causam repetens vates, cur puniantur: *Dominum dereliquerunt* et addit, qua ratione eum dereliquerint, vid. לִשְׁמֹר i. e. in observatione praeceptorum, ea scil. negligentes; cf. 4, 1. 2. 6. — Poena proposita et causa poenae iterum inculcata haec pars apte concluditur. In sequentibus obcaecationem et stultitiam idololatriae tangit, quare v. 11 non cum *Scholz* ad hanc partem sed ad sequentem trahi oportebit; idque eo magis, quia eadem cogitatione in v. 14 recurrente ea pars apte in se concluditur.

Hebr. פרץ v. 2 *inundare* vertit *S. Hier.*, Ex. 1, 12 *crescere*, Is. 53, 4 *penetrare* i. e. dilatari, propagari. Ita etiam h. l. vox est accipienda, uti eam accepit *Syrus*; sim. *Chald.*: « accipient uxores et non generabunt filios » cf. *Mar. Scholz.* Hebr. הִזְנָה *hiphil* crebro fornicari significat; id quod aliqui explicant: quaerent et desiderabunt liberos, unde etiam meretricibus copulantur; omni modo, per fas et nefas quaerent, sed frustra. At praeplacet alia explicatio supra proposita.

c) Idololatria et scelera adiuncta 4, 11-14.

Iam accuratius exponit, in quantum scientiam Dei repulerint (4, 1. 6) et Dominum dereliquerint (4, 10). Et primo quidem generatim indicat, qua via ad idololatriam perveniatur et mentis acies in tantum obtundatur, ut quis et stultissimo cultu et horrendis spurcitiis se commaculet; ita v. 11 « *Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor* »; — bene *S. Hier*: « sicut enim vinum et ebrietas eum qui biberit, mentis suae impotem facit, ita et fornicatio ac voluptas pervertit sensum animumque debilitat, et de rationali homine brutum efficit animal ». In hebr. *fornicatio et vinum et mustum;* a venere et ebrietate quam maxime sapiens dehortatur (cf. Prov. cp. 5. 7. 20, 1. 31, 3-5. Eccli. 19, 2); *cor* apud Hebraeos quasi sedes est et centrum totius vitae intellectualis et affectuum, unde et intellectum et voluntatem complectitur; utramque vero facultatem corrumpi a venere et vino nimium constat. Adnotat *Sanct.*: « vide quid de Salomone prorsus excorde Scriptura tradat 3 Reg. 11: averterunt mulieres cor eius; et iterum: depravatum est cor eius per

mulieres », et ita per libidinem rex sapientissimus idolorum cultor effectus est.

Ad quantam autem stultitiam delapsi sint per scelera veneris et ebrietatis, depingit v. 12 « *populus meus in ligno suo interrogavit et baculus eius annuntiavit ei; spiritus enim fornicationum decepit eos et fornicati sunt a Deo suo » ;* — « en tibi signum dementiae » (*Tir.*) ; nam populus *meus,* i. e. a Deo electus, edoctus, tantis miraculis et curis circumdatus, per prophetas assidue monitus, per calamitates iam eruditus a ligno tamquam a Deo responsum quaerit, a ligno *suo,* quod ipse sibi fecit; omnino alludere videtur vates ad *idola* ex ligno etc. confecta, quam enormem stultitiam prophetae saepius exagitant (cf. Is. 44, 12. Ier. 10, 3. Hab. 2, 19 — *Rup. Alb. Sa*) ; alii *lignum* intelligunt virgam divinatoriam (*Lap. Men. Schegg, Scholz*), eodem modo, uti in altero membro : *et baculus eius annuntiet ei* hebr. ; verum prior explicatio re et sensu uberior, quae divinationem nexam cum stulta idololatria ostendit, praeferenda videtur [1]. Insuper volunt, ut baculus eis futura annuntiet ; carpit *rhabdomantiam* (*Hier.*) ; « inventum fortasse chaldaicae curiositatis... duas enim virgas statuentes, deinde arcanis quibusdam verbis eas incantantes, ut agente diabolo prociderent, cadentes rursum observabant, utrum prorsum an retrorsum, in dexterum an in sinistrum ferrentur » (*Cyr.*) ; « talis erat auguralis lituus, qui genus quoddam erat baculi, pastorali similis, de quo sic Cicero lib. 1 de divin. : lituus erat incurvum et leviter a summo inflexum bacillum... fuerunt praeterea alia virgarum seu baculorum genera, quae ex augurali aut divinatorio ritu varia inclinatione ac motu ac multiplici casu multiplices etiam eventus portendere putabantur, quale divinandi genus adhibuisse videtur Nabuchodonosor Ez. 21, 21 : stetit rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum divinationem quaerens, commiscens sagittas, interrogavit idola, exta consuluit » (*Sanct.*). Haec quidem ad *belomantiam* spectant, cuius usum *S. Hier.* in commentario ad Ez. l. c. describit.

Aliud divinandi genus ex rabbinicis scriptis affert *Lap.* : « decorticabant baculum ligneum uno tantum ex latere, tum in aerem proiiciebant ; si primo iactu apparuisset superior pars decorticata, at secundo iactu superior pars adhuc vestita, prosperum successum augurabantur ; sin e contra primum pars vestita, infelicem ; si utroque iactu vestitum vel nudatum latus superius fuisset, mixtum eventum sibi pollicebantur». Similia, quae hodiedum adhuc apud Arabes et Turcas usuveniunt, notat *Scholz.*

---

1 LXX tamen alteram sequuntur : ἐν συμβόλοις ἠρώτων.

Cur in tantam dementiam prolapsi sint, rationem affert : *spiritus enim* i. e. vis quaedam interna, impulsus, motus, ardor ille animi et vitiatae naturae pondus, quo ad vitia homines propelluntur (*Sanct. Lap.*), vel τὴν περὶ τὴν πορνείαν ὁρμὴν ὀνομάζει (*Theod.*) ; *fornicationes vero* utrumque fornicandi genus idololatriam et ei coniuncta scelera impura complectuntur (*Rup.*), uti ex sequentibus patet ; idque eo magis, quia aliqua cultus genera potissimum impudicitiis exercebantur. Libidine igitur decepti, allecti et obruti ad tantam amentiam progressi sunt. *Spiritum* alii daemonem interpretantur (*Cyr. Haimo*), qui etsi non verbo designatur h. l., re certe suas in idololatria agebat partes (cf. 1 Cor 10, 20). In hebr. *fornicantur* מִתַּחַת אֱלֹהֵיהֶם i. e. qui esse debebant *sub* Deo eiusque mandatis, inde *ab* eius iugo se subtrahentes idola sectantur. Potissimum idololatriam vocari fornicationem ex v. 13 elucet ; at ei adnexa esse impura scelera, altera pars v. 14 ostendit.

Primariam igitur partem reprehendit v. 13 « *super capita montium sacrificabant et super colles accendebant thymiama, subtus quercum et populum et terebinthum, quia bona erat umbra eius ; ideo fornicabuntur filiae vestrae et sponsae vestrae adulterae erunt* ». — Israelitae ingressuri Palaestinam idola eorumque cultum tollere iussi erant ; Deut. 12, 2 : « subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes.. deos suos super montes excelsos et colles et subter omne lignum frondosum ». Iam quam indignum, ut idololatriae ultores et vindices in eadem scelera sint prolapsi ! « Hoc est quod legimus de singulis regibus : verumtamen excelsa non abstulit ; adhuc populus immolabat et sacrificabat in excelsis » (*S. Hier.*) ; cf. Is. 57, 5. Ier. 2, 20; 3, 6. 13 ; 11, 13. Ez. 6, 13 ; *quia bona umbra*, hoc uno bono, hac amoenitate illecti iam idolis serviunt, et in frondium umbraculo numinis symbolum venerantur. Haec ad ironiam adduntur : tam proni sunt ad idola colenda et tam grati diis, ut pro suavi arborum umbra iam sacrificia offerant ! *Ideo* i. e. exemplo patrum et maritorum incitatae etiam filiae et sponsae — vel nurus, uti alii (*Lap. Schegg, Keil*) hebr. vertunt — cultui idolorum et promiscuae fornicationi se prostituunt, quae in deorum honorem exercebatur (cf. Num. 25, 3. 6. 3 Reg. 15, 13. 2 Par. 15, 16 — *Movers*, Phoenizier I, 571. 583). Alii explicant, talia passuras esse filias libidine victorum et hostium, ita ut earum violenta oppressione parentes puniantur (cf. *Ps. Ruf. Cyr. Theod. Theod. M. Theoph. Alb.*), uti Am. 7, 7 similes minae intentantur ; sed obstat v. 14, quo ipsae illae culpa minime vacare declarantur et tota vitiorum turpitudo apertius panditur ; v. 14 « *non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatae, et super sponsas vestras, cum adulteraverint, quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur et cum effeminatis sacrificabant. Et populus*

non intelligens vapulabit » ; — i. e. cum ipsi patres et mariti exemplo pessimo praeirent et cultum impurum cum omni licentia et aperte profiterentur, Deus dicit se filias et sponsas, i. e. fragiles illas et ad libidinem pronas non puniturum ratione habita maiorum parentum scelerum et ea comparatione instituta ; illae quasi excusatione et impunitate dignae sunt, illis venia concedenda, quoniam adeo pessimis exemplis pertrahuntur. Ita patrum et maritorum culpam exagitat, minas auget. Loquendi figura ea est, qua filiabus impunitas non promittitur, sed aliorum scelera acerbius perstringuntur ; neque maius supplicium maiorque Dei furor eo habetur, quia Deus earum emendatione desperata illam maximam poenam irroget, ut iam nullatenus puniat, sed eas sinat magis magisque tabescere (cf. *Hier*. *Cyr*. *Haimo*). Est quidem haec calamitas maxima ; at hoc loco de ea non est sermo ; nam tota oratio prophetae reprehensio est vitiorum et poenae ingruentis denuntiatio ; Deus igitur populum suum minime ita abiecit, ut iam quasi non dignaretur eum punire ; insuper oppositio illa, quae adest inter prius ac secundum membrum v. 14, eam interpretationem non admittit. *Quoniam ipsi,* non pergit eos alloquens, sed indignabundus quasi ad alios convertit sermonem, cum ii indigni sint quos compellat (cf. *Rib*. *Lap*.) ; scil. cum meretricibus illis in cultu Baal et Astartes venalibus sese recipiunt [1] (hebr.) in tabernacula ad scortationem (cf. Num. 25, 6, 4 Reg. 23, 7) et publica etiam luce cum scortis [2] ad altaria et sacrificia illa immunda accedunt.

Tantam igitur foeditatem perpetrantes neque rei indignitatem sentientes poena interitus affligentur; *vapulabit* i. e. peribit, *corruet,* [3] uti hebr. vertunt (cf. *Lap*. *Mar*.) ; « hoc significat, quod vapulet in captivitate et diversis afficiatur plagis. ut per dolorem recipiat disciplinam » (*Hier*. sim. *Rib*. *Lap*.) ; *populus non intelligens*, ita sermo redit, postquam argumenta allata sunt, ad initium v. 11 (cf. 4, 1. 6), et interitus annuntiatione haec pars concluditur, uti v. 3. 10. 19.

---

1. LXX vertunt συνεφύροντο ; *Aq*. ἐχωρίζοντο — *Sym*. ἠκολούθησαν ; *Theod*. κατηριθμήθησαν.

2. Hebr. הַקְּדֵשׁוֹת hierodulas Astartae consecratas dicit, quae quaestum meretricium in templi aerarium referebant vel sacrificiis impendebant (cf. *Ges*. s. v. ; *Movers*, Phoenizier I, 679), *S. Hier*. dixit *effeminatos*, cinaedos, scorta mascula intelligens (cf. comment. ad h. l.). Cum pretium scortationis Astartae esset devovendum, *sacrificabant* fortasse idem dicit, quod in membro antecedente enuntiatur (*Scholz*).

3. Cf. Prov. 10, 8. 10 *Hier*. verbum יִלָּבֵט eodem modo vertit *caeditur, verberabitur ;* eo loco LXX ὑποσκελισθήσεται ; recentiores vocem ex arabico explicant : in terram proiicere. — *Aq*. δερεῖ, Sym συντριβήσεται (cf. cod. syr. hexapl.) ; *Theod*. ταραχθήσεται.

d) **Recedendum est ab idololatria 4, 15-19.**

Videt vates Israel in scelera et ruinam ruentem : dolore correptus exoptat, ut potior populi Dei pars, Iuda, qui legitimo regi et centro cultus a Deo constituto adhaeret, immunis servetur a culpa et ruina ; simul tali desiderio et exhortatione apostasiam Israel acerbius perstringit, rei indignitatem effert, ad aemulationem et nobiliores sensus suos populares provocat. Unde v. 15 « *Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Iuda ; et nolite ingredi in Gálgala, et ne ascenderitis in Bethaven, neque iuraveritis : vivit Dominus* ». — Alio modo nexum adstruit *Ps. Ruf.*, scil. ut Israel, propria lue contentus, patiatur innocentiam manere Iudae, ut cesset invitare Iudam ad idololatriam et impietatem illuc transfundere. At prior nexus et verbis et rerum conditioni magis aptus est. Vates enim indignabundus se ab Israel, quasi eius emendationem desperans, avertit et Iudaeos monet, ne ii, qui possideant Ierusalem et templum Dei habitaculum, se complices reddant cultus idolorum : unde *nolite ingredi in Galgala*. Tria oppida eius nominis inveniuntur : unum in campestribus Iericho, contra orientalem plagam urbis Iericho (Ios. 4, 19 ; 5, 10), « locus desertus in secundo Ierichus milliario, ab illius regionis mortalibus miro cultu habitus » (*Hier.* in *Onom.*) ; alterum, haud ita a Sichem dissitum (Deut. 11, 30) ; tertium Ios. 12,23, quod nomine *Gelgulis* effertur et ab Antipatride in sexto milliario contra septemtrionem situm esse perhibetur (cf. *Winer*, bibl. Realwoerterbuch s. v. — *Scholz*). Plerique interpretes h. l. de primo illo mentionem fieri censent. Idque merito. Nam illud oppidum vetere iam religione erat sacrum (cf. *Hier. Theod. Rib. Lap.*) : in ingressu opprobrium Aegypti ibi est ablatum (Ios. 5, 9) ; ibi Iosue omen victoriae et possessionis Palaestinae accepit (Ios. 5, 13), ibi reposuit duodecim lapides, ut essent in monumentum perpetuum transitus (Ios. 4, 20), ibi per multos annos constitit tabernaculum et arca Dei (1 Reg. 10, 8 ; 11, 14 ; 13, 4 ; 15, 21) ; haec vetus loci religio oppidum celebre reddidit et superstitioni commendavit. — Alii tamen h. l. et 9, 15 ; 12, 12 (et Am. 4, 4 ; 5, 5) alterum oppidum, a Silo non longe dissitum, intelligunt (cf. *Keil*). *Bethaven* certe est illa nominis *Bethel* transformatio, quam ad idolorum cultum traducendum etiam apud Amos (5, 5) legimus : *Bethel*, domus scil. Dei, locus iam Patriarchis sacer (Gen. 28, 10 ; 35, 14), in quo arca testamenti per aliquod tempus erat collocata (Iud. 20, 18 hebr. LXX. 26 ; cf. 1 Reg. 10, 3) a Ieroboam sedes facta est principalis idololatriae (cf. 3 Reg. 12, 28. Am. 3, 14 ; 7, 10. Ier. 48, 13), unde iam non domus Dei sed *domus iniquitatis* a vate dicitur.

Vocem *Bethaven* [1] *Aq.* et *Theod.* οἶκον ἀνωφελῆ interpretati sunt, *Sym.* οἶκον ἀδικίας (*Theod.*). אָוֶן dicit molestiam, onus, perniciem, vanum, malum, iniquitatem et tamquam nomen etiam sollemne cultui idolorum et idolis tribuitur (cf. Is. 66, 3. 1 Sam. 15, 23), et certe indolem, fructum, stultitiam eiusmodi cultus praeclare exprimit; cf. 5, 8; 10, 5. 8; 6, 8; 12, 12.

Iudaeos igitur ipso nomine *Bethaven* edocet et hortatur, ne ad idoli vanitatem et iniquitatem deflectant; *neque iuraveritis;* id aliqui intelligunt cum *S. Hier.*: « nolo enim per os vestrum nominis mei fieri mentionem, quod idolorum mentione pollutum est »; quod eatenus verum est, quatenus Deus cultum suum cum idolorum cultu permisceri et coniungi vetat, id quod *Ps. Ruf.* innuit; addit tamen aliam interpretationem, quam a plerisque adoptari video: vitulis scil. veri Dei nomen adscripsisse idololatras perque eorum nomen numenque iurasse (cf. *Theod. Rib. Lap. Sanct. Mar. Tir.*), tribuisse igitur incommunicabile nomen (Sap. 14, 21) vituli imagini; neque id incredibile, Iahve scil. sub vituli symbolo ab iis cultum et invocatum; nam Ex. 32, 5 postquam vitulus est confectus, Aaron edixit: « cras sollemnitas est Iahve », et Iud. 17, 3 ex argento *Domino* consecrato fit *conflatile* (cf. *Rib. Sanct.*). Ne Dominum in Bethel colant, prohiberi censet *Scholz;* proinde hanc sententiam idem dicere, quod antecedens membrum.

Ut Iuda a consortio cum Israelitis idololatris deterreatur, in sequentibus vates et mores Israel et sortem excidii instantem proponit. Ita primo quidem v. 16 « *quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel; nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine* »; — cum ex more aegyptiaco sub bovis (vituli) simulacro numen colant, comparatio sua sponte oritur; *lasciviens* « idem valet quod rebellis, contumax, aratri ac lori impatiens, cum lascivum pecus neque aut labore fractum aut usu domitum parere velit aut assuescere iugo, et libere huc atque illuc erret furioso simile » (*Sanct.*).

« Iugum suscipere detrectat » (*Haimo*); id praecipue hebr. dicit: סֹרֵרָה rebellis, contumax, refractaria; proin « iuvenca, quae nullo modo adigi se patitur, ut aratrum trahat, quae obluctatur rumpitque lora » (*Sanct.*); cf. 10, 11. Ier. 46, 20; LXX δάμαλις παροιστρῶσα παροίστρησεν « vaccae instar naturalis cupidinis motu ad incontinentiam tendentis a servitio meo discessistis, lascivaque mente ad idolorum cultum deflexistis » (*Theod. M.*).

---

1. בית און LXX Ὤν interpretati sunt (cf. *Hier.*). On nomen est aliud profanum pro Heliopoli, in qua urbe Mnevis bos colebatur: quae urbs cum in regione Gosen sita erat, probabile est, cultum vitulorum apud Israelitas ex illo ritu hieropolitano fuisse expressum; unde Bethel factum est quasi alterum On; ita *Scholz*.

Altero membro *poenam* edicit: *pascet* etc. comparationem varie exponunt: uti agni in pascuis saginantur, ita Israel permittit Dominus per tempus aliquod prospere agere, ut demum cedant in praedam Assyriorum (cf. *Sanct.*); vel uti agnus in campis solus luporum incursibus est expositus certeque peribit, ita Israel (cf. *Ps. Ruf. Theod. M. Barh. Trochon*); vel in latissimos campos eos educet ac disperget, scil. inter gentes et captivitati tradet (cf. *Hier. Theod. Rup. Alb. Rib.*); vel per antonomasiam *pascet* i. e. Dominus eas persequetur, conteret tamquam leo (12, 7. Ier. 2, 30; 50, 17) agnum in lato campo, qui non possit effugere (*Scholz*); at commodissimum est exponere, uti 2, 14 *ducam in solitudinem*.

Dein iterum *mores* tangit: v. 17 « *particeps idolorum Ephraim, dimitte eum* »;—i. e. coniunctus cum idolis, quasi *alligatus* illis (hebr.) arcteque adnexus; *Ephraim* nomen est tribus, quae novo Israel vel Samariae regno post defectionem a domo David primos reges dederat (cf. *Hier. Alb.* — 3 Reg. 11, 26), unde tribus potentissimae nomen ad universum regnum transiit, praecipue apud prophetas, vel etiam simul cum Israele commemoratur; Osee 36 locis eo utitur nomine. *Dimitte eum* i. e. sine eum agere, quod agit; ne tibi sit curae, quod ita agit; cf. 2 Sam. 16, 11 ; 2 Reg. 23, 18 (hebr.). Aliqui hoc a Deo ad prophetam dici volunt: ne ultra moneas; frustra est enim (cf. *Rup. Scholz*); at plerique ad Iudam id referunt (*Hier. Ps. Ruf. Haimo, Alb. Sanct. Rib. Lap. Sa, Mar. Men. Schegg*), idque recte; nam uti ex v. 15 elucet, Iudam monere vult, ne cum Israel impiam ineat communionem. Quomodo vero propheta a monitione sit prohibendus, nulla ratione cernitur, et ipso nostro libro refutatur, cum invehi in eosdem pergat; cf. quae ad 4, 4 adnotata sunt.

Mores ulterius delineans, quid ad idolorum cultum addant, innuit v. 18 « *separatum est convivium eorum, fornicatione fornicati sunt; dilexerunt afferre ignominiam protectores eius* »; — ex textu lat. cur societas cum Israel vitanda sit, hanc reddit rationem: « cultus et religio et cibus a tuo convivio separatus est (*Hier. Sanct. Lap.*), nullum intercedere debet commercium, nulla victus vel sollemnitatis communio (cf. Ioan. 4, 9: « non enim coutuntur Iudaei Samaritanis »).

Hebr. סָר סָבְאָם locus est obscurus; *Syrus* eum omisit; *Chald.* explicat: principes eorum multiplicaverunt convivia; LXX, uti *Hier.* dicit: *provocavit Chananaeos* [1],

---

1. Videntur legisse סֹבְאִים cf. Ez. 23, 42; סְבָא Gen. 10, 7 filius Cusch recensetur et Is. 43. 3; 45, 14 simul cum Aethiopibus et Aegyptiis nominatur; attamen non satis illa versio explicatur.

ergo ἠρέθισεν, (סרר ; cf. *Scholz*) ? sed editiones habent ἡρέτισε, *elegit* i. e. eorum ritus adoptavit (cf. *Cyr.*), vel *amavit*, uti fert textus syr. hexaplaris. Magis ad textum hebr. accedunt *Sym.* et *Theod.* [1] ἐπέκλινε τὸ συμπόσιον αὐτῶν, τὸν οἶνον αὐτῶν ; proprie verba sonant : recessit vinum eorum (cf. Is. 1, 22. Nah. 1, 10) vel compotatio eorum ; sed quo sensu h. l. סָר venit ? aliqui : putruit, vel foetuit vinum eorum, i. e. propter scelera eorum epulae vertuntur in absinthium (cf. *Lap. Mar.*) ; alii : degeneravit (omnes limites transcendit) compotatio eorum *(Keil)* ; alii : זר alienum factum est convivium eorum, q. d. gentium mores exprimunt *(Schegg)* ; alii : quando recessit compotatio eorum, fornicantur ; alii versum, ut v. 19, de futuro explicant : recedet ebrietas eorum, qui nunc assiduo fornicantur, q. d. ex sopore et ebrietate scelerum acerbitate poenae evigilabunt ad sobrietatem (*Hitz.*) ; alio prorsus modo *Scholz* : Israel est vinea Domini (10, 1. Is. 5, 1) ; iam vitis degeneravit et uvas et potum attulit acidum, unde : degeneravit fructus eorum (cf. Ier. 2, 21 ; 5, 7).

Quod *Chald.* habet, ad contextum satis aptum est, cum mores principum toto versu proponantur ; sed alium parumper textum hebr. supponit. Uti textus iacet, סר videtur omnino respicere סרר v. 16, et cum reprehensio de fornicatione sequatur, de impiis et lascivis conviviis sermo esse videtur, ad quorum mentionem ardens illud fornicandi studium, quod repetitionis forma exprimitur, accedit.

Utrumque absolvit dicens : *dilexerunt afferre ignominiam,* i. e. delinquere (*Ps. Ruf.*), vel speciatim ita cultus idolorum nominatur (*Hier. Theod. Theod. M. Alb.*) vel potius conditio populi et reipublicae designatur et status sordidus, quem populus vitio principum subiit in exsilio ; mali igitur et excidii probrosi auctores notantur (cf. *Sanct.*) et eorum studium perstringitur, quo perniciem attrahunt et interitum diligunt (cf. Sap. 1, 16). Talem ruinam illi afferunt, [2] esse debebant *protectores,* hebr. *clypei* populi, tutores ac defensores. Eo quod Deum reiecerunt et peccata dilexerunt, etiam interitum, ignominiam, opprobrium et cetera, quae peccatis adnexa sunt, diligere et amplecti merito dicuntur, cum talis adsit nexus inter peccatum et poenam, quem nemo possit ignorare. Poenam ulterius delineat v. 19 « *ligavit eum spiritus in alis suis et confundentur a sacrificiis suis* » ; — i. e. ventus et tempestates eos abripient et tunc confusione oppleti vanum illum cultum esse et omnium ma-

---

1. Vel ex cod. syr. hexapl. *Sym.* ἀφῆκεν αὐτὸν, ἐπέκλινε ... *Theod.* κατέπαυσεν ἑαυτῷ, ἐπέκλινε ... *Aq.* κατέπαυσεν ἑαυτῷ ἄρχων συμποσίου αὐτῶν. Textus syr. hexapl. habet רחם

2. Quid in textu hebr. הֵבוּ sit difficile dictu est ; aliqui formam volunt apocopatam pro אהבו *(Keil)*, sed quis talem apocopen crediderit ? Magis arridet, formam cum antecedente verbo ita coniungere, ut scribatur אֲהַבְהֵבוּ : forma *pealal* verbi אהב (cf. *Schegg, Scholz*) ; alii הבו delendum esse censent *(Hitz.)*; S. Hier. vertit *afferre*, ergo ex יהב vel hiphil בוא ? Deest in aliquibus hebr. codicibus, apud LXX et in utroque Syro. — LXX ἠγάπησαν ἀτιμίαν ἐκ φρυάγματος αὐτῆς (αὐτῶν)· *Sym.* ἠγάπησαν ἀγάπην αὐτῆς τῆς βοηθείας αὐτοῦ, ἀτιμίαν (cf. cod. syr. hexapl.). — Ceterum versio LXX lectionem supponit מגאניה quae etiam propter גאון (cf. v. g. Ez. 16, 56) verti potest : dilexerunt magis ignominiam quam honorem eius ; vide *Studien und Krit.* 1879 p. 517.

lorum originem deprehendent. Vehementem dispersionem et acerbam concussionem imago portendit. Hebr. צָרַר *arripit eam ventus alis suis,* alludit ad סָרַר v. 16, ut ipsa soni cognatione ille nexus inter peccatum et poenam exprimatur. Populi igitur et reipublicae eversionem, in longinquas regiones ablationem et summam ignominiam praedicit incurrendam. Admonitio pro Iuda est gravis : num cum tali sorte suam vult nectere? nectet autem, si idola cum Israel sequitur.

Cum sermo ad ultimum populi excidium progressus sit, indicatur hic esse finem reprehensionis ponendum. Ita sermonis conformitas ad v. 3 et v. 14 exacta est, uti etiam v. 10 poenae denuntiationem continet : hac aequali conclusione simul discimus, quales orationis partes apte distinguamus. Mentione facta *sacrificiorum* ad sacrificulos, [ad sacerdotes increpandos viam sibi sternit, cum ipsi sint ruinae fautores et auctores.

II. — SECUNDA REPREHENSIO AD DUCES POTISSIMUM DIRECTA 5 - 6, 3.

Arg. — Duces populum perdunt, in eos iudicium devolvitur, quia aliis sunt deceptioni et scandalo, cuius rei Deus ultor exsistet. Nam coram eo patent scelera eorum, contumacia, et Dei oblivio, impudentia, arrogantia ; quare in interitum ruent neque iram Dei placare poterunt (5, 1 - 6). Ruinam hanc in praevaricatores devolvendam delineat bellico tumultu et strepitu et terrore ; interserit, cur talia sint eventura Israelitis et Iudaeis, scil. propter illorum culpam simulque Deum auctorem ultionis principalem ostendit ; at quia punitione non ad saniora consilia reducuntur, sed apud exteros auxilium quaerunt et solatium inane, Deus illos ineluctabili demum ruina prosternet (5, 7 - 14). At excidium vertetur in salutem : in tribulatione quaerent Dominum, eritque salvator, vitae, felicitatis, sanctitatis largitor (5, 15 - 6, 3).

Dum prima reprehensio minis absolvebatur, haec altera, quae prioris est fere tantum continuatio et ad duces potissima applicatio, laeta promissione concluditur (cf. 1, 10 ; 2, 15 ; 3, 5), cum fixum sit ratumque, Dei populum tribulatione iri praeparatum feliciori instaurationi.

a) Scelera ducum 5, 1 - 6.

« Omnes veluti sopitos excitat et expergefacit ad audiendum » (*Theoph.*), et « verba obiurgationis ad fallaciae et deceptionis inventores et ad morbi et amentiae huius auctores convertit» (*Cyr.*). Quare v. 1 «*Audite hoc, sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis auscultate !*

quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi et rete expansum super Thabor ». — Illud tergeminum verbum *audite* magnum aliquid indicat, quod timere debeant (*Sanct.*) ; deceptores et deceptos alloquitur, quia culpa est in utrisque, et quia etiam populi maxime interest, superiorum ordinum corruptionem, insidias, machinationes cognoscere. Sacerdotes vocat, non quod sacerdotes sunt de familia Aaron, sed quod ita vocantur a populo (*Hier. Cyr.*) ; quamvis forte aliqui ex domo Aaron, sparsi per urbes regni israelitici, etiam inter illos recenserentur (*Lap.*) ; *domum regis* illos dicit, qui consilii aut honoris gratia assistunt regi, principes et primores (*Sanct.*), qui regio plerumque sanguine orti familiam regis constituunt. Cur et quid audiant, subiungit : iudicium scil. Dei et ultio in eos devolvitur, iis instat (cf. *Haimo, Rib.*), illud iudicium, quod iam minatus est supra 4, 3. 5. 6. 9. 10. 14. 19 ; non tantum de sua in eos increpatione vel de sua in eos ferenda sententia (*Theod. Theod. M. Theoph.*) loquitur. Populo vero utile est ac necessarium scire quid et cur ducibus immineat : facti sunt scil. qui duces et pastores et tutores esse debebant, *laqueus* q. d. causa peccatorum et ruinae et *rete*, occasio et ratio, cur populus peccatis implicaretur, sua demum prosperitate, libertate privaretur ; quibus ? *speculationi*, LXX τῇ σκοπιᾷ, *Chald.* doctoribus vestris, *Syr.* speculantibus, q. d. prophetis veris, quos igitur (si eam interpretationem adoptaveris) insidiis et persecutionibus male tractaverint, impediverint (cf. *Theod. Ephr. Theod. M. Theoph. Barh.*), vel *speculationi* i. e. iis super quos officium et munus invigilandi sacerdotibus et principibus incumbebat, ipsi populo (cf. *Cyr. Alb. Sa, Men.*) — quae interpretatio, etsi vix ad verbum, ad sensum tamen valde apta est.

In hebr. habetur לַמִּצְפָּה, quam vocem veteres secundum etymologiam verterunt ; at cum in membro parallelo *Thabor* nominetur, certe etiam h. l. cum recentioribus (cf. *Sanct. Lap. Mar. Scholz, Trochon*) *Mizpah, Maspha,* oppidum in Galaad intelligi debet (cf. Iud. 10, 17; 11, 29), quod etiam Ramoth in Galaad, Ramath Hamizpeh vocatur (Deut. 4, 43. Ios. 13, 26 ; 20, 8. 3 Reg. 4, 13 ; 22, 3. 4 Reg. 9, 1). Thabor « mons est in Galilaea, situs in campestribus, rotundus atque sublimis, et ex omni parte finitur aequaliter » (*S. Hier.*), in campo Esdrelon, circa 1350 pedes super planitiem eminens (*Scholz*). Cur haec duo commemorentur, varia opinantur : montes et colles aucupio et venationi maxime aptos esse ; ibi idola praecipue coli, vel, quod rabbini commenti sunt, in Thabor et Maspha castella esse collocata, quibus piae ad Ierusalem et templum peregrinationes interciperentur (cf. *Rib. Sanct. Lap.*) ; si non allusio [1] continetur nobis ex

1. Paronomasiam inter מִשְׁפָּט et מִצְפָּה effert *Lap.* : « perinde ac si latine ludas ac dicas

rerum particularium ignorantia impervia, vates per modum synecdoches ex regione trans et cis Iordanem singulos montes conspicuos elegisse dicendus est, quo accuratius significet, ubique ac continuo et aperte insidias strui et quasi decipulas poni, ut populum erroribus et vitiis illaqueatum teneant et misere perdant. — Qua ratione vero praecipue *laqueus* facti sunt, explicat v. 2 « *et victimas declinastis in profundum ; et ego eruditor omnium eorum* » ; — prior pars certe ad procerum peccata pertinet ; altera illud *iudicium vobis* v. 1 explicat, Deum scil. haec omnia et eos omnes sua ultione persecuturum et castigaturum. Regum et sacerdotum crimen incusatur, quod cultum sacrificialem pessum dederunt et corruperunt, adorationem, quae praecipue per sacrificia fiat, omnino perverterunt [1], vel quod populum tamquam oves occisionis et victimas in ruinam et praecipitium detrudunt.

Ita *Hier.* intellexisse videtur : « tam graviter deliquistis, ut non solum occideritis victimas, sed et in profundum eos miseritis inferni... prohibuerunt et reges et sacerdotes ire populum ad templum Ierusalem ; ideo in profundum victimas declinasse dicuntur ». Alii ita concipiunt : « hostias quas coelorum praesuli deceret offerri et quasi vehente fumo ad superna portari, has vos commutato ordine in profundo mersistis ,.. sacrificia quasi ad inferna vertistis » (*Ps. Ruf.* sim. *Haimo*) « serviendo et sacrificando creaturae auri et argenti » (*Rup.*), idolis ; quae explicandi ratio ad primam proxime accedit. Pro qua re Deus ultor et castigator exsistet : *et ego* q. d. *vos* ita delinquitis me praesente, inspiciente ; *vos* studiose in scelera incumbitis, etiam *ego* meo muneri non deero, « mox pro furore et ira poenis prosecuturus » (*Cyr.*).

Textum hebr. vario vertunt. Versio *S. Hier.* verbis hebr. arcte inhaeret et ad sensum, qui optime ad contextum aptus sit, facile trahitur ; שחטה forma est infinitivi verbi שחט, quod est *immolare* sacrificandi causa (cf. Lev. 1, 5 ; 3, 2 ; 4, 4) ; שטים est sicut שטה Num. 5, 12. 19. 20. 29 *errare*, παραβαίνειν declinare (quod de muliere adultera dicitur) et Prov. 4, 15 ; 7, 25 ; unde *aberrantes, deflectentes ;* quod additur העמיקו i. e. profundum, immensum, magnum facere *intensitatis* significationem habet, cf. Is. 31, 7 in defectionem a Deo penitus decidere ; unde sensus est : quod immolare victimas attinet, quam profundissime declinarunt, vel quam maxime fidem Deo debitam violarunt. Hunc sensum versio latina prae se ferre videtur : victimas reddiderunt quam pessimas et quam maxime abominabiles, quam maxime corruperunt et foedarunt. Hoc ideo, quia quae Deo debebant tamquam symbola cultus supremi adorationis, ea idolis offerebant ; unde cultum et adorationem adulterantes et populum ad idololatriam seducentes veram populi felicitatem funditus everterunt et innumerabilium peccatorum et exitii causa exstiterunt. Nam Dei cultu amoto humana omnia misere pereunt.

---

vos speculatores facti estis expilatores aut spiculatores ; vos tutores traditores ; vos curatores proditores ; vos defensores diroptores ; vos pastores perditores » etc.

1. Cf. notam, quam de textu hebr. subiunxi.

Iam de aliorum interpretationibus pauca sunt addenda : LXX prorsus alia exhibent : δ (scil. δίκτυον) οἱ ἀγρεύοντες τὴν θήραν κατέπηξαν ; similiter *Syrus :* et venatores venantes absconderunt laqueum. *Chald :* victimas immolant multas. Ex recentioribus alii : immolando aberrationes auferre volunt ; alii : caedes atque declinationes (a rectitudinis tramite) profundarunt i. e. maxime cumularunt (cf. *Ros..*) ; alii : aberrationes expandere optime norunt (cf. *Keil ; Delitzsch* ad Ps. 101, 3). Quibus tamen obstat, quod שֵׂטִים notione abstracta explicant, id quod indoli linguae repugnat (cf. *Fürst* C.). Alii rite nomen personale ibi cernunt ; at varie cetera concipiunt : *Hitz.* ad arabicum et aethiopicum confugit, ut hanc extorqueat versionem : tumultuantes valde declinaverunt a meta ; alii : rebelles valde praevaricati sunt (mutant שחתה — *Ewald, Nowack,* cf. *Scholz*) ; alii : declinantes (a iure) valde corruperunt (*Fürst*) ; alii rebelles caedes plurimas committunt (*Schegg*) ; ita quoque *Pusey,* qui aliam adhuc notionem simul exprimi vult, scelerum scil. ac caedium perpetratores crimina ita in profundum abscondere et occultare velle, ut Deus ea non cognoscat (?), quae sane mira est cogitatio et in eo quoque peccat, quod unum idemque verbum duplici significatione et explicatione adhibetur. *Scholz* nuperrime ope arabicae dialecti שׂטים idem significare censet quod כְּלוּב *cavea aucupis,* unde vertit : ut perdant, abscondunt caveas, i. e. omni studio in abscondito et tecte ponunt *caveas ;* ita tertium habetur membrum ad *laqueum* et *rete.* Sed illa derivatio est et incerta et, etsi certa esset, per longiores tantum ambages ad hanc significationem pervenitur.

Deum fore castigatorem omnium et singulorum et qualis quantusque futurus sit, ex eius accuratissima cognitione omnium scelerum probatur v. 3 « *ego scio Ephraim et Israel non est absconditus a me, quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel* » ; — emphasin habet repetitio, habet modus asserendi per affirmationem et oppositae rei negationem, habet illa unius populi in duas quasi partes partitio, habet *fornicationis* et profanae immunditiei, quae a sacris excludat, mentio : haec omnia apud Deum alta mente esse reposita indicat. Idque eo magis quia cernit eos quam maxime abesse ab omni resipiscentia, v. 4 « *non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum et Dominum non cognoverunt* » ; — bene notat *Lap.* hebraeum verti : *non permittunt opera eorum, ut revertantur ad Deum* i. e. peccata et scelera eorum impediunt, quominus ad meliorem mentem et Dei cultum redeant ; id tangit vates, quod omnibus qui Dei cultum abiecerunt, potissimum malae mentis subsidium et vinculum est : impliciti sunt et obcaecati et stupefacti sceleribus : et tamen qui negant ac negligunt Deum, *suum* Deum i. e. numen supremum qui sit eorum Dominator et unicum ac summum bonum et tale etiam iis revera esse exoptat, abiiciunt ac renuunt. Cur reverti renuant, addit simul declarans quae sint *opera*, *spiritus* scil. *fornicationum* (cf. 4, 12. 13. 14) et Dei ignoratio et neglectus (cf. 4, 1. 6) ; etiam ipsi « veritatem in iniustitia detinent » (Rom. 1, 18), eam vitiis suffocantes et exstinguentes.

Quare ad alterum etiam gradum progrediuntur, ut impudenter peccantes hanc temeritatem aperte prae se ferant v. 5 « *et respondebit arrogantia Israel in facie eius, et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua ; ruet etiam Iudas cum eis* » ; — hebr. *et testatur superbia Israel in facie eius* i. e. arrogantia eorum palam apparet et contra eos testimonium dicit (cf. Is. 3, 9), peccata minime occultare student, potius de iis gloriantur ; quare ruinam fore subiungit propter iniquitatem (עָוֹן cf. 4, 15 אָוֶן), in qua Iuda quoque implicabitur — sed post casum Israel (*Theod.*) — scelerum utpote *socius* (cf. 4, 15) — studiosa enim illa admonitio, ne ascendant in Bethaven etc., et scelerum Israel exaggeratio poenaeque denuntiatio id agunt, ut Iudaeos quoque iam ad idololatriam pronos deterreant, simulque innuunt id vitium iam in Iudaea serpsisse.

Et revera, uti iam Salomonis tempore initia cepit (3 Reg. 11, 7), ita inolevit sub Roboam (3 Reg. 14, 23) et sub Abiam (l. c. 15, 3. 12. 13) ; cultus Baal floruit sub Ioram (2 Par. 21, 11) et Ochozia (2 Par. 22, 3) et Athalia (4 Reg. 11, 18), et principes Iuda etiam coluerunt idola (2 Par. 24, 18) ; ipse Amasias deos filiorum Seir adorabat et illis adolebat incensum (2 Par. 25, 14), neque abstulit excelsa (4 Reg. 14, 4) neque abstulit Azarias (Ozias — l. c. 15, 4) ; sub eius filio Ioatham « adhuc populus delinquebat » (2 Par. 27, 2), Achaz vero Baal impense coluit (2 Par. 28, 2 et seq.).

LXX, *Chald.* et *Syrus* עָנָה explicant : et humiliabitur superbia (ὕβρις) Israel — at bene *S. Hier.* vertit *et respondebit* i. e. testatur contra ipsum, ita ut non abeat impunitus ; nam verbo inest haec notio ; cf. Num. 35, 30. Deut. 19, 18. 2 Sam. 1, 16. Iob 16, 8, eamque recentiores quoque sequuntur.

Talem porro ruinam, ni statim resipuerint, fore minatur, quae sit ineluctabilis, neque ullis ad Deum precibus vel sacrificiis redimatur v. 6 « *in gregibus suis et in armentis suis vadent ad quaerendum Dominum et non invenient, ablatus est ab eis* » ; — tunc scil. quando illa ruina imminebit, frustra largissima offerent sacrificia, quasi cum integris gregibus et omnibus armentis venient ad sacrificandum ; auget loquendi modum et exaggerat, ut Dominum tunc fore inexorabilem ostendat, dum eos, ut nunc revertantur, stimulat. Haec enim de futura illa calamitate dici (cf. *Hier. Theod. Sanct. Lap.*), non de conditione iam praesente (*Scholz*), verba ommino suadent [1] et ipsa ratio addita « Dominus ablatus est, recessit, sese retraxit ab eis » confirmat, quae non de praesenti tempore valet, quo ad resipiscentiam per prophetae munus et adhortationes

---

1. יִכָּלְי verum *futurum* explicamus, uti יִכָּשְׁלוּ, dum ea quae cum his eventibus futuris coexsistunt, perfecto enuntiantur כָּשַׁל, חָלַץ ; similiter adverte, perfectum tempus adiungi ad futurum proprium 5, 15 ; 8, 2 ; 9, 3, 16 ; 10, 5, 8, 14.

eos invitat, verum de futuro. Tunc enim non invenient, quia « a recedentibus et ipse discessit » (*Hier.*). Hisce minis ad *extremam* calamitatem vates progressus est; in sequentibus denuo ad *causam* regreditur mentione peccatorum facta et calamitatis et excidii seriem delineat; quare hoc loco prior orationis pars est finienda, neque v. 6 (cum *Keil* et *Scholz*) ad sequentem trahendus.

b) Clades et ruina a Domino infligetur 5, 7-14.

Summatim, uti 4, 1-3, longiori tractationi praemittit rei argumentum : peccatum et poenam v. 7 « *In Dominum praevaricati sunt, quia filios alienos genuerunt; nunc devorabit eos mensis cum partibus suis* » ; — hebr. בָּגַד est fide violata derelinquere, prodere (cf. Ex. 21, 8. Ier. 3, 20 ; 5, 11 etc.), ergo rebelles et infideles facti sunt et hanc a Deo alienationem etiam in filios, in dignam scil. talibus parentibus sobolem transfuderunt; ipsi patres sunt apostatae et apostatarum generationem etiam educant, atque in filiis cognoscitur et relucet patrum praevaricatio (— inde *quia*); filios gignunt *alienos,* non quasi ex alienigenis uxoribus procreatos (*Chald. Theod. Theod. M.* — et meminerunt etiam *Hier. Cyr. Theoph.*), sed quia eos non Deo, sed idolis gignunt et consecrant (*Cyr. Theoph. Alb. Rib.*), eos suo exemplo in Dei ignoratione et idolorum cultu instituunt, ergo eos indole a Deo aliena imbuunt (*Scholz*); sunt proin *alieni,* quia non in semine verorum filiorum Dei reputari possunt (*Rup.*); nomen idem fere dicit, quod 1, 9 *non populus meus* (*Sanct. Calm.*) et 1, 2 *filii fornicationum* (*Schegg*). Longam igitur per generationes seriem perniciei et altis radicibus fixam a Deo abalienationem indicat; eis poenam denuntiat : *mensis devorabit.* Aliqui id explanant in praesentiarum, cum festinatione, quasi mense uno vel proxime instante vos hostes devorabunt (*Hier. Sanct. Schegg, Trochon*), alii : per singulos menses i. e. crebro et diu hostium vastatio ingruet (cf. *Chald. Alb. Rib.*); *Aq.* interpretatus est *neomenias* [1] i. e. *kalendas* (*Hier.*); commodissime igitur festos eorum dies uno in exemplo dici accipimus, et eos iri devoratum propter scelestas sollemnitates, quas idolis celebrassent (cf. *Scholz*); *cum partibus* i. e. cum possessionibus in distributione terrae sorte singulis assignatis (cf. *Hier.*), vel generatim cum bonis temporalibus (*Rup.*), i. e. et homines et cetera bona terrae (*Trochon*) cedent hostibus; sed cum חֵלֶק *pars* quandoque etiam de *Deo* dicatur, qui sit summum bonum

1. LXX ἐρυσίβη cf. Ioel 1, 4 חָסִיל (pro חֹדֶשׁ ?)

et quasi hereditas nostra (cf. Ier. 10, 16. Ps. 16, 5; Ps. 73, 26 hebr.) et apud Is. 57, 6 idola quoque hoc nomine vocentur (cf. quae ad eum locum notavi), omnino probari potest, quod *Scholz* adoptavit, ita appellari h. l. *vitulos* Bethaven et Dan, qui simul cum cultoribus suis sint prosternendi (cf. 8, 5). Sollemne est, idola simul cum adoratoribus conteri, in captivitatem abduci (cf. Is. 46, 1; 2, 18. 20. Ier. 48, 7; 49, 3. Am. 1, 15. Mich. 1, 7; 5, 12 etc.).

« His dictis protinus mira prophetici spiritus acrimonia sic inclamat, devorationem illam iamiam imminere significans » (*Rup.*), iam bellicum strepitum et furorem ob oculos ponens, ut illustri figura res non dici, sed geri videatur (*Rib.*), v. 8 « *clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, ululate in Bethaven, post tergum tuum, Beniamin* »! — hebr. *vociferamini,* de clamore quoque bellico; « buccina pastoralis est et cornu recurvo efficitur, tuba autem de aere efficitur vel argento, qua in bellis et sollemnitatibus concrepabant » (*Hier.*); cf. Num. 10, 2 — 10; Lev. 25, 9. De Gabaa et Rama ita *Hier.* : « istae duae sunt in tribu Beniamin vicinae sibi mutuo civitates, i. e. Gabaa, in qua natus est Saul; et Rama, quae est iuxta Gabaa, in septimo lapide a Ierosolymis sita » utrumque oppidum in colle situm; unde apte ex illis signa periculi instantis in regionem late personare exhibentur (id quod custodibus et speculatoribus incumbebat; cf. Ez. 33, 1 — 6. Am. 3, 6. Ier. 4, 5; 6, 1); *Bethaven* vel Bethel oppidum est in monte Ephraim (Iud. 4, 5. 1 Reg. 13, 2), non longe a Silo, in via qua pergitur in Sichem. Tumultus igitur bellicus a meridie septemtrionem versus spargitur; quare mens prophetae non est Assyriorum irruentium impetum et terrorem describere, quippe qui semper a regione septemtrionali meridiem versus invadant; verum, uti v. 12. 14 et praesertim v. 15 indicat, ipse Dominus ex loco suo, i. e. ex templo quasi egressurus et bellum et fugam illaturus proponitur rebelli populo suo, uti Is. 66, 6. Am. 1, 2 : « Dominus de Sion rugiet, et de Ierusalem dabit vocem suam »; Ioel 3, 16; Ier. 25, 30 (cf. *Scholz*). Idem periculum, quod in Bethaven devolvitur, etiam in Beniamin serpet i. e. uti Israel, ita etiam *Iuda* [1] ruet; cf. v. 5. Hic est sensus : post tergum tuum, Beniamin, hebr. *pone te* vel *post te.*

Locutio probabiliter est proverbialis (*Schegg*), forte desumpta a persequente, qui post fugientem currens ei stragem inferre nititur; ergo a tergo instat et imminet hostis; id vel generatim dicitur, vel forte etiam cum veteribus intelligendum erit ita, ut expugnato regno Israel, quod a tergo (a septemtrione) adiacet

1. Apte enim *Barh.* : « in Beniamin regnum Iuda indicat » et *Ephr.* : « lupus rapax (Gen. 49, 27) erit in praedam ».

Beniamin, hostis in Beniamin bellum et vastationem delaturus dicatur; postquam scil. bellica vociferatio audita est in Bethel (post tergum Beniamin), tunc Beniamin sit de simili periculo monendus, quia strepitus revertetur in Beniamin. Propius tamen ad prophetae mentem explicabimus: Dominum expeditione bellica egressum et progressum in regni Israel excidium, inde reversurum et similem stragem illaturum (quasi a tergo) Beniamin; bene enim facies Beniamin ad urbem et templum dirigitur. Quod *Scholz* contendit, Beniamin non opprimi, iam v. 5. 10. 12. 13 refutatur; neque verum est, Beniamin fore post Israel, ut Israel secum in fugam abripiat.

Expeditione bellica indicta contra Israel et Iuda v. 8 in sequentibus pro utroque regno eius successum delineat, et primo quidem pro Israel v. 9 « *Ephraim in desolatione erit in die correptionis; in tribubus Israel ostendi fidem* »; — hebr. *Ephraim erit in vastitatem,* i. e. fiet regio deserta et vasta; ergo populi abductionem significat. Hanc poenam ut diu praedictam non sine acerba ironia innuit. Ipsi fidem foede violarunt, Deus autem fidem se servasse dicit; « in die supplicii decem tribuum ostendi mea fidelia verba, quae per prophetas comminatus sum, ut quod sermone praedixeram, opere comprobarem » (*Hier.* sim. *Cyr. Theod. M. Rup.*); talem vastationem et dispersionem iam per Moysen minatus est Dominus (Deut. 28, 64; 29, 28), repetiit per prophetas; unde si complet, ostendit, manifestat *fidelia*, firmiter promissa [1] (cf. hebr.) in sorte tribuum Israel.

Dein de regno Iuda v. 10 « *facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum; super eos effundam quasi aquam iram meam* »; — hebr. *quasi transferentes terminum* ex Deut. 19, 14; 27, 17 cf. Prov. 22, 28; 23, 10; unde eorum crimen non in eo est, quod terram Israel a suis incolis relictam occupaverint (*Hier. Ps. Ruf. Alb.*), sed « similes facti sunt terminos transferentibus et olim definita transgredi volentibus; qui enim soli Deo convenientia, ipsique iure dicata, caritatem inquam, honorem, adorationem aliis tribuunt .... isti omnino terminos mutant » (*Cyr.* sim. *Trochon*) vel « quemadmodum illi, qui divisionum in campis signa auferunt, dominii iuri nocent, sic vos, inquit, cum tanta esset inter me et idola intercapedo . . . firma iura dissolvistis nomen meum honoremque idolis attribuendo » (*Theod. M.* — sim. *Theod. Theoph. Rib. Lap.*).

Cum igitur iura omnia et humana et divina conculcent, pervertant, immutent — locutio certe erat proverbialis — iram Dei experientur, idque cumulatissime, « perinde ac rubri maris aqua super Pharaonem . . . . ad ostensionem virtutis Dei effundebatur » (*Theoph.*); « in aquis

1. *Ephr.*: « notam feci iustitiam iudiciorum meorum et veritatem verborum meorum ».

torrentibus et late regionem aliquam inundantibus exprimi exercitum copiosum et fortem, res est nota . . . sic Is. 8, 7; 30, 28. Ier. 46, 8 » (*Sanct.*); comparatio docet, excandescentiam Dei (cf. hebr.) et furorem subito diluvii instar magna cum copia et vehementia iri devolutum (cf. Gen. 19, 24).

Redit ad Israel, denuo expeditionis bellicae effectum delineans v. 11 « *calumniam patiens est Ephraim, fractus iudicio, quoniam coepit abire post sordes* »; — uti v. 10 priore loco peccatum, dein poenam, ita hic prius poenam declarat, dein causam, peccatum, subiungit. In hebr. *oppressus est Ephraim.* Solet *vulg.* עָשַׁק etc. vertere *calumniari* i. e. astute aliquem aggredi, eum dolo petere, ei molestiam creare; confractus est iudicio Dei [1] per hostes exercito, cf. 5, 1. 8. Et causa est: quia *voluit* (in hebr. non sine emphasi הוֹאִיל consilium certum cepit et exsecutus est) sequi *sordes,* i. e. idola et illas spurcitias, quae cultum comitabantur (cf. *Hier. Theoph. Alb.*).

Hebr. צָו recentiores vertunt *praeceptum* (cf. *Sanct. Mar. Scholz, Trochon*) et explicant *hominum praeceptum* i. e. cultum idolorum; at id satis languide dici, in aperto est. Melius est צו accipere cum *S. Hier.* quasi צוֹא, cf. צֹאָה, צֹאִי Is. 4, 4; 28, 8. Zach. 3, 3. 4. Prov. 30, 12 *sordes, stercora* etc. Nam in tali oratione, quae causam affert ruinae et confractionis Ephraim, certe gravissima accusatio exspectatur; Osee idololatriam *graviter* perstringere solet; eiusmodi derisio idolorum etiam in nominibus cognatis idolorum habetur, quae v. g. stercorei, trunci גִּלּוּלִים, abominationes שִׁקּוּצִים, תּוֹעֵבוֹת res detestandae et exsecrandae nominantur (cf. Lev. 26, 30. Deut. 29, 16. 17. 1 Reg. 21, 26; 2 Reg. 21, 21; 23, 24. Ez. 8, 10; 16, 36; 20, 7. 8. 31. Ier. 4, 1; 7, 30; 13, 27 etc. etc.). Eadem *Hier.* versio suffragium fert ab antiquis versionibus, quae omnes *praeceptum* minime exprimunt, verum *res inanes et vanas* (LXX, *Syrus*), *mammon mendacii (Chald.)* i. e. idololatriam turpem et evanidam insinuant, uti etiam interpretes graeci explicant.

Iudicio utrique regno denuntiato, assignatis causis, effectibus descriptis demum ad eum progreditur vates, qui est auctor et effector eius supremus, qui ceteris omnibus tantum ut suis administris utitur ad sua consilia exsequenda. Quare vehementer asserentis in modum clamat v. 12 « *et ego quasi tinea Ephraim et quasi putredo domui Iuda* »; — similitudo effert, paulatim, sensim obviam ferri regnum ruinae, sed ita tamen, ut vires deficiant omnisque demum vigor auferatur, donec subito uno quasi ictu leviter tacta omnia in ruinam collabantur. Ita in utroque regno accidisse facile apparet (cf. *Sanct.*). Tinea vestimenta

---

1. Negat *Schegg*, quia desit in hebr. praepositio בּ, vel מִן, ita hebr. posse intelligi: at cf. Is. 28, 1. Schegg vult: *fractus quoad iudicium* i. e. Ephraim omni iure caret; sed versio *vulg.* meliorem sensum praebet. *Syrus* habet: *oppressus in iudicio.*

consumit, putredo vel caries ligna, quod utrumque fit longo tempore (*Hier.*) et morsu tacito et lento, at certo certius omnis rei vigor exeditur specie externa manente, exeditur vitio interno in rei visceribus quasi nato. Ita utrumque regnum ex vitio interno omni demum vi est destitutum. Comparatio etiam saepius adhibetur; cf. Iob 4, 19; 13, 28; 27, 18. Prov. 25, 20. Is. 50, 9; 51, 8. — Prov. 12, 4; 14, 30. Eccli. 19, 3. Simul innuit, Dei agendi et vindicandi modum morsu procedere tacito ac lento, verum rei viscera succidente.

Et revera, sensit uterque populus se multis modis labascere; saepe enim tentatus ab hostibus et male concisus est, saepe et externa et intestina vexatio illum debilitavit (*Sanct.*), verum calamitatibus istis non est edoctus neque ad verum adiutorem exquirendum eruditus. Hanc quasi longam aegrotationem exhibet v. 13 « *et vidit Ephraim languorem suum et Iuda vinculum suum et abiit Ephraim ad Assur et misit ad regem ultorem; et ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis vinculum* »; — in calamitatibus non ad Dominum confugerunt, verum ab Assur auxilium stulte sperabant, implorabant, magnis muneribus emebant et servitutem pro ope nanciscebantur. Iam veteres h. l. de Manahem mentionem faciunt (cf. *Hier. Cyr. Haimo, Rup. Alb. Sanct.*), qui Phul regi « dedit mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium et firmaret regnum eius » (4 Reg. 15, 19), et commemorant etiam simile ab Achaz factum (l. c. 16, 7. 8. 2 Par. 28, 20: « dedit regi Assyriorum munera et tamen nihil ei profuit »).

Languor Ephraim certe sunt bella illa intestina et fere continuae rerum subversiones, quibus thronus Israel concutiebatur, dum tot coniurationes et caedes regum fierent. Iam post Ieroboam II interregnum i. e. tempus turbidum per 11 annos fuisse videtur, donec *Zacharias* filius eius regnum capesseret (cf. notam ad 1, 1), contra quem *Sellum* coniuravit, « percussitque eum palam et interfecit » (4 Reg. 15, 10); Sellum uno mense regnavit, et ascendit Manahem... et percussit Sellum et interfecit eum (l. c. 14) et aliis certaminibus et varia crudelitate regnum caede occupatum firmat et per decem annos tenet (l. c. 17) « fecitque quod malum erat coram Domino » (l. c. 18). Contra Phaceiam, filium eius, coniuravit Phacee et percussit eum (l. c. 25). Et Iuda vidit מזורו i. e. ulcus suum [1].

« Possumus *vinculum,* pro quo in hebr. scriptum est *mezor* et Aquila interpretatus est ἐπίδεσιν vel σύνδεσμον i. e. *colligationem* sive *coniurationem,* et ad illud tempus referre, quando Rasin et Phacee filius Romeliae multa de tribu Iuda millia vastaverunt, quod frustra Iudas adversus re-

1. Cf. זוּר, quod scil. obligari, fasciis circumligari, comprimi et exprimi oporteat — cf. Ier. 30, 13.

ges duos non Dei sed Assyriorum auxilia flagitarit » (*Hier.*). Et hoc vulnus Iudae erumpere coepit sub Ioatham (4 Reg. 15, 37), multoque magis sub Achaz (4 Reg. 16, 7), qui misit nuntios ad Theglathphalasar, regem Assyriorum, dicens : servus tuus et filius tuus ego sum, ascende et salvum me fac. Sed cum in subsequentibus solius Ephraim mentio fiat, haec ante Achaz dicta esse videntur. Neque enim ante Achaz ea deerant in Iuda, quae ulcera vel vulnera erant (cf. Is. 2, 6-11 ; 3, 8. 9; 5, 18-24) vel falsam in hominibus repositam fuisse fiduciam arguunt (cf. Is. 2, 12 et seq.). Verum ad Dominum, qui possit sanare (Ex. 15, 26. Deut. 32, 29. Is. 19, 22. Os. 7, 1), non confugiunt, sed Ephraim *misit ad regem ultorem;* adnotat *Hier.* : « ubi LXX posuerunt *Iarib*, nos iuxta Sym. *ultorem* vertimus ; nam *Aq.* et *Theodotion* [1] *iudicem* interpretati sunt » et ad nominis explicationem bene nos mittit ad Iud. 6, 31. 32 ; יָרִב est qui vindicat, ulciscitur, litigat (ἔκδικος, ἐκδικητής *Cyr.*) et ita rex vocatur, ut indoles eius describatur ; ab eo, qui totus natura sua in litigationem et oppressionem, in ultionem et vindictam propendet, quaerunt et petunt opem, pacem, amicitiam ; id est ac si de spinis ficus quis colligere velit ! Erit iis Assur *ultor,* quia revera demum poenas ab iis exiget extremas. Plerique iure Assur intelligunt ; aliqui regem Aegypti (*Theod.* ob 7, 11 ; *Theoph. Barh.*), ad quem utique Osee, ultimus rex Israel, auxilii petendi causa, quo se Assyriorum dominationi subtraheret, nuntios misit (4 Reg. 17, 4). At solus rex Assyriorum *ultor* exstitit pro Ephraim et Iuda.

Cur humana auxilia, potentia, sapientia opem ferre non valeant, explicat v. 14 « *quoniam ego quasi leaena Ephraim et quasi catulus leonis domui Iuda ; ego, ego capiam et vadam, tollam et non est qui eruat* » ; — iram scil. Dei provocant petentes auxilium ab exteris ; furor et potentia, cui nemo resistere potest, terror et horror similitudine illustrantur, paucis « iudicii severitas » (*Alb.*) ; cf. 13, 7. Populus Dei *leo* est, si Domino adhaeret (cf. Gen. 49, 9. Num. 23, 24 ; 24, 9), a quo si defecerit, ipsum Dominum quasi leonem diripientem experietur (cf. Is. 15, 9 ; 38, 13. Ier. 4, 7 ; 5, 6 ; 50, 17. Am. 3, 8).

Hebr. שחל leo, a rugitu dictus, modo λέων, modo λέαινα h. l. πάνθηρ in graeco vertitur ; כְּפִיר leo est iuvenis robore pollens, cf. Ez. 19, 2. 3 : mater tua educavit unum ex catulis suis et factus est *leo* כְּפִיר et didicit praedari et comedit homines ; unde hebr. in utroque membro leo robore et viribus adultus tamquam ultor apparet ; « ut quidquid saevum in bestiis est, hoc in Dei indignatione cognoscas » *S. Hier.* et graecam interpretationem explanans addit : « nihil panthere velocius, nihil leone fortius : in pan-

1. *Aq.* τὸν δικάζοντα, *Theod.* τὸν κριτήν, *Sym.* φονευτήν ; cf. cod. syr. hexapl.

there velox per Assyrios regni Samariae significatur interitus, et in leone fortissimum contra Ierusalem et Iudam aliquanto post tempore regnum ostenditur Chaldaeorum ».

Exsultantis in modum et terrorem incutientis vociferatione addit: *ego, ego discerpam et vadam* (hebr.) sicut leo, qui praeda discerpta imperterritus, quietus, nullius vindictam timens vel curans vadit. Aliter *Haimo* : « ego comprehendi ab hostibus faciam et vadam cum eis, ut etiam in captivitate positi praesentiam meae vindictae sustineant, qui peccaverunt, et tollam eos de proprio solo et non est, qui eruat, h. e. qui a mea potestate eripiat ». Olim populum suum *sustulit* et portavit in humeris suis (Deut. 1, 31 ; 32, 11. Ex. 19, 4. Num. 11, 12), nunc iam *tollet* eum, ut eum auferat de terra ; olim ut pater, qui portat parvulum filium suum, nunc ut leo rapiens atque discerpens.

c) **Ex calamitate salus 5, 15-6, 3.**

At eversio theocratiae via est et praeparatio novae eiusque gloriosioris instaurationis (cf. 1, 10 ; 2, 18 ; 3, 5) ; calamitate enim et iudicio erudietur populus ; hunc fructum ruinae Dominus praestolatur ; quare v. 15 « *Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis et quaeratis faciem meam* » ; — multi censent continuari metaphoram leonis, qui discerpta fera raptaque praeda vadat et redeat in speluncam suam (cf. *Ps. Ruf. Theod. Theod. M. Theoph. Rib. Sanct. Mar. Tir. Men. Trochón*) ; at aptius illa relicta de Deo verba accipiuntur, qui sicut tamquam vir bellator egressus est ad pugnam et ruinam inferendam (cf. Is. 42, 13), ita peracta ultione dicatur reverti [1] ad locum suum, i. e. ad coelum (cf. *Hier. Chald. Lap. Calm. Schegg, Keil, Scholz*), ut ibi quasi quiescat et consideret in loco suo (Is. 18, 4 — cf. *Alb.*) i. e. praestoletur successum et fructum ultionis. Ita illud *reverti* eo sensu dicit Deum se retrahere a populo (cf. *Hier. Cyr.*), quatenus eos in calamitate diu iacere permittat, non quasi nullam eis curam impertiens (*Theod. Theod. M. Theod.*), sed « ut quem propitium praesentemque non senserant, iratum et absentem requirant » (*Hier.*). Populi poenitentiam exspectat (cf. Ier. 3, 22. Mich. 7, 9). Status ille theocratiae prostratae et dissolutae designatur separatione Dei a populo, eius, qui inhabitare et inambulare antea solebat in populo suo, reditu in coelum, unde foedus cum populo initurus quasi descenderat et in tabernaculo foederis et in tem-

---

1. In hebr. legitur forma exhortationis et ea quidem ex codice babylonico qui an. 916 p. Ch. attribuitur in utroque verbo ; cf. Transactions of the Society of biblical Archeology, 1876 p. 135.

plo habitaverat. Cognatum est apud Ez. gloriam Domini relinquere templum (cf. 11, 23); *donec deficiatis* i. e. moerore conteramini, donec animi duri et contumaces frangantur malorum perpessione, ita ut *faciem Dei quaerant,* precibus, desiderio ad verum bonum suum in Dei cultu quaerendum animos applicent; in hebr. *donec culpae poenas dederitis;* אָשֵׁם cf. 10, 2; 14, 1. Is, 24, 6. Ier. 2, 3. Nam sola vexatio dabit intellectum (Is. 28, 19. *Alb.*). Unde 6, 1 « *in tribulatione sua mane consurgent ad me : venite et revertamur ad Dominum* »; — i. e. omni studio et fervore quaerere, *mane,* mature et diligenter rem persequi, שָׁחַר quasi simul cum *aurora* se ad opus accingere. Rem perpendit *Cyr.* : « ὀρθριοῦσιν hoc loco videtur significare semel a somno dementiae qua tenentur excitatos, et quasi e nocte atque tenebris de cetero in lucem et diem ingressos inter se cohortando acclamaturos, decere ad Dominum reverti ». Cum enim, uti *Theoph.* monet, per clementiam Dei ad poenitentiam non sint adducti, per severiora castigati sunt, ut in corporalibus afflictionibus quae per molles medelas curari nequeunt, opus est austerioribus pharmacis. Nam « illa est maxima tribulationum vis, ut caecos aperiat oculos et languentes instimulet et ad officium revocet »; cf. Prov. 1, 27. Ps. 82, 17. Is. 26, 16 (*Sanct.*). Et in hac mutua inter se cohortatione [1] praeclare elucet studium, quo sua quisque conversione non contentus alios quoque eodem fervore imbuere nititur. Iam Dominum agnoscunt et cognoscunt, res et eventus ex Dei norma metientes : v. 2 « *quia ipse cepit et sanabit nos, percutiet et curabit nos* »; — ipse scil., non hostes, mala inflixit; est primus resipiscentiae gradus, quo in reipublicae eversione et captivitatis miseria *Dominum punientem* agnoscunt, non in humanis causis haerent; hebr. *discerpsit nos,* theocratiam destruxit cf. 5, 14; *percussit nos et* (vulnus) *obligabit;* LXX μοτώσει « proprie autem μότα appellantur *linteola* quae inseruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant et extrahant purulentias » (*Hier.*). Poenis eruditi didicerunt, quod antea agnoscere nolebant (5, 13), Dominum esse unicum salutis fontem. Verba haec praeterea animi submissionem, patientiam, fiduciam praeclare prae se ferunt, uti generatim prophetae pia hac animorum dispositione instaurationis tempus praeparari docent (cf. Mich. 7, 9. Is. 63, 15 etc.. Ier. 3, 25). Eiectio in exsilium, dissolutio theocratiae est quasi *mors* populi; cum plerique peccatis foedus illud cum Domino initum violaverint, a Deo, vera vita, separati vitam degebant miseram, quae potius

---

1. Bene LXX explicationis causa inserunt λέγοντες; sim. *Syrus, Chald.* et ea verba *a populo* dicta etiam interpretes accipiunt plerique, cf. *Cyr. Theod. Alb. Sanct. Lap.*; prophetae attribuit *Keil, Trochon.*

mors erat dicenda, et Dei gratia et favore destituti animos etiam mortuos gerebant. Unde instaurationis bona vitae et suscitationis symbolo delineant v. 3 « *vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos et vivemus in conspectu eius* » ; — quid sibi vult *post duos dies* etc.?

Iam veteres explicant, bidui spatium poni, ut *cito* (cf. *Ephr. Ps. Ruf. Theod. Theod. M. Theoph. Barh. Lap. Mar. Tir.*) et *facile* (*Calm.*) Deum salutem allaturum esse significetur, neque recentiores abnuunt (cf. *Schegg, Keil Trochon*). Praeterea alii numeros hos ad certam signficationem revocare student; *Cyr.* v. g. primum tempus exordia intelligit generis humani, secundum, illa quae subsequuntur, tertium vero ultimum ac supremum, quo nobis Christus apparuit; *Haimo,* ea pertexens quae h. l. *S. Hier.* cum Iudaeis disputans innuit, haec refert ad primum et secundum Christi adventum et nostram per fidem ad vitam suscitationem, id quod duplici ratione pertractat. *Scholz* dies *duos, par* dierum tempus dicit miseriae, quod afflictis quasi tempus duplo longius videtur (et nos remittit ad 13, 13. Is. 26, 17, quibus in locis tempus calamitatum cum parturientis doloribus confertur); sed quia verba haec *vivificabit nos post duos dies* tempore miseriae transacto, cum iam ope miseriarum ad resipiscentiam sint adducti (cf. 5, 15), a populo dicantur, haec explanatio cadit. Si quis proverbialis loquendi modi mentionem iniecerit, uti v. g. Luc. 13, 32 *ecce eiicio daemonia et sanitates perficio hodie et cras et tertia die consummor,* respondebo, tale *proverbium* etiam apud Luc. non citra controversiam assumi, neque in tam sollemni effato apud prophetam meri proverbii esse locum. Quod aliis placet, haec non tam de fidelibus, quam de eorum capite, Christo, dici, qui post duos dies passionis et sepulturae [1] tertia die sit resuscitatus (cf. *Rib. Lap.*), verba sane non admittunt, cum neque de Christi morte neque de certo mortis tempore, ut dici queat *post duos dies,* ullus proferatur sermo.

Commodissima et e re ipsa quasi nasci mihi videtur haec explicatio : cum Osee instaurationem tamquam foederis conclusionem proponat (cf. 2, 16. 18), de instauratione illa in mentem revocat, quae facta sunt in prima foederis pactione et populum eadem ratione se ad eam praeparare, postquam resipuerit, describit, qua ad prius illud : postquam enim populus foederis pactionem a Domino propositam cum gaudio et prompta voluntate accepit, Deus Moysi mandavit : « sanctifica illos hodie et cras... et sint parati in diem tertium, in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai » (Ex. 19, 10. 11 ; cf. 15. 16). Eodem modo populus ad novum foedus instaurandum ex Dei clementia sese accingens, illud praeparatione praemissa post duos dies die tertia fieri ait, et

1. Alii iterum aliter : cf. apud *Alb.* « primus ortus est de coelo, de sinu Patris ; secundus in utero virginali, tertius de sepulcro; vel : primus est salvatoris humilis adventus ; secundus cum ab omnibus in gloria videbitur in carne ; tertius, quando peracto iudicio ampliorem gloriam suae claritatis electis monstrabit » etc.

eadem locutione eodemque schemate foedus novum tamquam veteris illius perfectionem designat.

Generatim adverti licet, quoties in historia sacra *dies tertius* tamquam dies insignis, memoriabilis inveniatur : *die tertio* Abraham locum vidit sacrificio a Deo destinatum (Gen. 22, 4); *die tertio* natalitius Pharaonis erat (Gen. 40, 20); *die tertio* fratres Ioseph e carcere educti sunt (Gen. 42, 18); viam *trium dierum* in solitudinem postulat Moyses, ut sacrificet Domino (Ex. 5, 3); *die tertio* et septimo immundus aspergi debuit aqua lustrali (Num. 19, 12. 19); ad transitum Iordanis praeparatio erat praemittenda, *post diem tertium transibitis Iordanem et intrabitis ad possidendam terram* (Ios. 1, 11); usque ad *tertium diem* Roboam populum differt (3 Reg. 12, 5); *tertio die* Ezechiam ascensurum esse in templum, Deus tamquam orationis exauditae signum praedicit (4 Reg. 20, 5); *tertio die* Tobiae et Sarae preces ad Deum ascendunt, *tertia nocte* benedictionem se consecuturos audiunt, *tribus noctibus* Deo iunguntur (Tob. 3, 12; 6, 21; 8, 4); *die tertio* Esther spreto vitae periculo regem adit populum servatura (Esth. 5, 1; 15, 4); *die tertio* Ionas e ventre piscis servatus est (Ion. 2, 1). Quare non mirum erit, si dicamus diei tertio [1] sacrum quid inesse, et populum post reditum ad Dominum praeparatione praemissa die tertio exspectare foederis instaurationem sollemnem; prophetam vero hoc dicendi schemate a primo foedere deprompto nexum qui adsit inter primum et alterum voluisse declarare et secundi foederis naturam et indolem ex priore illustrare.

Vivificabit, notat *Calm.* : « Scripturarum more captivitas, oppressio, servitus, morbus, periculum frequenter mortis nomine significantur; malorum vero finis resurrectio, reditus ad vitam lucemque vitae renovatio etc. appellatur ». Vera haec quidem, at h. l. non sufficiunt; nam cum propheta in antecedentibus apostasiam a Deo et vitia perstrinxerat tamquam veram malorum causam, vita haec ad quam Deus revocat est vita fidei, spei, caritatis, vita fervoris in cultu Dei, vita in Deo beata (cf. 2, 19. 20); deinde, quia iudicium illud theocratiam dissolvit, *vita* erit generatim in theocratiae instauratione; hanc praecipue spectare videtur illud *suscitabit nos* יְקִמֵנוּ — *nos eriget,* nos iam mortuos denuo suscitabit firmiterque constituet; ita, dum singuli nova vita praediti sunt et ipsa theocratia nova forma novoque splendore sit excitata, « *vivemus in conspectu eius* » vera coram Deo vita, luce, prosperitate, Dei favore fruentur, tamquam verus populus Dei, qui coram Deo ambulat et in quo Deus sibi complacet (cf. 2, 24); *vivent,* quia nulla iam apostasia, nulla peccati poena *sanctis* illis novi foederis est timenda (cf. 2, 18. 21—23). Ulteriorem *vitae* huiùs descriptionem in altera versus parte vates prosequitur, de qua infra.

---

1. Non multum abest ab explicatione proposita, quod scribit *Ephr.* : « die tertio suscitabit nos i. e. velociter liberabit nos sicut ex Aegypto ad mare in die tertio liberavit ». At non constat in eo eventu de die tertio.

Locum hunc insignem multi de Messiae resurrectione, tertia die facta, et de nostra cum illo resurrectione futura explanant. Vario tamen modo. Aliqui enim *nostram* praecipue ibi cernunt praedici resurrectionem, quae virtute resurrectionis Christi capitis in membris eius futura sit; ita *S. Gregorius*: « propheta per resurrectionem Domini humanum genus vidit in fine suscitari » (hom. in Ezech. l. 2. hom. 8; *M.* 76, 1031). Alii hunc locum adducunt tamquam testimonium et vaticinium de Christi resurrectione tertia die futura; ita *S. Augustinus* (de Civ. Dei 18, 28; *M.* 41, 584): « praenuntiavit iste propheta etiam tertio die Christi resurrectionem futuram, sicut eam prophetica altitudine praenuntiari oportebat, ubi ait Osee 6, 3... secundum hoc enim nobis dicit Apostolus: *si resurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite* ». Ita *Hilarius* diacônus (in 1 Cor. 15, 4; *M.* 17, 261): « omnia in fide clausa sunt, ideo *sub persona populi* resurrectio Domini tertia die futura descripta est; dicit enim Osee... in Christo enim omnes resurrexisse nemo negat ». Alii hoc loco utuntur in testimoniis contra Iudaeos: *Cyprianus* (c. Iud. 2, 25; *M.* 4, 717), sed cum simul afferat Ex. 10, 11, dubitari licet, num veri nominis *prophetiam* ibi agnoverit; similiter *Gregorius Nyssenus* (Testim. adv. Iud. 8. *M.* 46, 216), at eodem in loco multi textus allegantur, qui resurrectionis praedictionem certe non continent; ita enim scribit: « David resurrectionem eius praevidens dicebat: *exsurge, quare obdormis Domine*, (Ps. 43, 23), et iterum: *exsurge, salvum me fac* (Ps. 3, 7) et rursus: *exsurge, adiuva nos* (Ps. 43, 36) et Ps. 81, 8 et Is. 33, 10. 11 ». Etiam *Lactantius* (de Instit. 4, 19; *M.* 6, 513): « Oseas primus duodecim prophetarum de resurrectione eius testificatus est ». *Origenes* (nisi textus soli interpreti, *Rufino*, sit adscribendus) (hom. 5 in Ex., *M.* 12, 327) ita: « prima dies nobis passio Salvatoris est, et secunda, qua descendit in infernum, tertia autem resurrectionis est dies »; attamen, qua ratione haec fiat argumentatio, Origenes nos docet, cum pergat: « et ideo in die tertia Deus antecedebat eos (filios Israel ex Aegypto egressos) per diem in columna nubis... »

Alii ex Osee verbis etiam quaedam praedici innuunt, quae Christi resurrectionem comitabantur: *Tertullianus* (c. Marc. 4, 43; *M.* 2, 465): « sic nec mulierum illarum officium (Luc. 24) praeterit prophetia, quae ante lucem convenerunt ad sepulcrum cum odorum paratura; de hoc enim per Osee: *ut quaerant*, inquit, *faciem meam, ante lucem vigilabunt ad me, dicentes: eamus* etc. quis enim haec non credat in recogitatu mulierum illarum volutata » . . ? Sed quanta cum libertate verba quandoque *accommodet* Tertullianus, eodem in loco plura ostendunt: v. g. Am. 8, 9 *et erit illa die, dicit Dominus, occidet sol meridie* et diem crucifixionis explanat et horae sextae significationem ibi haberi vult (cp. 42); Is. 27, 11 revertentes a sepulcro mulieres et ab illa visione angelorum prospici ab Isaia contendit, et alia plura.

Rufinus (in symb. Ap. n. 30; *M.* 21, 366): « Osee propheta etiam de tertia die manifestissime pronuntiat. . . haec autem ex persona eorum dicit, qui cum ipso die tertia resurgentes de morte revocantur ad vitam ». Sed, quae de Tertulliano, etiam valent de Rufino; ad resurrectionem enim applicat v. g. Ps. 3, 6; 11, 6; 29, 4. Is. 27, 11 etc.. Demum ut e recentioribus unum addamus, *Pusey* censet, resurrectionem Christi et nostram non potuisse clariore modo praedici

quam hoc Osee loco ; at simul fatetur aequales Osee ea verba non potuisse intelligere, sede ea mysterio abscondita fuisse usque ad eventum.

De tali autem verborum Osee explicatione iam *Sanctius* ingenue fatetur : « ego hic omnia invenio vehementer implexa, neque aliquid video, in quo curiosus animus non offendat » ; ipse alio modo rem expedire conatur : Ionae sortem omnibus notam abiisse in proverbium, quocirca, qui dolorem suum atque oppressionem consolari vellet, cum allusione ad Ionam optime dicere potuisse ea, quae populus dixerit apud Osee ; Ionae vero historiam umbram Christi, qui tertia die ad vitam remigraverit, neminem negare ; « cum igitur *umbram* intuentur, qui eo loquuntur modo, Ionam spectantes Christi resurrectionem, licet ignari, respiciunt » et ita demum Osee verba de Christo resurgente dici. At multa hic incerta asseri, clarum est ; num Ionas ante Osee vixit ? num tale proverbium exstitit ? num eo exstante prophetia in *proverbio* habetur de Christo ?

Considerandus igitur est nexus, qui adsit inter populum et Messiam, quem nexum optime nos docet Isaias in vaticinio *de servo Domini* : quia Israel servus Domini peccat, alter servus Domini obedit ; quia ille iacet prostratus, hic *mortem* subit, ut peccata et mortem illam expiet ; ex morte vero gloriose vivens vitam etiam suis largitur (cf. Is. 52, 13 — 53, 12 et vide quae ad h. l. notavi in comment.[1]). Ergo si apud Osee populus sanatur, vivificatur, suscitatur, id opus messianicum peractum supponit, id Messiam expiatione facta ad vitam rediisse et vitam aliis tribuisse dicit, cum membra non dicantur vivere nisi vita a capite accepta, proin viva membra vivum etiam caput suo ordine ac debito modo dicant. Et hunc nexum indicant *Cyrillus, Hilarius, Rufinus, Theophylactus.* Et *Cyr.* quidem ad h. l. et in Ioan. Ev. ad 2, 11-13 (*M.* 73, 228) : « corruptione et morte percussos rursus curavit ipse tertia die i. e. ultimis temporibus, quando homo factus naturam sanam reddidit eam totam excitans a mortuis in seipso » ; *Hilarius* vero loco supra allegato : « *sub persona populi* resurrectio Domini descripta est ; *in Christo* enim omnes resurrexisse nemo fidelium denegat » ; fere eadem *Rufinus* l. c. *Theoph.* autem ad h. l. : « percussae naturae iniecit Filium suum, seu μοτάριον (cf. Os. 6, 1 ; LXX μοτώσει ἡμᾶς, uti supra) qui in vulnere mortis constitutus sanavit nos resuscitavitque tertia die ». Quare *Theod.* et *Theoph.* bene dicunt : « αἰνίττεται (adumbratur) per haec etiam Salvatoris post tres dies resurrectio ». Et certe non errabimus, si Dominum, quia sacrum istum numerum ternarium, qui toties in sacra historia cernitur, etiam sua resurrectione consecrare voluit, providentia sua rerum cursum et prophetae verba ita ordinasse dixerimus et direxisse, ut tertii diei et vitae in eo largiendae et suscitationis perficiendae mentio fieret. Vaticinium vero explicitum et directum verba minime exhibent.

Quae sit nova illa vita, deinceps describit ; consistit scil. in Dei cognitione, in studiosa divini beneplaciti impletione, in abundanti Dei benedictione ; ita « *sciemus sequemurque ut cognoscamus Dominum ;*

---

1. Erklaerung des Propheten Isaias. Freiburg i. B. 1881.

quasi diluculum praeparatus est egressus eius et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terrae »; — in hebr. se ipsos exhortantur: *sciamus, persequamur* (nitamur omni conatu) *ad cognoscendum Dominum*; ita tollitur scil. illa Dei ignoratio, de qua vates conqueritur 4, 1; maior Dei cognitio in illa instauratione constanter promittitur (cf. Is. 2, 3; 11, 9. Ier. 31, 34); veram autem et intimam Dei cognitionem plurima in se complecti bona, imprimis mandatorum impletionem, liquet, « haec est enim vita aeterna, ut cognoscant te ».. Dein proponit, quomodo Dominus iis illucescat, appareat: *sicut aurora conspicuus* (certus, stabilitus) *est ortus eius* (hebr.) i. e. novo lumine pulsis tenebris noctis nova vita et laetitia eos perfundet (cf. *Rib.*); imago aurorae spirat amoenitatem, pulchritudinem, splendorem et maioris luminis, quod in ipso sole fulget, est augurium; ita Dominus certe suis obviam it et qui semel eius lucis radium viderint, susceperint, ab ipso a claritate in claritatem promoventur, donec post huius vitae auroram in die aeternitatis ipse sol iustitiae et gloriae omni velamine ablato eis affulgeat. Ex vulva aurorae ros descendit ad terrae fertilitatem; etiam hanc benedictionem spirituali ratione largissime iis fieri, comparatione cum imbre explanat; pluvia enim praesertim in Palaestina conditio est perquam necessaria fertilitatis; temporaneum imbrem vocat pluviam, quae iactis seminibus datur mensibus Novembri et Decembri, qua infusa coalescunt semina; serotinam autem, quae ad maturitatem perducit fructus et a medio Martio usque ad medium Aprilem exspectatur (cf. *Haimo*). Dominus igitur large subministrabit fluenta gratiae suae — gratiam praevenientem et subsequentem in imbre temporaneo et serotino *Alb.* adumbratam cernit —, quibus irrigati fructus afferant amplissimos pro horreis Domini (cf. 2, 21. 22).

Hic esse sermonem concludendum, ipsa materia prorsus exigit. Nam ad instaurationem eiusque indolem delineandam oratio ascendit, i. e. culmen et fastigium nacta est: tribulatione proposita declaratum est, quem tandem exitum per Dei clementiam et fidelitatem res populi Dei habitura sit: salus messianica iis offertur, in hac autem describenda munus prophetale absolvitur. In sequentibus oratio ex ultimo et altissimo hoc termino redit ad conditionem praesentem, ad populi scelera reprehendenda; unde ea quam adoptavi divisio ex ipso dicendi argumento enascitur.

III. — TERTIA REPREHENSIO IN CONTUMACES 6, 4-7, 16.

Arg. — Tot conatus Deus per prophetam iam adhibuit ad populi correctionem; at frustra, unde quasi desperantis in morem quaerit, quid demum faciendum sit. Nam fides eorum evanuit. Punivit per prophetas

illorum scelera, morte eos mulctavit, manifesta iudicia in eos exercuit, quia fidem et Dei cognitionem in iis desideravit — ipsi vero ut apostatae peccarunt; huius apostasiae testis est Galaad, testes sunt sacerdotes, agmen latronum, testis et argumentum totus populus foede coram Deo maculatus. Etiam Iudae instabit iudicium (6, 4-11). Immo cum Deus avertere vellet captivitatem et sanare Israel, eo magis prodiit eorum iniquitas; in occulto et in aperto scelera perpetrant, neque Dei reverentiam vel memoriam habent. Ita quoque principes; omnes quasi vitiorum igne succensi sunt, qui suis incrementis augetur, quo in furore festos dies celebrant idololatricos cum potationibus et rerum sacrarum irrisionibus; animos enim gerunt dolis et fraudibus succensos; fatalem hunc ignem ab aliis subministratum in animis suis condiderunt et foverunt in tantum, ut ipsos suos duces devorarent (7, 1-7). Ita a Deo abalienatus Ephraim gentium indolem ac naturam induit, factus est insipidus ac corruptus, robur eius emarcuit, vigor recessit; superbia sua ruinam sibi accersivit, neque tamen ad Deum supplex opem imploraturus confugit, verum exteris supplicat; at quo magis ab illis opem flagitant, eo magis a Domino affligentur (7, 8-12). Unde vae eis; praevaricantur, dum Deus eos vult salvare; afflicti Deum affligentem non deprecantur, neque Deum largitorem agnoscunt beneficiorum, sed ab eo avertuntur; quare principes cadent et erunt subsannationi iis, a quibus opem efflagitabant (7, 13-16).

Haec reprehensio id potissimum addit ad antecedentia, ut Deus varios dicatur adhibuisse et adhibere conatus, quibus eos a vitiorum semita coerceat, at frustra.

a) **Frustra in rebelles animadversum est 6, 4-11.**

Admonitiones per symbola (cp. 1) et verba prophetica fructum non attulerunt. Quare Deus vehementer increpantis et incusantis in modum (cf. *Cyr.*)interrogat, quid ultra sit conandum, quid tentandum; est sermo quasi de eorum emendationis remedio efficaci desperantis v. 4 « *Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda ? misericordia vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens* » ; — i. e. omnia tentavi, quid restat *(cf. Alb. Rib. Sanct. Lap.)?* incipit, uti 2, 2 e rei visceribus et quaerit, uti Is. 1, 5. Quam merito ita quaerat, tum ex antecedentibus elucet, tum v. 5 ratio redditur. De qua re iure conqueratur, explicat: *misericordia vestra,* hebr. חֶסֶד (cf. 4, 1) non est Dei in eos benignitas, quae cito deficere debeat propter scelera eorum *(cf. Hier. Cyr. Theod. M. Haimo)* verum, uti Ier. 2, 2, eorum pietas, eorum in Deum dilectio *(Lap. Gord. Trochon)*, eorum bonitas *(Chald.*

Syrus), eorum resipiscentia citissime evanuit, ut nubecula, quae mane conspicitur, sed a solis radiis statim dissipatur ac consumitur *(Alb.)*, uti ros qui extemplo a sole exhauritur et siccatur *(Theod.)*. Exiguo enim tempore et ab initio foedere concluso fidem et fidelitatem Deo servaverunt et postmodum frequenter defecerunt neque ullam in Dei cultu constantiam exhibuerunt.

Cum tam mobilis essent ingenii et adeo proni ad infidelitatem, Deus curam eorum gerens assiduam remedia tentavit; ita v. 5 « *propter hoc dolavi in prophetis, occidi eos in verbis oris mei et iudicia tua quasi lux egredientur* »; — *dolavi*: « sumitur metaphora a lapidibus, vel a lignis, quae ab artifice dolantur et expoliuntur, ut apta sint aedificio; vehementer igitur eos corripui et crebris ictibus pulsavi, ut eos expolirem et ad rectitudinem et aequalitatem morum adducerem » (*Rib.* sim. *Sanct.*), admovit prophetalium admonitionum secures, uti *Ps. Ruf.* loquitur, « verbis terribilibus comminatus sum, scalpellum, ignes et cauteria protuli » *(Hier.)*; *in prophetis*; Deus enim est, qui *in iis* loquitur (cf. Zach. 1, 9. 13). Et monitionibus prophetarum pondus addidit et auctoritatem: *occidi eos* i. e. saepe iam in reluctantes sententiam mortis protulit et exsecutus est; clades et stragem praedixit et singulis et toti reipublicae et haec vaticinia non carebant effectu, quare illi frustra moniti *in ipsis verbis* occidi dicuntur.

Referunt v. g. Eliae res gestas (3 Reg. 17; 18, 40 etc.) vel comparant Is. 1, 9. 10. Ier. 1, 10 (*Alb. Sanct.*); attamen non opus est *occidi* accipere — mortem comminatus sum, praedixi; verum iudicia, quae *exercuit*, ab ipsis verbis et orationis gradatione postulántur; neque desunt exempla et privata et publica (cf. 3 Reg. 13, 2. 26. 14, 12-16. 15, 29. 16, 2-4. 34. 21, 18-24. 4 Reg. 1, 4. 2, 23. 24. 9, 7-10. 13, 3. 15, 29). Hebr. חָצַב h. l. accipiunt *scindere*, secare, prosternere (cf. Is. 51, 9. *Scholz*). LXX de pseudoprophetis explicant ἀπεθέρισα (cf. *Cyr.*), uti ab aliquibus latinis interpretibus illud *occidi eos* (cf. *Rup. Haimo, Alb.*) intelligitur. Immo etiam de morte veris prophetis illata a populo aliqui explicant (cf. *Ephr. Barh. Estius, Tir.*).

Ultimum membrum ita connectit *S. Hier.*: « et haec universa feci, ut iudicii, quo te iudicaturus sum veritas appareret, nullusque dubitaret vos iuste quae patimini fuisse perpessos »; ideo *iudicia tua quasi lux egredientur* « ut nemo iam quid merearis ignoret nec deformitas tua... delitescat » (*Ps. Ruf.*); ea scil. condemnationis et abiectionis iudicia fore ita aperta, ut solis instar omnium oculis occursent (cf. *Sanct. Rib. Lap. Sa*); *Schegg* comparationem reponit in cursu celerrimo, quo lux ingentia pervadit spatia, ita *subito*, de repente adfore iudicia; at ipse terminus comparationis a simplicitate veterum abhorret neque iudicia illa, toties praedicta, ita subito vel inexspectato irruerunt. A verborum usu et significatione non

abhorret, immo *lucis* symbolo magis accommodatur haec explicatio : ea feci, ut apud Israel iustitia quasi lux effulgeret et prodiret, ut Israel ad iustitiae et rectitudinis normam et lucem reducerem. — Veteres versiones (LXX, [1] *Syrus, Chald.*) praebent *iudicium meum* ; idem vertisse videtur *S. Hier.*, nam explanat : « ut iudicii quo te iudicaturus sum veritas appareret » ; etiam *Haimo* scribit : « mea iudicia quasi lux egredientur, i. e. manifesta fient », vel potius : iudicium meum purum, uti lux, pellucide sanctum, splendidum splendore iustitiae, sine ulla reprehensionis umbra (cf. *Scholz*).

Cur Deus conatus illos adhibuerit et cur iustitiam Israel expetat, ratio redditur v. 6 « *quia misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta* » ; — hebr. חֶסֶד cf. 4, 1 ; in pietate, in dilectione sibi complacet ; fidem illam et fidelitatem expetit, de qua Ier. 2, 2 ; de scientia cf. 4, 1. Cultum externum, si interno spiritu destituitur, respuit ; cf. Is. 1, 11 ; 66, 3. Mich. 6, 7. Ps. 49, 8 — 15 ; idque merito, nam cultus externus symbolum est hominis naturae adaptatum ad internam reverentiam, adorationem exhibendam et repraesentandam ; unde si mentis ad Deum subiectio deest, symbolum est mendax, inane. Atque quo magis Israelitae rebus externis et sensibilibus erant dediti, eo magis inculcari debuit, sacrificia mere externa nullatenus Deo posse esse accepta. Ea est enim hominum rudium superstitio, ut pressi calamitatibus placare studeant numen ritibus externis. Quare propheta monet, nihil iis profuturum esse, etsi praecepta ritualia omnia observarint, nisi vera animorum religione ad Deum redierint. Apta monitio, quia Israelitae in cultu externo satis diligentes fuisse videntur (cf. 4, 8. 15; 5, 6 ; 8, 11. 13).

Quam longe absint a Dei beneplacito, et quam frustra igitur Deus illos conatus (v. 5) adhibuerit, declarat v. 7 « *ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum ; ibi praevaricati sunt in me* » ; — « ipsi autem imitati sunt Adam, ut quod ille in paradiso fecerat pactum meum legemque praeteriens, isti in terra facerent » (*Hier.*) et sim. interpretes latini ; neque immerito ; nam Osee saepius ad historiam sacram in Pentateucho consignatam alludit (cf. 11, 8 ; 12, 3. 4. 12. 13) et כְּאָדָם (cf. Iob. 31, 33) id omnino suadet ; ὡς ἄνθρωπος (LXX, *Syrus*) enim languida est atque ieiuna [2] comparatio ; « sicuti priscae generationes » (*Chald.*) meliore quidem *sensu* dicitur, sed num *voci* iste sensus inest ? Insuper praeceptum Adamo

---

1. In cod. syr. hexapl. legitur κρίμα σου, cum Compl. 4 codd. (pg. 169. 513).
2. Id sensit *Cyr.* : « undecumque nos optimo consilio verum diligentius indagare conantes nunc quoque fateri oportet editionem hebr. habere *ut Adam*... »

tamquam capiti generis humani datum, a quo pro toto genere tanta dependebant bona, iure optimo foederi vel pacto comparatur, immo multi gravesque theologi veri nominis pactum a Deo cum Adamo esse initum volunt. Ea comparatione gravitas peccati, inobedientia illustratur, cum tot adessent adiumenta ad Deo fideliter serviendum, tot rationes, quibus protoparens ad peccatum vitandum incitari debuit; illis quoque regio erat assignata « terra bona, terra rivorum ac fontium, terra frumenti ac vinearum, olei ac mellis, ubi absque ulla penuria comedes panem tuum et rerum omnium abundantia perfrueris » (Deut. 8, 8. 9), quam observatione mandatorum custodire debebant (cf. l. c. v. 19) ; in hac praecipua terrarum omnium (Ez. 20, 15) hisce Dei donis praeventi et circumdati, talibus promissionibus et minis eruditi, *ibi* a Deo apostatae facti sunt (cf. בָּגַד). Alii (*Schegg, Scholz*) אָדָם *gentes* explanant ; sed quo iure ? erit igitur cum *Ros. Hitz. Keil* in versione *S. Hier.* sistendum.

Iam quo gravior sit accusatio et quo magis mentes obduratas percellat, eius testes et argumenta profert et aliqua documenta quasi digito demonstrat v. 8 « *Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine* » ; — hebr. אָוֶן cf. 4, 15 ; 12, 12 ; *civitas operantium iniquitatem :* ita proprie ; verum און etiam nomen est pro idololatria, pro cultu vitulorum, et *S. Hier.* asserit, in ea urbe trans Iordanem in possessione tribus Gad idolum consecratum fuisse et civitatem, quae utpote habitata a sacerdotibus (levitis cf. Ios. 21, 38) et una ex urbibus refugii celebrior fuerit atque maioris auctoritatis, habitanti trans Iordanem Israeli principium fuisse idololatriae et malorum omnium, et qua talem etiam primam ab Assyriis captam. Est Ramoth-Galaad (cf. 5, 1 ; Ios. 20, 8). Alii tamen non urbem, sed totam regionem Galaad (cf. Deut. 34, 1. 4 Reg. 10, 33. Iud. 20, 1) intelligunt (cf. *Winer* s. v. *Keil, Schegg*). Praeter cultum idololatricum — vel ut veteribus et *Schegg* placet praeter idolorum fabricationem — increpat in iis sanguinis maculam i. e. caedes, oppressiones ; hebr. verte : *foedata sanguine* (cf. *Mar. Scholz*) quasi vestigiis sanguineis impressa [1] vel fraudulenta sanguine i. e. locus sanguine occisorum refertus (cf. Ier. 17, 9). Ita *Chald.* : civitas in dolis effundentium sanguinem innocentem ; textus *vulg.* eiusmodi culpis urbem interitui esse mancipatam effert.

Quomodo Galaad et latrociniis vacet et sanguini et sacerdotum impietatem (cf. 5, 1) secuta sit (*Hier.*), etiam clarius proponitur v. 9 « *et quasi fauces virorum latronum particeps sacerdotum, in via interficien-*

---

1. Hoc sibi velle videtur, quod *Theod.* habet ἴχνος αὐτοῦ ἀπὸ αἵματος (cf. cod. syr. hexapl.).

tium pergentes de Sichem, quia scelus operati sunt » ; — « fauces virorum latronum sunt cavernae ceteraque loca abdita, in quibus absconsi praetereuntes exspoliant et interficiunt » (*Haimo,* sim. *Sanct.*) vel, ut ***Rib.*** explicat, Galaad sitiens est caedis, sanguinis, latrocinii, uti latrones sanguinem et praedam sitiunt; et hisce in criminibus sese adiungit et par est sacerdotibus, studio atque animo sacerdotibus consentit (*Sanct.*) ; *in via interficientium...* narrat ***Hier.*** : « (quorum) cum intelligentiam iuxta historiam quaereremus ab Hebraeo, ita nobis expositum est : sacerdotes Bethel temporibus Paschae et Pentecostes et Scenopegiae, quando per Sichem, quae hodie Neapolis appellatur, eundum erat Ierosolymam, ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur pergentibus, ut magis vitulos aureos in Dan et in Bethaven, quam in Ierosolymis et in templo adorarent Deum » ; sim. explanant ***Ephr. Cyr. Ps. Ruf. Haimo, Rib. Lap.*** Res non est incredibilis; nam pios Israelitas in Ierusalem ascendisse ad adorandum, certum est ex Tobiae exemplo (Tob. 1, 6), idemque colligi potest ex eo, quod Ezechias omnes Israelitas ad Phase faciendum Ierusalem invitabat (2 Par. 30, 1. 5. 11).

S. ***Hier.*** legit כְּחַכֵּי ***ut fauces..*** textus mas. fert כְּחַכֵּי, quam formam pro חַכֵּה scriptam explicant *infinitivum,* quem tamen חַכּוֹת exspectaveris (cf. *Keil),* et vertunt : ***sicut latrones insidiantur viro*** (cf. *Sanct. Lap. Mar. Scholz*), *ita congregatio sacerdotum* (cf. *Lap. Mar.*) ; חֶבֶר scil. (cf. Prov. 21, 9 ; 25, 24) *S. Hier.* legisse videtur חָבֵר socius, *particeps* ; pergit textus hebr. *interficiunt Sichem versus* i. e. in via, quae ducit Sichem, ergo in viis publicis palam caedes et latrocinia perpetrant. Cum lectio כְּחַכֵּי sit difficilis et obscura et praeter normam generalem efformata, mirum non est, in codicibus etiam inveniri alias formas faciliores בחכה, immo כחכו (cf. *de Rossi Scholz*).LXX praebent καὶ ἡ ἰσχύς σου ἀνδρὸς πειρατοῦ ; formam igitur derivarunt a כּוֹחַ, ut iam notat *Lap.* Vertit *Chald.* : « occiderunt humero uno » i. e. consensu uno, cooperatione communi (cf. Soph. 3, 9 — *Lap. Mar.*), unde שִׁכְמָה legit, uti Iob 31, 22, quam interpretationem pauci alii secuti sunt. — Sichem urbs antiquissima est cf. Gen. 12, 6. 33 18, sita in montanis Ephraim inter montes Ebal qui est ab aquilone et Garizim qui ab austro est et in cuius ima declivitate quasi in dorso montis (— inde nomen שְׁכֶם dorsi pars superior, humerus, ὦμοι, ut ait S. *Hier.* —) posita erat ; vocatur hodie Nablus (cf. *Ges.* Thes. *Winer* s. v.), Nabulus (*Scholz*). — Aliorum versiones vide in cod. syr. hexapl. et in fragm. hexapl. M. 16 c, 2937.

Quia scelus, hebr. כִּי etiam vertere potes : *utique,* vere, profecto ; quasi per exclamationem, quae indignationem spirat, eam sententiam concludit ; זִמָּה vox est gravissima, scelera designans turpissima ; cf. Lev. 18, 17 ; 19, 29 ; 20, 14. Iud. 20, 6. Ez. 22, 9 ; 23, 44. Unde iam praeter apostasiam et caedes et iniurias etiam vitiorum carnalium mentionem ingerit (cf. 4, 11. 14), quae simul cum aliis etiam perstringit in v. 10

« *in domo Israel vidi horrendum ; ibi fornicationes Ephraim, contaminatus est Israel* » ; — cf. Ier. 18, 13 ; 5, 30 et supra 5, 3. Accusationem triplici hoc membro et complectitur et absolvit, innuens, quantopere vitia haec nauseam debeant creare et horrorem homini pio, quantopere igitur vindictam Dei ultoris expostulent.

Sed, uti 4, 15 ; 5, 5. 8. 10. 13 ; 6, 4, ita etiam hoc loco iudaici regni incolae tamquam criminum et castigationis socii notantur et accusantur ; v. 11 « *sed et Iuda, pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei* » ; — ita stropha optime concluditur et finis respondet initio : *quid faciam tibi Iuda ?* postquam a v. 8 praecipue scelera Ephraim recensita sunt. *Messis* imago est iudicii, direptionis, cum scil. segetes demetuntur, abscinduntur, ita קָצַר demetere, abscindere et Ier. 51, 33 : « filia Babylonis quasi area, tempus triturae eius ; adhuc modicum et veniet tempus messionis (קָצִיר) eius » ; quare *Alb.* bene exponit : para te, ut messione colligaris et abscindaris, et *S. Hier.* messionis tempus abductionem dicit in Babylonem. Ne igitur Iuda sibi impunitatem promittat (forte propter 1, 7), non sine acerbitate addit גַּם *etiam Iuda.*

S. Hier. legit imperativum שִׁית ; imperativum etiam efferunt LXX ἄρχου τρυγᾶν σεαυτῷ, id quod cum irrisione dici censet *Cyr.* : « incipiens enim, Deus minatur, detondere Israel et vindemiare adeo nefandae impietatis consectatores, primitias te faciam irae » ; ea enim ad Galaad refert, cum LXX coniungant in versu antecedente : contaminatus est Israel et Iudas. *Theod.* et *Theod. M.* textum legunt et explicant ampliorem καὶ Ἰούδα ἄρξηκε θερισμὸν αὐτοῦ [1] ; dein ἄρχου.. et hoc membrum tamquam promissionem explicant. Textus mas. fert שָׁת ; unde : *etiam Iuda, posuit messem tibi* scil. ponens Deus, et hanc lectionem etiam exprimit *Chald.* : et ad eos quoque pertingent poenae. Quid *Syrus* secutus sit, incertum est ; at in editionibus imperativus signo vocali effertur. Et sane imperativus : *tu ipse tibi designa abscissionem et tibi destina direptionem* habet maius pondus, maiorem etiam comminationem et irrisionem ; unde cum vetustissimis testibus LXX et *S. Hier.* erit lectio *mas.* deserenda.

Quod additur : *cum convertero...* si hoc loco adiungitur, magna laborat difficultate, quam iam veteres interpretes senserunt. Verba enim haec status in melius redintegrationem enuntiant. Sed quomodo Iuda iubetur designare sibi direptionem eo tempore, cum converterit Deus captivitatem ? Haec aperte inter se pugnant. *S. Hier.* in commentario integram sententiam interserit : cumque te Chaldaei messuerint, convertam rursum etc. Iisdem vestigiis alii insistunt. *Alb.* v. g. orationem vocat eclipticam eamque eodem modo supplet ; *Lap.* בְּשׁוּבִי verti posse censet *usque dum* convertam (sim. *Gord. Trochon*) ; alii ita rem enodare conantur : postquam

---

1. Codices aliqui hebr. ferunt לוֹ pro לָךְ (cf. *de Rossi*).

convertero captivitatem populi mei Israel etiam ad te, Iuda (*Ps. Ruf.*); at locutio haec semper sensu fausto occurrit, ut *Rib.* bene monet. Quare optimum est, cum *Scholz* hanc partem ad sequentem stropham trahere, ut sit membrum eiusdem fere significationis ac *cum sanare vellem Israel* i. e. dum populi miseriam avertere studerem et sanare Israel, eo magis vitiis sese implicuerunt. Id iam *Mar.* sensit; explicat enim : cum cogitarem avertere captivitatem, Iuda id sua impietate impedivit.

b) Ignis vitiorum vehementer accensus 7, 1-7.

Iam accusatio augetur. Nam *quanto magis* Deus, ut populum ad saniora revocaret consilia, adlaborabat (cf. כְּרָפְאִי), eo magis ipsi in peccatis insordescebant; ita v. 1 « *Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim et malitia Samariae, quia operati sunt mendacium et fur ingressus est spolians, latrunculus foris* »; — cf. 6, 5; 7, 15; 11, 3. Deus prophetas misit admonitores; reges idololatras populumque variis afflixit calamitatibus — iam Ieroboam I per *prophetam* est admonitus 3 Reg. 13, 1; ab alio, ab *Ahia*, eius domus excidium praedicitur 14, 10; *Iehu* propheta eversionem domus regis Baasa praedicit 16, 1; maxima et eousque inaudita miracula Deus patrat per *Eliam* et *Eliseum* (3 Reg. 17 — 4 Reg. 9) et alios quoque *prophetas* Israeli mittit (cf. 3 Reg. 20, 22. 41; 22, 14. 4 Reg. 9, 1; 14, 25); iusto Dei iudicio domus Ieroboam et domus Baasa et domus Achab et domus Iehu delentur et mediis in coniurationibus et caedibus internis Israelitae ab hostibus quoque externis affliguntur, fame ac siccitate castigantur, sed etiam, ut Deus beneficiis eos emolliat, opportuno saepius auxilio recreantur (cf. 3 Reg. 18, 40; 20, 13. 4 Reg. 13, 5. 23; 14, 25 — 28) — at frustra omnia. Valet etiam de iis verbum *Ier.* 5, 3 : « attrivisti eos et renuerunt accipere disciplinam; induraverunt facies suas supra petram et noluerunt reverti »; uti fit quandoque in morbis, ut remedio applicato augeatur magisque erumpat aegritudo, ita obduratio et obfirmatio in malo altiores in dies egit radices. Id sacra quoque historia inculcat, continuo repetens : « et fecit malum coram Domino nec recessit a peccatis Ieroboam... quibus peccare fecit Israel ». In quibus potissimum se prodiderit iniquitas, explicat : *quia operati sunt mendacium* i. e. idololatriam exercuerunt (cf. *Hier. Cyr. Theod.*); ita enim *idolum* et cultus eius appellatur (cf. Is. 57, 4. 5. Ier. 10, 14; 16, 19); et nominis rationem reddit haud incongruam *Alb.* : « idololatria mendacium est, quia contrariatur primae veritati ». Latius vocem accipit *Lap.* : « in Scripturis triplex est veritas mentis, oris et operis... triplex mendacium : mentis

error, oris mendax locutio, operis scelus, quo homo deviat ab officio, a recta ratione et lege. Samaritae invehentes idololatriam invehebant menti errorem, blasphemiam in lingua, scelus in opere ». Crimini contra Deum vim et oppressionem adiunxerunt contra homines et occultam insidiis dolisque nocivam et apertam abiecto omni pudore (vel quod *Ephr.* habet, iudicum rapacitatem et privatorum hominum avaritiam describit); id enim dicit : *fur ingreditur et irruit,* vagatur longe lateque, spoliat [1], *turma foris* (hebr.); ille clanculum tectis insidiis, haec palam viribus coniunctis. Veterum multi *furem* intelligunt Ieroboam, qui vitulorum cultum introduxerit et populum Dei auxilio spoliaverit (cf. *Hier. Rib.*); alii malunt Iehu (cf. *Lap. Tir. Men. Gord.*), alii omnes reges Israel (*Sanct.*); sed generatim totius populi regnique impietatem et malitiam notari, etiam ostendit v. 2 « *et ne forte dicant in cordibus suis omnem malitiam eorum me recordatum, nunc circumdederunt eos adinventiones suae, coram facie mea factae sunt* »; — textus latinus [2] effert, Deum studia eorum pessima, quae adsint et per dies singulos perpetrentur, quasi digito demonstrare, ne falso sibi persuadeant, se propter praeterita solum facinora plecti (cf. *Hier.*); aptior est textus hebr., describit enim, quantopere inoleverit Dei oblivio : *et non dicunt cordi suo* (non apud se recogitant) : *omnium malitiarum eorum recordor* (conscius sum) i. e. etsi Deus illos per prophetas et varia iudicia moneat et beneficiis alliciat, tamen eius memoriam in animos suos reducere nolunt; neque Deum vindicem et acerbius etiam puniturum timent; verum ab impiis studiis obsessi sunt (*Cyr.*), nova continuo addentes peccata (*Alb.*), ita ut undequaque iis stipati, vestiti, involuti appareant [3]; et haec aperte perpetrant, nulla habita Dei inspectantis reverentia; sunt illa coram Deo, ultionem eius expostulantia.

Quantopere *circumdentur* et obvolvantur iniquitatibus, ulterius demonstrat, docens impia quadam conspiratione omnium ordinum et summa approbatione ducum ac principum illa mala fieri : v. 3 « *in malitia sua laetificaverunt regem et in mendaciis suis principes* »; — i. e. qui mala serpentia resecare et coercere debebant, illa summopere laudant, praedicant applaudentes et exsultantes. Veteres id speciatim referunt ad populi obedientiam et promptitudinem, cum Ieroboam vitulorum cultum induceret et Israelitas a foedere Dei retraheret; ceterum cf. v. 1. Unde

---

1. De usu vocis פָּשַׁט cf. Iud. 9, 33. 44; 1 Sam. 23, 27; 27, 8. 30, 1; 31, 8; 2 Sam. 23, 10 etc.

2. בַּל enim pro לֹא saepe adhibetur, quamvis etiam uti אַל usurpatur; hoc secutus est *S. Hier.*

3. *Aq.* et *Sym.* ἐπιτηδεύματα interpretati sunt (*Theod.*), LXX διαβούλια; hebr. *facinora* i. e. peccata; « vestris criminibus estis illigati » (*Ps. Ruf.*).

omnes quasi incendio quodam maximo ardent iniquitate eamque habent altissime animis inhaerentem et longe lateque grassantem ; id duplici effert metaphora v. 4 « *omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente* ; *quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum* » ; — apostatas a Deo et vitiorum turpitudine profligatos bene vocat *adulterantes* cf. 1, 2. 2, 2. 4, 13. 14 ; *quasi clibanus*, flamma enim erant pleni, ferventi scil. et velut flagranti cupiditate (*Cyr.*) ; instar furni ad coquendos panes vehementer accensi aestuant libidine et furore idololatriae et ardore iniustitiarum [1]. — Quae sequuntur, magnis implexa sunt difficultatibus. *S. Hier.* versionem suam ita explanat : « Ieroboam cum erroris in animas eorum misisset incendium,... paululum conquievit, ut non vim faceret populo, sed suae eum dimitteret voluntati, donec fermentaretur omne mendacium ; quidquid enim necessitate fit, cito solvitur ; quod voluntate arripitur, perseverat. Ideo et hic quia translationem a clibano sumpserat, qui ad coquendos panes succenditur, servat in reliquis, ut in commixtione fermenti totius populi monstret assensum ; quo scil. et rex et populus pari in idololatria ardore corruerint ». *S. Hier.* fere reliqui interpretes latini sequuntur ; at *Sanct. Tir. Lap.* non Ieroboam, sed Iehu intelligunt, qui ab initio regni sui plurimos e sacerdotibus Baal interfecit, statuam Baal confregit, eius aedem destruxit etc. cf. 4 Reg. 10, 25 ; eo tempore quievisse videbatur civitas et populus a fermento, a cultu idolorum ; sed illud fermentum olim iam inspersum mox denuo vim suam fatalem exseruit et totum populum pervadens in idolorum cultum abripuit. Satius erit, textum latinum cum *Sa* generaliori ratione explanare : « ut addito fermento exspectatur, dum tota massa inficiatur, sic illi videbantur aliquando Deum colere, at interim fermentabatur in eorum cordibus idololatria, totique corrupti sunt ». Vel *quievit civitas* i. e. populus Israel omnino permisit et patienter tulit sibi ingeri fermentum illud et a prima eius aspersione usque ad plenam fermentationem, qua omnes ordines sint infecti, nihil prorsus restitit, verum passus est se abstrahi a cultu Dei et domo David. Igitur *fermentum* vocat impietatem omnem et praecipue idololatriam a regibus impiis populo insitam (cf. *Cyr. Theod. M. Ps. Ruf. Theoph.*). Hanc explicationem praefero, quia *a commistione*.. *donec* temporis notionem exhibet, terminum clare dicens *a quo* et *ad quem* et quia in priore acceptione (quievit a commistione i. e. interdum ab idololatria recessit) additum illud *donec* etc. iam non apte explanatur [2] .

---

1. ***Barh.*** : « ardentes fornicatione animae et corporis » ; vel « adulterio et rapacitate » ***(Ephr).***

2. Ad priorem tamen accedit *versio graeca quinta* : ἐπαύσατο πρὸς ὀλίγον ἡ πόλις τοῦ φυράματος κοινωνίας, καὶ μετὰ μικρὸν πᾶσα ἐζυμώθη.

Textus *mas.* fert יִשְׁבּוֹת מֵעִיר *cessat excitans*; sensus esse videtur : fermentum sua vi massam pervadit et inficit, non opus est, ut qui illud inspergit, ulteriores addat conatus : ita quoque idololatriae fermentum populi animos occupavit et corruptione infecit : populus libenter impiis regum ducumque consiliis acquievit eaque ultro amplexus est et promovit, neque opus erat, ut reges et principes malo exemplo semel proposito ulteriores adderent conatus corruptionem populo instillandi. Ita sensus fere idem est qui in *vulg.* et quantum in re obscurissima requiritur, et ad contextum aptus est et historiae veritati consonat. — Notatu dignum est, praeter *S. Hier.* etiam *Syrum, Chald.* et *quintam* versionem graecam *civitatis* vocabulum hoc loco exprimere ; *Syrus :* « deficiet (cessabit) ab urbe subigens massam donec fermentetur », et *Chald. :* « migrabunt cito ex civitatibus suis » etc. In versione communi graeca duplex invenitur lectio : ὡς κλίβανος καιόμενος εἰς πέψιν κατακαύματος ἀπὸ τῆς φλογός ; ita v. g. apud *Cyr. Theoph.* et id etiam versio *coptica* (cf. Duodecim prophet. in lingua aegypt.... *Henricus Tattam* p. 20) et *arabica* exprimit. Aliter autem apud *Theod.* et *Theod. M.* : ὡς κλ. κ. εἰς πέψιν κατακαύσει αὐτοὺς ἀπὸ τῆς φλογός, i. e. « libidinum ignis hostilem flammam iis infert ; nam sicut fermentum commistam farinam convertit in naturam suam, ita impietatis fermentum a Ieroboam primo rege vestro importatum, et vos et eos qui pro tempore reges vestri fuerunt, foetoris sui omnes participes fecit » (*Theod.*).

Ex aliorum interpretationibus haec sufficiant : *Schegg :* ardent mala cupiditate ; at quiescunt et tacite considerant, donec opportunitas sceleris perpetrandi adsit. *Keil :* mala cupiditate succensi similes sunt furno, quem pistor vespere succensum per noctem, dum fermentatio fit, ardere sinit et mane vehementius succendit. *Scholz* : comparantur fornaci, quae *sine pistoris opera* (vertit enim « ut clibanus succensus sine pistore ») continuo i. e. a commistione fermenti usque ad fermentationem peractam, ad panes coquendos parata sit ; neque enim indigent qui eos ad scelera incitet ; *incitans* quiescere et dormire potest (cf. v. 6). — Alias explicationes (v. g. Kimchi) vide apud *Lap.*

Iam quanta cum promptitudine regum impietati assensum praebuerint, quales sint principes et ipse rex, exemplo ad vivum depicto adumbrat v. 5 « *dies regis nostri ! coeperunt*[1] *principes furere a vino, extendit manum suam cum illusoribus* » ; — festiva ac laeta acclamatione regem salutant ; hac iubilatione simul ei obedientiam et obsequium spondent, applaudunt enim et congratulantur regi, et iure merito hunc applausum veteres interpretes regi fieri dicunt, qui idololatriam vel inducit vel renovat et promovet (cf. *Hier. Cyr. Sanct. Rib. Lap.*). Reiecto rege theocratico et

---

1. Ita veteres interpretes ; legerunt itaque הֵחֵלּוּ ; textus *mas.* fert הֶחֱלוּ i. e. uti explicant *aegrotabant*, sed hiphil verbi חָלָה est *affligere* : cf. Prov. 13, 12. Mich. 6, 13 ; quare textus *mas.* hic erit relinquendus. Aliquos codices hebr. legere per duplex *zere* et *dagesch* in lamed adnotat *de Rossi*. Et hanc lectionem efferunt veteres.

domo David spreta exsultant regibus, [1] quos ipsi coniurationibus et caedibus ad thronum adduxerunt vel qui fraude et scelere regnum sibi arripuerunt. Hoc scelus est Israel et in illo gaudio vesano, quod fausta acclamatione describitur, apostasiam a Deo et ad omne flagitium promptitudinem declarant. Caeci duces suos sequuntur. Et quales duces? principes furunt vel *ardent* (hebr.) vino, i. e. ebrietati vitiisque quae ex ea sequuntur, luxuriei, omnium bonorum dilapidationi, crudelitati et oppressioni, qua ingluviei satisfaciant, dediti sunt; rex ipse blasphemus est et religionis irrisor ac contemptor; *illusores* (לֹצֵץ, לֵץ) enim homines sunt qui divina et humana irrident, corrupti, pestilentes (*Lap.*) cf. Prov. 24, 21; Ps. 1, 1; cum talibus rex *extendit manus* i. e. illudere, scurram agere; cf. Is. 58, 9 *extendere digitum,* qui est irridentium gestus; vel, ut aliis placet, cum talibus rex habet familiare commercium. Merito interpretes ultimo membro *regem* subintelligunt; ita enim aptissimus adest sermonis progressus : omnes reipublicae ordines describuntur : populus, principes, rex; omnes eadem scelerum conspiratione et mutua approbatione cernuntur impliciti; quare falso *Scholz* explicat : *populus* extendit.

Hanc populi ad impietatem sequendam pronitatem, qua regis exemplum plebs est aemulata, ulterius delineat v. 6 « *quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis; tota nocte dormivit coquens eos; mane ipse succensus quasi ignis flammae* »; — כִּי *quia,* vel *profecto, vere* sententiam et affirmat et auget. Secundum ea, quae ad v. 4 notata sint, ita sensum declaro : corda et animos regi obviam tulerunt, se promptos ac paratos exhibebant ad omnia, quae rex ab iis postularet; scil. ad defectionem a Deo et domo David et ad idola colenda; animos suos tamquam clibanum, quem rex pro lubitu pessimis studiis succenderet, obtulerunt nec intellexerunt ipsis *insidias* strui, interitum ac perniciem parari; nam regis malitia et impietas in populi excidium et castigationem vergit; cf. Prov. 25, 5; 31, 4. 5. Eccli. 10, 3 : « rex insipiens perdet populum suum »; neque opus habebant reges labore ad populum seducendum : *tota nocte dormivit..* (cf. v. 4) *cessabit excitans* (vel cessat ab excitando); ignis enim semel susceptus sua vi ingens incendium et conflagrationem efficit, ita etiam clibanus animorum inventus est vehementer succensus; mala enim rapide augescunt. Additur *mane* ex vi comparationis. Veteres plerique etiam hoc de uno Ieroboam vel Iehu intelligunt (cf. *Hier. Cyr. Rib. Sanct. Lap.*); at praestat cum

1. Numerum pluralem habent multi codd. hebr. apud *de Rossi*, codex babylonicus (Transactions l. c.) et LXX, *Syrus*. At *Sym.* et *Theod.* singularem exprimunt (cf. cod. syr. hexapl.).

Theod. Sanct. communem regni israelitici labem et conditionem illam intelligere, quam sacra historia toties commemorat : « et fecit malum coram Domino, ambulavitque in via Ieroboam et in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel ». [1]

Alii hebr. בְּאָרְבָם *dum ipsi insidiantur* explicantes hunc sensum efferunt : fraudes et insidiae latitant in eorum animis, ut in clibano, easque ibi celant et occultant, donec opportunitas *(mane)* adsit et flamma demum erumpat (cf. *Ros. Schegg, Keil, Scholz). At* cum קֵרֵב notionem habeat *afferendi* et in contextum id optime conveniat : animos suos sua sponte regi obviam ferunt, se ad omnia paratos exhibent, quibus rex scelera excoquenda et perpetranda immittat, — non censeo a priore explanatione esse recedendum. Neque abest ab ea *Chald.* : « accesserunt ad consilium peccatorum et non sunt cunctati ; sicut clibanus ardet cor eorum in insidiis suis ; tota nocte protrahitur furor eorum usque mane, aestuat ut flamma ignis ». *Syrus* membrum prius vertit : « incaluit cor eorum ut fornax insidiis suis » et sim. LXX ἀνεκαύθησαν ὡς κλ. αἱ καρδίαι αὐτῶν ; in sequentibus satis differunt : ἐν τῷ καταῤῥάσσειν αὐτοὺς ὅλην τὴν νύκτα ὕπνου Ἐφραὶμ ἀνεπλήσθη ; pro אפהם legebant אפרים, dum *Chald.* אפהם exprimit. Ceterum prius membrum ad sensum expresserunt ; vix opus est assumere, illos aliter legisse v. g. קדח (Deut. 32, 22. Is. 64, 1 Ier. 15, 14 etc.) pro קרב, quam vocem *Aq. Sym. Theod.* quoque exprimunt (cf. cod. syr. hexapl.).

At demum populi iniquitate ipsi duces ac reges castigati sunt, nam « labor labiorum ipsorum operiet eos » (Ps. 139, 10) et qui ventum seminat, turbinem metet (Os. 8,7) ; unde v. 7 « *omnes calefacti sunt quasi clibanus et devoraverunt iudices suos* ; *omnes reges eorum ceciderunt, non est qui clamet in eis ad me* » ; — coniurationes dicit et caedes regum adeo frequentes in Israel [2] ; simul cum regibus eorum *domus* saepius dicuntur deletae, i. e. principes et familia regis. Qui Dei fidem et foedus violant, etiam hominibus fidem minime servant. Et miserrima haec rerum conditio pacisque ac tranquillitatis subversio eos non ad meliorem frugem reducit ; Deum ultorem non cernunt neque ab eo opem expostulant ; id demum miserrimum est, miseriis insordescere neque ad eum confugere qui sanaturus sit miserias. Unde vates non sine acri dolore concludit : *non est qui clamet in eis ad me,* iam multo peiores facti, quam tempore iudicum, quo saltem hostium oppressione afflicti clamaverunt ad Dominum (cf. Iud. 3, 9. 15 ; 4, 3 ; 6, 7 ; 10, 10-16).

c) Ab exteris frustra opem quaerunt 7, 8-12.

Cum talis sit rerum conditio, populus, qui a Deo electus erat, ut se-

---

1. Cf. 3 Reg. 15, 26. 34 ; 16, 13. 19. 26; 21, 22 ; 22, 53. 4 Reg. 3, 3; 10, 29. 31 ; 13, 2. 11 ; 14, 24 ; 15, 9. 18. 24. 28 ; 17, 21. Codex babylonicus habet pluralem coquentes eos.
2. Cf. 3 Reg. 15, 27 ; 16, 10. 11. 12. 22. 4 Reg. 9, 24; 15, 10. 14. 25. 30.

paratus a ceteris ipsi esset sanctus (Lev. 20, 24. 26. Num. 23, 9), dignitate hac theocratica spreta indolem gentilium induit Deoque est nauseae : ita v. 8 « *Ephraim in populis ipse commiscebatur, Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur* » ; — i. e. sese admiscet, de eo quod continuo fit vel perseverat ; factum est regnum Israel sicut regna omnium nationum, quia recesserunt a Domino (*Hier.*), quia idola coluerunt (*Barh.*), quia nationum erroribus se inserunt (*Ps. Ruf.*), secundum illud Ps. 105, 35 : « commisti sunt inter gentes et didicerunt opera eorum et servierunt sculptilibus eorum », uti notant *Theod. Alb. Rib. Sanct.* et insuper foedere et matrimoniis aliarum nationum societatem et affinitatem (*Ephr.*) inierunt (cf. 3 Reg. 16, 31. 4 Reg. 3, 9. 15, 19. 20 ; 16, 2) et gentium ritibus ac moribus se polluerunt ; ita fiunt *subcinericius panis*... i. e. exemplo utitur panis super lapidibus vel in cineribus calidis cocti, qui si non sedulo versatur, pars inferior redigitur in cremium et cineres, dum superior cruda manet et esui inepta (cf. *Cyr. Ps. Ruf. Theoph. Sanct.*) ; sunt igitur coram Deo plane inutiles, nauseam moventes, crudi et intractabiles vel quasi in cineres redacti et combusti vel sordibus maculati (cf. *Lap.*). Talis placenta iacens inter prunas igne consumitur ac demum comburitur, ita et Ephraim ab iis ipsis, quorum mores et societatem amplectitur, devoratur ac perditur : v. 9 « *comederunt alieni robur eius et ipse nescivit* ; *sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit* » ; — vires, florens reipublicae conditio, possessiones pereunt ab alienis, quia ii, qui idololatriam omniumque vitiorum incentiva apud Israel promovebant et ita fundamenta regni funditus evertebant, etiam acies invexerunt hostiles, regiones uberes vastarunt, divitias devorarunt (cf. *Cyr. Sanct.*) [1] ; — *et nescivit* sc. se devorari, infirmari ab alienis, scil. non sensit neque perspexit, illos excidium demum afferre (cf. *Rib.*) ; quod aliqui explicant : causam calamitatis non agnovit, illam a Deo immitti — longius abest neque verbi simplicitati concordat, qua id quod modo dictum erat Israel nescire asseritur. Stoliditatis est et periculi summi virium defectum non advertere ; at maioris etiam fatuitatis, ne senescentis ac collabentis quidem aetatis signa apertissima percipere ; quare dicit non sine acerbitate : *etiam canities sparsa est in eo et ipse nescit* (hebr.) i. e. populus iam apertissime senescit, civitas iamiam aetate et imbecillitate pressa collapsura est, neque tamen morbum internum advertit. Alii canos capillos effusos ultimam populi epocham intelligunt, ad quam usque scil. ad captivitatem in errore permanserit (*Hier.*), vel insipientiam, quam in prima aetate sit complexus, usque ad canos i. e. senectutis tempora perdurasse (*Ps.*

1. 3 Reg. 20, 1 ; 22, 35. 4 Reg. 6, 24 ; 10, 32. 33 ; 13, 3 ; 15, 29. 29.

Ruf. Alb. Rib. Sanct.), vel illos quamvis longo tempore elapso non resipuisse (*Cyr. Theod. Theod. M. Theoph.*).

Miserum statum non agnoscunt, e contra arrogantia efferuntur, quare etiam afflictiones augeri minatur v. 10 « *et humiliabitur superbia Israel in facie eius* ; *nec reversi sunt ad Dominum Deum suum et non quaesierunt eum in omnibus his* » ; — hebr. וְעָנָה.. idem ac 5, 5 *et testatur iniquitas Israel in facie eius* ; vel si עָנָה altera notione accipitur : *et humiliata est superbia Israel in facie* i. e. aperte, ita ut humiliationem ac oppressionem ignorare non potuerint, attamen neque sic ad Dominum redierunt. Propter hoc membrum versio haec *et humiliata est* [1] . . omnino exigitur ; nam propheta sermonem auget, dicens : illos aliquoties ita prostratos esse, ut calamitatem dissimulare nulla ratione potuerint, at ne in iis quidem necessitatibus ad Deum confugisse, verum apud exteros auxilium quaesivisse. Miseriam non sentire, stuporis est ; verum miseria agnita verum respuere remedium et nocivum amplecti, fatuitatis. —

Quamvis verba v. 10ª sint eadem quae 5, 5 leguntur, tamen hoc loco alia significatione accipienda sunt, quae membro altero indicatur et praecipue illis verbis : *in his omnibus* i. e. licet haec illis acciderint (cf. Is. 9, 12. 17. 21. Amos 4, 6-11), tamen Dominum non exquisierunt. Altera explicatio : ipsa eorum facies testatur et inscriptam gerit superbiam et arrogantiam et non sunt reversi . . nexu interno membri utriusque caret et membrum posterius satis debile priori adderetur, et illud *in his omnibus* plane supervacaneum esset.

Quid remedii spreto Domino quaesierint, iam declarat v. 11 « *et factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor* ; *Aegyptum invocabant, ad Assyrios abierunt* » ; — [2] insipientiam illam v. 9 cum ea, quae in proverbium abiit, columbarum simplicitate comparat ; « simplicitas enim sine ratione stultitia est » (*S. Hier.* ; cf. *Cyr.*) ; comparationem varie illustrant : sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit, et ideo huic recte comparatur Ephraim, quod vastatum per partes populum non sentiat, sed negligens sit salutis suae (*Ephr. Hier.*) ; pullis ablatis iisdem in locis nidificare solet futurorum improvida (*Theod. Theod. M. Theoph.*) ; nihil suspicans periculi facile capitur (*Rib. Lap.*) ; ita et Ephraim est *non habens cor* i. e. mentem, sensum, prudentiam (*Lap.*), cum *cor* Hebraeis

1. Hanc quoque exprimunt LXX et *Chald.* (fut). et optime tempore praeterito *Syrus*.
2. Notat *Hier.* : « quod hebraice photha (פּוֹתָה), ab *Aq.* et *Sym.* θελγομένη vel ἀπατωμένη dicitur i. e. *lactata* sive *decepta* et a LXX *insipiens sive insensata* ; ἄνους enim utrumque exprimere potest ». Sed quod cod. syr. hexapl. ex *Aq.* affert, potius *conturbatam* dicit : est enim partic. ethpeel a שׂגשׂ

sit et intellectus et voluntatis quasi receptaculum. Hanc *fatuitatem* eo declarat, quod modo ab Aegyptiis contra Assyrios, modo ab Assyriis auxilium efflagitant in medio positi inter has duas nationes belligeras, a quarum altera spoliabantur tamquam hostes vel tamquam subditi opprimebantur. Iam Ieroboam aufugerat in Aegyptum (3 Reg. 11, 40) [1], Manahem in auxilium vocat Assyrios (4 Reg. 15, 19); qui eum oppugnabant, forte ab Aegyptiis opem exspectabant (cf. *Scholz*), Osee demum rebellare nitens contra Assyrios nuntios misit ad Sua regem Aegypti (4 Reg. 17, 4), at « maledictus qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum et a Domino recedit cor eius » Ier. 17,5; cf. Is. 30, 2; 31, 1-3. Fortasse ad id vates immediate alludit (cf. *Scholz*).

At frustra humana expetunt auxilia; ipse Dominus perdet eos; ita v. 12 « *et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum*; *quasi volucrem coeli detraham eos*; *caedam eos secundum auditionem coetus eorum* »; — bene *Sanct.*: « prosequitur, opinor, propheta metaphoram vecordis columbae . . . . dum enim columba avide ac temere cibos captat, in laqueos se induit quos pararat auceps. Hoc ergo significat Deus facturum sese, cum Ephraim auxilium sibi ab externis quaesierit, qua in re persimilis est columbae, quae grana quaerit et captat inter laqueos et pedicas et dum secum agi putat commodius, propius est periculum et mors »; cf. 5, 14 *ego, ego capiam*. In hebr. *castigabo eos secundum nuntium ad coetum eorum* [2], quem *nuntium* aliqui vetera iam vaticinia (Lev. 26, 14. Deut. 28, 15) explicant (*Sanct Rib. Lap. Keil*), alii oracula per prophetas edita (*Schegg*); populum non sine repetita monitione perire, Deus urget. Recte plerique interpretes versum de auxilii petitione intelligunt; pauci *profectionem* iam ipsam in exsilium abductionem exponunt et retis expansionem alias esse volunt in captivitate a Deo contumacibus inflictas poenas (cf. *Hier.*). At ipsa imago priorem explicationem omnino suadet; etsi enim, ait, ope auxilii humani imminens periculum evadere et effugere velint, et omnem conatum adhibeant, ego reti eos capiam et si quasi aves libere et in tutissimis locis versarentur, ego eos in servitutem detraherem.

---

1. Et fortasse bellum, quod gessit Sesac contra Roboam, instigante Ieroboam et ad eius etiam utilitatem regno iudaico illatum est. Ex monumentis assyriacis colligitur, *Achab* infeliciter contra Salmanassar II pugnasse et *Iehu* eidem tributum solvisse (cf. *Schrader*, Keilinschriften und das A. T. 2 ed. p. 189. 193. 208-210; Keilinschriften und Geschichtsforschung p. 366; *Vigouroux*, La Bible et les découvertes mod. 3 ed. IV p. 41 seq. 63 seq.).

2. LXX παιδεύσω αὐτοὺς ἐν τῇ ἀκοῇ τῆς θλίψεως αὐτῶν· igitur legerunt בשמע צרתם. *Chald.*: quia audierunt consilia sua; ergo עצה legit pro עדה textus hebr. *Syrus* lectionem hebr. sequitur; eam quoque exprimunt *Aq. Theod.*

d) A Domino opem non flagitant 7, 13-15.

Excidio annuntiato v. 12 comminatio ad fastigium adducta est. Subdit *considerantis* in modum aliqua, quae ex meditatione interitus populi sua sponte quasi nascuntur; et primo quidem infortunium instans eiusque originem et causam denuo animo lustrat et perpendit v. 13 « *Vae eis quoniam recesserunt a me*; *vastabuntur, quia praevaricati sunt in me* »; — hebr. *quia fugerunt* vel *avolarunt*, vagati sunt a me : cf. v. 11. 12; quasi studium, sedulitatem denotat celeriter et quam longissime fugiendi et vagandi a Domino et simul quam sint instabiles, mobiles, fugitivi ac vagabundi, qui Dominum reliquerunt. Notat *S. Hier.* : « in hebr. scriptum est *vastatio eis*; *Sym.* interitum, *Theod.* miseriam interpretatus est ». Maiore cum emphasi dicitur : *vastatio eis* explicaturque *vae*; cf. Is. 13, 6; 33, 1. [1] Ex peccato necessario miseria et excidium gignitur; cum enim Deus sit summum bonum atque unicum, qui ab eo recesserint, infelices sint oportet. Unde *Cyr.* : σώζει γὰρ οὐδὲν τὸν προσκρούοντα Θεῷ.

Facinus apostasiae augetur, quia Deus multis magnisque beneficiis eos sibi devincire studuit : « *et ego redemi eos et ipsi locuti sunt contra me mendacia* »; — non tam de liberatione ex Aegypto (*Hier. Cyr. Theod. Theod. M. Alb.*) loquitur, quam de salute in rebus angustis saepe praestita, de ope Dei iis saepe impensa, uti rite explanant *Ps. Ruf. Rib. Sanct. Lap. Schegg, Scholz, Trochon,* et Dei promptam semper et paratam voluntatem resipiscentes beneficiis ac donis exornandi commemorat; ipsi vero *mendacia locuti sunt* et loquuntur i. e. beneficia a Deo accepta idolis adscribunt, spreto Deo idola colunt et laudant (bene iam veteres ad Ex. 32, 4 remittunt : « hi sunt dii tui Israel »; cf. *Hier. Cyr. Theod. M. Theoph. Alb.* et cf. 3 Reg. 12, 28. Ps. 77, 19 et supra 7, 1) ; vel Deo res ipsorum curae esse negant (cf. Soph. 1, 12. Is. 29, 15. Ez. 8, 12).

Uti beneficiis, ita calamitatibus quoque animos obduratos obtulerunt : v. 14 « *et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis* »; — i. e. pondere malorum pressi non sincere, non affectu animorum (*Cyr.*) ad Deum clamant opem flagitantes; etsi labiis clamant, cor longe abest a Deo (*Theod.*), sed ululant, quasi desperantes inconditos edunt gemitus et ululatus in domibus suis etiam noctu, ut malorum ingruentium pondus declarent; « moesti in cubilibus suis sedentes flebant et muliebriter eiulabant » (*Rib.*); *nox* scil. et *stratum* considerationi, dolori, suspiriis adaptatur (cf. Ps. 4, 5; 6, 7; 62, 7. Dan. 2, 29; 4, 2. 10).

---

1. פָּשַׁע est *apostatare*, fidem foedusque violare cf. Is. 1, 2; 43, 27; 59, 13. Ier. 3, 13. Am. 4, 4 etc.

Alii *cubilia* ad idolorum cultum et fornicationem referunt : eiulasse eos in templis idolorum (*Alb.*), cantica talium vocari ululatum (*Hier.*), vel impudicos designari et foedos clamores et malarum cupiditatum voces (*Cyr.*) ; alii *cubilia* habitationem a Deo assignatam, terram promissam explicant, ut quae eos a laboribus in deserto susceptis reficeret (*Theod. Theod. M. Theoph.*) ; at utrumque artificiosius.

Angoris huius exemplum et occasionem affert : *propter triticum et vinum angustiantur* hebr. i. e. de defectu, penuria, sterilitate, vel ariditate ; recogita v. g. famem septem annorum tempore Eliae ; et Deum eiusmodi plagis eos visitasse ex minis in Lev. 26 et Deut. 28 expressis omnino colligitur.

Ita textum hebr. *Syrus* vertit, idque verbi parallelismo *ululabant* confirmatur et forma הִתְגּוֹרֵר potest derivari a גור *timere* cf. 10, 5. Deut. 1, 17 ; 18, 22 etc. Cum LXX vertant ἐπὶ σίτῳ κατετέμνοντο — verbum alludit ad cruentas incisiones, mutilationes in cultu Baal etc. fieri solitas, cf. 3 Reg. 18, 28 ; Lev. 19, 28. Deut. 14, 1, cf. *Cyr. Theoph.* — legerunt הִתְגֹּדֵד cf. l. c. Ier. 16, 6 ; 41, 5 et ita revera codices aliqui legunt (cf. *de Rossi*) ; alii explicant : *se congregant* (cf. Mich. 4, 14 — vel in priore lectione גור cf. Ps. 56, 7 ; 59, 4. 1 Reg. 17, 20. Ier. 30, 23), cui explicationi etiam *Chald.* calculum adiicere videtur, praebet enim : « in ubertate tritici et vini quod erant colligentes » i. e. propter frumentum coetus religiosos et pompas sollemnes cogunt in idolorum honorem, ut ab iis messem uberrimam efflagitent (cf. *Lap. Mar. Calm. Trochon*). At certe prior hebr. textus interpretatio erit praeferenda. — *S. Hier.* verbum videtur derivasse a גָּרוֹן *fauces*, ita ut sit quasi *ingurgitare* (*Lap.*), vel potius respexisse Lev. 11, 3. 4. 7 גֵּרָה גָּרַר *ruminare* ; unde eius versio facile explicatur ; eandem fuisse Sym. vide in cod. syr. hexapl.

Quod *vulg.* habet : « *super triticum et vinum ruminabant, recesserunt a me* », — ita explanat *S. Hier.* : « propter abundantiam rerum omnium corruerunt ; quod etiam Ezechiel in Sodomis et Gomorrhis factum esse commemorat, ut nihil aliud nisi cibos et luxuriam ruminarent [1].... simul ut ostenderet eos iumentorum similes, non dixit *comedebant* sed *ruminabant*, et ideo recesserunt a Domino ». Et *Ps. Ruf.* : « cum ubertatem frugum omnium contulissem, ita ut de conviviis ad convivia instaurata transirent, instar pecudum.. cibos retractabant et a me recedebant ». Secundum hanc acceptionem sensus est priori membro *oppositus*: neque calamitatibus, neque *rerum abundantia* ad Dei memoriam et cultum adducti sunt. Triticum et vinum commemorat, quia iis Palaestina excellebat. Id factum innuit, quod Moyses vaticinatus est : « incrassatus est dilectus et recalcitravit » (Deut. 32, 15).

Quo magis pateat populi animus durus atque ingratus, alia recenset beneficia, quae apostasiam maiore culpa onerant, et lamentantis in

---

1. Expressit *S. Hier.*, quod etiam in versione graeca *quinta* deprehenditur : ὑπὸ τρυφῆς καὶ πλησμονῆς σίτου καὶ οἴνου ἀπέστησάν μου.

modum mentioni beneficiorum iterum (cf. v. 13) eorum malitiam opponit v. 15 « *et ego erudivi eos et confortavi brachia eorum* ; *et in me cogitaverunt malitiam* » ; — institutionis per Moysen et prophetas datae beneficium recenset (cf. *Haimo, Alb. Rib. Sanct. Lap.*), bene *Cyr.* : « ego eos lege institui et sapientes et utilitatis gnaros et viam iustitiae et omnis decentiae rectam administrationem scientes effeci, ut iam etiam apud se gaudentes dicerent : beati sumus, Israel, quoniam quae placita sunt Domino, nota sunt nobis » (Baruch 4, 4). Dein commemorat auxilium in terrae promissae expugnatione et in bellis feliciter gestis praestitum ; si quid valebant, Deo iuvante valebant ; alludit ad prosperum rerum statum v. g. sub Ieroboam II 4 Reg. 14, 25 - 28. — Ipsi vero neque doctrina neque rebus prosperis Deo devincti, *cogitaverunt malitiam* « meam potentiam ad idola transferentes dicentesque non me esse Deum, sed vitulos quos ipsi fecerunt. Numquid aliquid possunt *facere* aut nocere mihi? Sed quod solum agere potuerunt, contra me *cogitaverunt* mala » (*Haimo*) ; est idem quod v. 13. 14.

Hanc *malitiam* ulterius declarat eiusque poenam addit v. 16 « *reversi sunt ut essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus* ; *cadent in gladio principes eorum a furore linguae suae. Ista subsannatio eorum in terra Aegypti* ». — Iugum Dei et foedus excusserunt ; « quomodo a principio fuerunt, priusquam vocarem eos per Abraham et Moysen et erant absque iugo legisque notitia et cunctis nationibus miscebantur, ita etiam nunc reversi sunt in pristinum statum, ut absque iugo et frenis deferrentur per praecipitia » (*Hier.*).

Etiam in hac versione *Hier.* concordat cum *quinta* : ἀπέστησαν ἵνα διάγωσιν ἄνευ ζυγοῦ. *Aq. Sym.* ἀνέστρεψαν εἰς τὸ μὴ ἔχειν ζυγόν (cod. syr. hexapl.). Hebr. ad verbum : *revertuntur* i. e. recedunt, declinant ; *non iugum,* לֹא עֹל — ita scil. erit legendum quod *Chald.* exponit : ut deficiant a lege. In hebr. id dici videtur per modum exclamationis ad vehementes affectus contumaciae declarandos. LXX et Syrus vertunt : *in nihilum,* ergo עַל לֹא? Textus mas. fert לֹא עָל ; veteres id tamquam apocopen ab עלה *altitudo* vel עליון *altissimus* [1] considerant (cf. *Vat. Pagn. Clarius* apud *Lap.*) ; recentiores vertunt *non sursum* (cf. *Keil, Scholz*), sed phrasis haec : *non se vertunt sursum* i. e. ad Deum non convertuntur, nimis sapit *modernum* loquendi modum ; quare lectio illa praeferri debet, quam *S.Hier.*, versio quinta et *Chald.* supponunt.

Eorum contumaciam, qua Dei exspectationem, ut humano modo loquar, fefellerunt, locutione proverbiali illustrat *arcus dolosi* cf. Ps. 77, 57 ; fraudulentus, fallax est, qui spem iuste conceptam fallit ; ita aquae dicuntur mendaces, fallaces, quae fluere cessant, quando iis quam maxime indige-

---

1. Ita quoque *Fürst*, qui לֹא עָל — לֹא — אֱלֹהִים idolum interpretans vertit : convertuntur id idolum, cum שׁוּב etiam Is. 52, 8 accusativo iungatur.

rent homines (cf. Iob 6, 15 etc. hebr. Ier. 15, 18); unde arcus dicitur, qui ineptus est propter nervum remissum ad sagittas iaciendas, vel qui inepte factus alio sagittas mittit, quam eas dirigi vult sagittarius (cf. *Rib.*).

S. Hier. id accuratius ita expendit : « ut quem Deus contra adversarios intenderat, ipsi contra Dominum verterent et mitterent adversus eum blasphemiarum sagittas »; sim. *Ps. Ruf. Alb. Sanct.*, qui confert Zach. 9, 13 *extendi mihi Iudam quasi arcum* i. e. per Iudam Deus hostes prosternere vult. LXX ὡς τόξον ἐντεταμένον; explicat *Cyr.* : « non se submittentes ad poenitentiam, non remittentes intentionem, qua ad tantum dedecus dementiamque pervenerunt »; advertit tamen alios interpretatos esse ὡς τόξον ἀνεστραμμένον, idque explicat : « quos potius conveniebat quasi arcum contra hostes intendi et ad oppugnandum paratos valide ferire, non animadverterunt, quo pacto semetipsos velut emissis ab arcu sagittis acerbe vulnerarent »; sim. *Theoph. Theod.* legit et explicat τόξον οὐ τεταμένον « similes facti arcui laxato (κεχαυνωμένῳ) et non intento, qui nullam perniciem hostibus infert »; ita etiam *Theod. M.* Hebraeum exprimunt *Syrus* et *Chald.*

Membro duplici *peccatum* delineavit; eodem modo *poenam* subdit : *cadent in gladio* : perimentur morte violenta, iusto Dei iudicio per hostes interimentur, bello peribunt; *principes* qui scelerum et apostasiae suasores et duces sunt; *furor linguae* est insania linguae sceleratae (*Sanct.*), sunt detestabilia illa *mendacia* v. 13 quae locuti sunt contra Dominum (cf. *Cyr. Rib.*), simulque notat, quo studio, qua vehementia idololatriae inhient et contra Dominum furant. Si principes iudicio obvolvuntur, etiam populum complicem scelerum puniri per se constat. Talis vero erit castigatio, ut iis ipsis, i. e. Aegyptiis (cf. v. 11), a quibus opem efflagitabant, subsannationi et derisui sint futuri : ista subsannatio eorum... (cf. *Rib. Vat. Scholz, Trochon*).

Alii explicant de subsannatione qua olim in Aegypto Deum affecerant et quam nunc instaurant; furor scil. linguae idem nunc est apud illos, qui iam aderat in Aegypto ad Dei contumeliam (cf. *Hier. Cyr. Alb. Sanct. Lap. Schegg*); eadem exprimit *Chald.* « ista opera eorum, dum essent in terra Aegypti; » et *Sym.* τοῦτό ἐστιν ὃ ἐφθέγξαντο ἐν Αἰγύπτῳ; et versio *quinta* αὐτὴν ἐβλασφήμησαν.
At prior explicatio magis ad sermonis concinnitatem accommodata est, qua peccato poena subiungitur et quidem eum in modum,ut rebellioni mors, fraudulentiae, qua Dei spem fallunt, irrisio respondeat.

IV. — QUARTA REPREHENSIO CONTRA APOSTATAS A THEOCRATIA 8, 1-9, 9.

ARG. — Populo excidium est annuntiandum; foedus enim et legem abiecerunt, quare poenam non effugient. Nam contra Deum et reges

instituerunt et idololatriam exercent; unde iram Dei eiusque taedium provocant tali stultitia admissa (8, 1-6). Tempestas eos devastabit, hostibus erunt in praedam, quia ab exteris opem quaerebant; sed haec solertia male iis cedet. Insuper idola coluerunt neque tot legum mandatis promulgatis ab idololatria cessaverunt; quare Dominus iam non placabitur, sed ruina certa imminet, quae demum Iudam quoque complicem complectetur (8, 7-14). Hanc ruinam imminentem fame constare et exsilio nuntiatur; quae futura sit eorum in exsilio conditio explicatur : nulla aderunt sacrificia, omnia luctu plena, polluta immunditie; deficient in terra aliena, dum patria erit in devastationem. Est enim tempus ultionis Domini, tempus, quo se a pseudoprophetis turpiter deceptos agnoscent. Sceleribus vero poena aequabitur (9, 1-9).

Haec comminatio apostasiam a Deo et a regni theocratici indole accuratius declarat et legum scriptarum mentione facta accusationem auget; praecipue vero exsilii poenam distinctius delineat.

a) **Foedus Dei abiecerunt 8, 1-6.**

Deus iubet prophetam praeconis more tubam assumere et signo edito periculum instans, hostium adventum annuntiare et soporatum populum exsuscitare : v. 1 « *In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini, pro eo quod transgressi sunt foedus meum et legem meam praevaricati sunt* »; — hebr. *ad fauces tubam* scil. accipe; per modum exclamationis, ut vehementi ac subitaneo sonitu increpet; propheta enim — et hunc *Chald.* et veteres interpretes iure hic designari censent — in specula positus si gladium venientem super terram viderit, buccina canere debet tamquam custos populi fidelis (cf. Ez. 33, 2 seq.); quare Deus non populum (*Schegg, Scholz*) alloquitur, quia populus non constituitur, ut sibi ipsi interitum vaticinetur. Clangor tubae belli et periculi est indicium cf. 5, 8. Is. 18, 3. Am. 3, 6. Cuius rei signum sit hoc loco, subditur per modum exclamationis : *sicut aquila super d. D.*, aquila velox et rapax est imago hostis vastantis et diripientis [1].

Cum sermo sit de regno israelitico (cf. v. 2. 3. et seq.), non intelligitur Nabuchodonosor et Chaldaei (*Hier. Theoph. Rib.*), sed generatim rex hostium (*Theod.*) vel hostes (*Theoph. M.*), i. e. Assyrii (*Cyr. Sanct.*), qui regnum everterunt. Ex eadem ratione *domus Domini* non est Ierusalem (*Hier.*) neque templum (*Ps. Ruf. Cyr. Barh. Rib.*), verum popu-

1. Cf. Deut. 28, 49 *adducet Dominus super te gentem de longinquo et de extremis terrae finibus, in similitudinem aquilae volantis cum impetu;* Ier. 4, 13; 48, 30; 49, 22. Lament. 4, 19. Ez. 17, 3. 7. Hab. 1, 8.

lus ipse Israel, quippe qui sit vel ex Dei consilio esse debeat *familia Dei, Dei* sanctuarium ; cf. Ps. 113, 2 : « facta est Iudaea sanctificatio eius, Israel potestas eius »; bene advertit *Sanct.* : « quod vero populus Dei dicatur *domus Dei,* satis notum est ; millies enim audimus in Scriptura *domus Israel, domus Iuda, domus David* pro his, qui ad hos patriarchas genus referunt, aut pro illis, qui eiusmodi viris quoquo modo serviunt, aut in illorum clientela sunt ». Idem innuitur, cum Israel vel etiam terra sancta dicitur *hereditas Dei* (cf. *Alb. Lap. Trochon*). Textum lat. *in gutture* cum S. Hier. communiter explicant : sit vox tua in gutture quasi tuba, vehementer proclama [1], ac si haberes tubam in gutture ; cf. Is. 58, 1 : « quasi tuba exalta vocem tuam ».

LXX legunt εἰς κόλπον αὐτῶν, in sinum scil. poenas recipient (cf. *Cyr. Theoph.* i. e. pro חֵךְ legerunt חיק ; sequitur ὡς γῆ i. e. « veniet Assyriorum tyrannus cum innumerabili exercitu, veniet ipsis uti tota terra et regio et patria, ut quis Persarum et Medorum totam e toto regionem migrasse et in Samariam venisse existimet » (*Cyr.*); legerunt pro שפר vocem עפר, prout iam adnotat *Lap.* ; at *Theod. Theod. M.* habent ἐπὶ φάρυγγι αὐτῶν ὡς γῆ ἄβατος, ὡς σάλπιγξ, ὡς ἀετός... prius certe ex hebr. correctum est, alterum duplicem refert lectionem, quam *Theoph.* quoque exprimit. Versio *coptica* textum refert eum, qui apud *Cyr.* legitur et in editionibus LXX communiter.

Rationem excidii annuntiati effert : foedus meum transgressi sunt et a lege mea defecerunt, cf. 7, 13 ; in subseq. assignat idololatriam et gubernandi rationem a Dei voluntate alienam.

In extrema demum necessitate apostatae, ac si filii fuissent obedientes, audebunt praetendentes theocraticam dignitatem olim acceptam Dei opem quasi iure sibi debitam exposcere ; v. 2 « *me invocabunt : Deus meus ! cognovimus te Israel* »; — i. e. *me* cum emphasi, quem scil. eousque spreverant ; bene *Rup.* : « mira impudentia, cum sint transgressores, cum sint praevaricatores, invocant me... tale est illud in Isaia : me etenim de die in diem quaerunt et scire vias meas volunt, quasi gens quae iustitiam fecerit et iudicium Dei sui non dereliquerit (58, 2) ; mentiuntur ergo dicendo : Deus meus.. » et *Haimo* : « nos qui appellamur Israel et servamus nomen antiquum Iacob, qui tibi placuit, scimus te atque cognoscimus et propter tui cognitionem quam prae omnibus gentibus habemus, libera nos ». At « frigida est et nihil ad defendendum valens nominum sola iactatio et quae impudentiam magis quam religionem indicet confitentis » (*Ps.Ruf.*).

Syrus : « ad me clamant et dicunt : scimus te, Deus noster »; et *Chald.* : « omni tempore, quo venit super eos angustia orant coram me dicentes : nunc

---

1. Sim. *Syrus* : os tuum (sit) ut cornu (tuba), et *Chald.* : in gutture tuo clama sicut in tuba.

scimus quod non sit Deus nobis praeter te, redime nos quia nos sumus populus tuus Israel »; ita etiam interpretes et veteres (cf. *Hier. Cyr. Rib. Sanct.*) et recentiores (*Hitz. Keil, Schegg, Trochon*); unus *Scholz* in *cognovimus te Israel*[1] ironicam cernit Dei responsionem : optime scitur, tuam conversionem minime esse sinceram. Sed haec loquendi ratio nimis sapit contemptibile illud modernum et germanicum : *man kennt dich!* vel gallicum : on vous connaît déjà !

Sequitur Dei responsio, quae fucatam illam pietatem reiicit ostendens, qualis *Israel* revera sit, unde dignitatis nomen, quo gloriati sunt, etiam Deus repetit sed cum illorum scelere coniungit v. 3 « *proiecit Israel bonum* ; *inimicus persequetur eum* »; — i. e. Israel sciens ac volens repulit id, quod verum eius bonum, salutem, prosperitatem, pacem constituere debebat secundum Dei providentiam, idque fastidio ac taedio magno aversatus est (hebr. זָנַח) i. e. vitam ex legis norma ducendam; quapropter inimicis traditur; cf. Deut. 28, 25. *S. Hier.* explicat *bonum* Dominum Deum, *Rib.* Dei cultum ; LXX ἀγαθά. S. *Cyr.* etiam hanc partem ab Israelitis dici vult, qui suam accusent stultitiam; unde illud ἐχθρὸν κατεδίωξαν (LXX) exponit : « tantum non sponte sua ad inimicos cucurrerunt et sub potestatem Deum odientium redacti sunt ».

Iam declarat, quid sit *bonum proiicere* et aversari : duo recenset : a rege theocratico et a veri Dei cultu ad idola defecerunt; v. 4 « *ipsi regnaverunt, et non ex me* ; *principes exstiterunt, et non cognovi* ; *argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent* » ; — hebr. *regnare fecerunt* i. e. prout etiam *S. Hier.* explicat : reges sibi constituerunt; item principes sibi instituerunt (hebr.), qui regis aulici scil. et comites sint; idque fecerunt contra Dei voluntatem, quapropter Deus illos *non cognoscere*, non approbare, non tamquam suos fovere, sed tamquam alienos negligere et abiicere dicitur. Sed cum Ieroboam I et Iehu non sine Dei nutu reges facti sint (cf. 3 Reg. 11, 30 et seq.; 12, 24. 4 Reg. 9, 1 et seq.) et Deus domui Iehu regnum usque ad quartam generationem confirmaverit (4 Reg. 10, 30; 15, 12), unde etiam regnum Israel a Deo erectum et approbatum videri possit, quaerunt interpretes, qua ratione tamen dicantur non ex Deo reges sibi elegisse.

Aliqui respondent, populum id Domino inconsulto fecisse (*Hier. Theod. Alb. Rib.*); alii, eos non ex forma et voluntate Dei regnum administrasse (*Estius, Gord.*); alii, Deum non instituisse, sed uti cetera mala ita etiam regnum israeliticum *permisisse* (*Cyr. Theoph. Lap.*). Accedit, quod Deus separationem solum pro aliquo tempore permissam voluit (3 Reg. 11, 39) et quod plerique reges (excepto Ieroboam et Iehu et

---

1. *Israel* omittunt aliqui codd. hebr. LXX et Syrus uterque.

filiis Iehu) erant invasores et usurpatores, intrusi per sicarios et contra priorem regem rebelles (*Lap. Tir.*). Hos reges usurpatores et coniuratores designat; et generatim valet, quod Abia Israelitas monuit, ex divino pacto eos teneri ad regni unitatem et domum David redire (cf. 2 Par. 13, 5 et seq.). Proprio regno constituto etiam a Dei cultu recesserunt cf. 3 Reg. 12, 26; immo Ieroboam idololatria suum thronum stabilire voluit propter nexum, qui apud veteres cernitur inter regnum et numen eius tutelare. Stultitiam idololatriae et male feriatam sedulitatem depingit *argentum suum* etc.; ad quid haec natura sua et necessitate interna tendant, declarat *ut interirent,* לְמַעַן intentionem exprimit; neque male, nam qui sciens et volens peccatum gravissimum amplectitur, is sane etiam dicendus est velle id quod ex peccato necessario consequi perspicit, i. e. poenam, interitum [1]; כָּרַת dicitur de deletione ex coetu populi Dei [2].

Uti Deus idolum abominatur, ita etiam cultores idoli. Quare responsionem ad v. 2 ulterius texit v. 5 « *proiectus est vitulus tuus, Samaria! iratus est furor meus in eos. Usquequo non poterunt emundari* »? — hebr. זָנַח uti v. 3. Samaria sedes regia et regni caput pro decem tribubus, quibus praeerat, adhibetur; nam in urbe Samaria *vitulus* non erat, sed in Dan et Bethel (cf. *Hier. Sanct.*); *usquequo*... vox est indignantis, qui multis conatibus ad sanandum populum frustra adhibitis (cf. 6, 5; 7, 1. 10. 15) de tanta contumacia et pervicacia et in malo obstinatione conqueritur (cf. Ier. 6, 29. *Sanct.*).

Huius indignationis rationem affert ex ipsa idololatriae stultitia adeo palpabili, quam quia percipere nolunt, stupor iste ac stoliditas iure merito iram Dei provocat; v. 6 « *quia ex Israel et ipse est*; *artifex fecit illum et non est Deus, quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariae* »; — numen scil. istud quod sub vituli symbolo colunt, ab ipsis cultoribus est efformatum et assumptum; numen vero, quod homines demum fingunt et faciunt, nihil est; et tale facinus fit ab *Israel,* non ab alieno quodam populo (cf. *Sanct.*), non quasi hunc cultum non ab Aegyptiis transsumpserint — nam « quod in Aegypto didiceratis, fecistis in Israel » (*S. Hier.*) — sed ut rei indignitas efferatur, tale scil. simulacrum fieri et coli ab ipso populo Dei electo; quoniam כִּי assertorium est: *vere, profecto.*

Ad versionem adnotat *S. Hier.*: « nos ab Hebraeo didicimus *sababim* proprie nomi-

---

1. Et non sine emphasi ad talem dicitur *explicite*, eum velle suum interitum, cum id perpetrare, ut certo certius pereat. Quare minime expedit, particulam *ut*, ὅπως, cum *Theoph.* aliisque mere ἐκβατικῶς explanare vel potius removere.

2. Cf. Gen. 17, 4. Ex. 12, 15. 19; 31, 14. Lev. 7, 20. 21. 27; 17, 4. 9. Num. 9, 13 etc.

nari *aranearum fila* per aerem volantia, quae dum videntur intereunt et in atomos atque nihilum dissolvuntur ». *Chald.* vocem שְׁבָבִים explicat נְסָרֵי לְוָחִין *segmenta tabularum,* quam explicationem recentiores sequuntur (*Sanct. Lap. Mar. Schegg, Scholz*); nomen genericum *atomos*, minutissima quaedam et fere *nihilum* significare videtur. Ait igitur, vitulum i. e. simulacrum esse in frusta concidendum et comminuendum (cf. Ex. 32, 20), victores scil. Samariae auri laminas detracturos et simulacrum esse in frusta conscissuros vel combusturos (cf. Is. 46, 1. 2).

LXX aliter iungunt; ἐν τῷ Ἰσραὴλ ad antecedentia referunt; ita incommodum illud vitatur, ut media in sententia וְהוּא occurrat, at sententiae emphasis multum minuitur. Textum hebr. referunt *Syrus, Chald.*, ו tamen non legisse videntur; legit certe *S. Hier.*, neque erit expungendum, cum etiam LXX id habeant. In hisce enim sententiis concisis illud *profecto ex Israel* exclamationis et emphasis gratia potest praemitti et dein cum ו ipsa sententia proprie inchoari. Ceterum veteres שְׁבָבִים varie transtulerunt; LXX πλανῶν [ἦν ὁ μόσχος σου], idem *Theod.*; *Sym.* ἀκαταστατῶν; *quinta* ῥεμβεύων; *Aq. errantibus* sive *conversis* (ut *S. Hier.* refert); demum *al.* παραπλησίως τῷ ἀράχνης ἱστῷ; *Syrus*: « ad errorem fuit vitulus », sim. ut LXX et *Theod.*, quae expositio ex usu verbi שׁוֹבָב (cf. Is. 57, 17. Ier. 3, 14. 22; 31, 22; 50, 6. Mich. 2. 4) facile explicatur, et ab aliquibus praefertur, cum vocem illam שבבים valde dubiam esse censeant (cf. Studien und Kritiken, 1881 p. 353. — Codex babylonicus, quem Ginsburg contulit, fert שְׁבָבוּם).

b) Tempestas et ruina imminet 8, 7-14.

Quanta necessitate eis mala sint obventura, per proverbium explicat simul rationem reddens pro antecedentibus; v. 7 « *Quia ventum seminabunt et turbinem metent* »; — futurum, ut in proverbiis, tempore praesenti de eo quod semper accidere solet, explicari debet. Sementi messis respondet cf. 10, 13; 12, 2. Iob 4, 8. Prov. 22, 8. Gal. 6, 7. Ventus inania, vacua, evanida significat cf. (*Haimo, Rup.*). Bene *Rib*: « significat eorum labores in idolis colendis . . . nihil ipsis utilitatis, sed damni plurimum allaturos esse. Atque hos labores eleganter seminationem vocat, quae non fit sine labore et sumptu nec sine spe maioris emolumenti . . . inane ac sterile est quod seminant, magnas calamitates pro fructu percipient »; sim. *Lap. Tir.* Messis maior est semine; inde *turbinem* metent; et ea tempestate ipsi abripientur cf. 4, 19. [1]

Aliam subdit metaphoram, qua illorum labores et conatus nihil prorsus utilitatis afferre ostendat et quae, uti alterum proverbium, priori accedit, non quasi vento et tempestate segetes eorum enecatas esse dicere velit: « *culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam*; *quod etsi fecerit, alieni comedent eam* »; — culmus in segete stipula

---

1. LXX habent ἀνεμόφθορα ἔσπειραν καὶ ἡ καταστροφὴ αὐτῶν ἐκδέξεται αὐτά; sensum potius quam verba sequuntur.

est, quae nodis quasi quibusdam geniculis distinguitur firmaturque; germen spica est, quae aut grana non pariet, aut sane erunt eiusmodi, ut ad molam afferri non possint (cf. *Hier. Sanct. Rib.*). Adverte gradationem: semen non producit *in eo* i. e. apud Israel spicam; etsi spica exstiterit, tamen non afferet grana; etsi grana attulerit, non ipsi, sed hostes comedent; adverte paronomasiam in hebr. צֶמַח et קֶמַח.

Sunt, qui id explicent de sterilitate agrorum; ita iam *Alb.* ut videtur, quia allegat Deut. 28, 38 et Agg. 1, 6 et Is. 1, 7; sim. *Schegg* et *Scholz* qui confert Deut. 28, 22. 33. 49. Is. 1, 8; 5, 9. Ier. 6, 17; 14, 3. Amos 4, 9. At plerique interpretes etiam hoc membrum metaphorice dici censent i. e. « omne opus eorum nullum eis afferet fructum, nil opis divinae, nil consolationis, nil boni pariet » (*Lap.*) « et si fructum aliquem saltem iuxta hominum iudicia stulti illi satores cepisse se putaverint, alieni comedent » (*Sanct.* — cf. *Ps. Ruf. Haimo, Cyr. Theoph. Theod. M.*); hebr. *devorabunt*, ut hostium cupiditas, furor designetur; cum voce eadem versus subsequens incipiat, adest et emphasis et adagii explicatio innuitur.

Ut bene notat *Alb.* transiens ad v. 8 « quod dixit, explanat » v. 8 « *devoratus est Israel, nunc factus est in nationibus quasi vas immundum* »; —cf. 7, 9. Ad id demum omnis splendor Israel recidet, ut ab hostibus fere absorbeatur et devoretur; cernit propheta iam conditionem illam exsilii; vel, ut *Sanct.* censet : « praeteritum adhibet pro futuro, quia certissima sunt, quae denuntiantur mala... nisi dicamus, quod mihi incredibile non est, quo tempore haec ab Osea dicebantur, iam coeptam esse Israelitarum dispersionem »; inter gentes omnium ludibrio ac contemptui sunt expositi; hebr. *vas, in quo non est beneplacitum*; notat *Hier.* ita Hebraeos matulam vocare, qua ad proiicienda stercora uti solent; et *Ps. Ruf.*: « nunquam, inquit, honesto Israel delegatus officio est, ut post libertatis et dominationis insignia saltem inter servos liberaliter censeretur, sed quasi vas ad naturae requisita compositum, ita contumeliarum sordibus implebatur... heu, quam flebilis fuit et quam magna conversio, ut ille populus, qui solus magisterio sacrae legis inter munda didicerat immundaque discernere, qui ideo segregatus a cunctis erat gentibus, ne eum contagio ulla pollueret, nunc earum quoque gentium iudicio comprobetur immundus, quae squalore flagitiorum omnium sorduerunt »; bene *S. Hier.* et *Cyr.* comparant Ier. 22, 28.

Et quare ad tam flebilem conditionem redacti sint, rationem reddit v. 9 « *quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi; Ephraim munera dederunt amatoribus* »; —i. e. quia auxilium et opem flagitaturi Assyrios adierunt cf. 5, 13; 7, 11; ita iuremerito plerique; solum *Rib.* et *Sa* de captivitate exponunt, sicuti etiam *Chald.*

Quantopere id dedeceat populum Dei, comparatione adiecta non sine acerbitate declarat; *onager* scil. *suam servat naturam et indolem,* solitarius manet, ab aliis animalibus fugiens et solum cum onagris vivens; Israel vero contra suam naturam a Deo datam, contra finem et Dei consilium sibi propositum ad exteros deflexit; cf. Is. 1, 3. Ier. 8, 7 et Num. 23, 9. Haec explanatio facilis est, contextui apta, verbis minime incongrua, exemplis similibus illustrata, quibus Deus saepius conqueritur, homines a vero tramite deflectere, dum res naturales ordinem suum et seriem servent; neque ullo modo particula comparationis desideratur, sed maiori emphasi sententia per asyndeton adiungitur, quasi dicat: Israel nescit, quid sibi congruat; onager scit et observat.

Qui particulam comparationis supplendam esse censent — eam efferunt versio *quinta, Syrus, Chald.* — uti plerique interpretes, explanationem sibi reddunt difficilem. Nam quo pacto ascendit ad Assur, *sicut* onager *solitarius sibi?* quaerit enim societatem et foedera, ergo *solitarius sibi* iam nullo pacto apte additur; quare ab illis expositoribus etiam plane negligitur (cf. *Schegg*) et comparatio alia in re quaeritur, vel in concupiscentiae et libidinis vehementia (*Alb. Schegg*), vel in abusu libertatis (*Hier. Rib.*), vel in vagandi effrenata licentia (*Rup. Tir. Men.*), vel in omnium vitiorum horum cumulo (*Sanct.*); alii comparationem institui censent, quia Israel, uti onager, liber esse deberet et sine subiectione et servitute (*Ps. Ruf.*), vel quia sit derelictus solitarius a Deo (*Lap.*) et a consolatione aliorum quoque separatus (*Ephr.*), vel quia solus relictus sit alienatis aliis gentibus et deserentibus (*Mar.*).

LXX. ἀνέθαλεν καθ' ἑαυτὸν Ἐφραΐμ, פרא uti verbum explicarunt cf. 13, 15, eo fere modo uti פרה vel פרח; *Sym.* καὶ οὐκ ἀνέθαλλεν ἐν ἐμοί לי pro לו; exponunt: per se, sine Dei ope putavit se altas radices acturum (*Cyr.*); a Dei servitio se seiunxit (*Theod.*), *Aq. Theod.* ὄναγρος μονάζων ἑαυτῷ vel καθ' ἑαυτὸν (*Theod.*). Explicat *Chald.*: ambulabant in voluntate (consilio) animae suae, quasi onager. — Insuper nota paronomasiam in hebr. inter פֶּרֶא et אֶפְרַיִם.

Insuper opem Assyriorum muneribus datis efflagitarunt (cf. 4 Reg. 15, 19); tale foedus antitheocraticum cum fidem Deo datam, qui solus voluit esse liberator atque protector Israel, aperte violaret, adulterii vel fornicationis symbolo exhibetur, idque eo magis, quia eiusmodi pacta cum exteris fere idololatriam invehebant vel cum ritibus idololatricis coniuncta erant (cf. 4 Reg. 16, 10-16), unde *munera dederunt amatoribus,* hebr. *amores conducere* vel *mercedes meretricias dare* [1]; verba

1. הִתְנוּ aliis est hiph. a תָּנָה, quod sit denominativum a אֶתְנָה cf. 2, 14 hebr. — *Scholz* verbum assumit אתן התן et formam piel explicat; at verbum אתן nullibi exsistit; et si codices quidam apud de Rossi v. 10 יתנו scribunt cum dagesch, id potius suadet formam illam ab נתן esse derivandam

eandem accusationem referunt, quam Ez. 16, 33 : « omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis et dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ». Falso LXX δῶρα ἠγάπησεν ; sim. *Syrus* ; sed *Cyr.* et *Barh.* sensum rite explanant : dona dilexerunt scil. *dare* [1], ut mali dilationem sibi emerent. *Theod.* vero et *Theod. M.* ad desiderium insatiabile plus semper habendi id referunt.

Sed etsi omnia humana auxilia in subsidium vocaverint et mercede data sibi conduxerint, Dei tamen vindictam non effugient v. 10 « *sed et cum mercede conduxerint nationes, nunc congregabo eos et quiescent paulisper ab onere regis et principum* » ; — *congregabo* eos ad iudicium subeundum (*Theoph.*), ad pugnam (*Hier.*) vel in obsidione et gladio (*Rup. Alb.*), ad excidium (*Tir.*), in captivitatem (*Ps. Ruf.*) ; i. e. etsi *effugere* et elabi conantur, tamen eos interitui et excidio sistam et colligam cf. Ier. 12, 3 : « congrega eos quasi gregem ad victimam » ; Ez. 22, 20. 21. Mich. 4, 12. [2]

Quod sequitur et *quiescent* ironice est dictum : nunc enim currunt et laborant et sudant, ut foedera alienorum sibi concilient ; cf. 2, 5 : « vadam post amatores meos » ; Is. 30, 2. 6 ; 31, 1. Ier. 2, 25 — hanc sedulitatem Deus sistet, requiem eis dabit, idque brevi, sed *quies* haec erit *ex onere regis principum* (hebr.), qua locutione ironia patet : quaerunt scil. foedus et auxilium regis regum i. e. Assur ; cf. Is. 10, 9 ; 36, 4. Ez. 26, 7. Dan. 2, 37 vel regis principum — bene, conquiescant sub onere eius et pondere ; experiantur, quam quietem habituri sint ex iugo eius ! Vel sensu eodem eodemque sarcasmo : cessabunt, liberi erunt ab onere regis principum.

Ita enim veteres [3] hebr. יחלו explicarunt, recentiores, uti iam *Mar.*, *dolendi* vel *parturiendi* notionem ibi agnoscunt *et dolebunt ex onere* (a חול) vel *incipiendi : incipient pauci esse propter onus* (*Keil* ; a forma הֵחֵל fut. יָחֵל hiph. a חָלַל cf. Iud. 20, 31. Ez. 9, 6. 2 Chron. 29, 17). Sed ironia in *vulgata* versione optime consonat etiam cum verbo *congregabo*, quod plerumque sensu fausto adhibetur.

---

1. Mille talenta argenti quae dantur Phul, aestimantur 7 500 000 M. monetae germ. ; cf. *Schrader* Keilinschriften u. d. A. T. 2 ed. p. 318.

2. Similiter etiam graeci νῦν εἰσδέξομαι αὐτούς explanant, scil. ὡς δικὰς αἰτῶν καὶ ὑπὸ κρίσιν ἤδη καλῶν (*Cyr.*), vel in hostium regione (*Theod. Theod. M.*). Perperam sensum promissorium *Syrus* et *Chald.* exprimunt.

3. LXX καὶ κοπάσουσι μικρὸν τοῦ χρίειν βασιλέα καὶ ἄρχοντας; *Sym. et Theod.* καὶ διαλείψουσι τοῦ χρίειν — *Syrus* : et quiescent; *Chald.* : et auferam ab eis dominationem. *Aq.* καὶ λιτανεύσωσιν ὀλίγον ἀπὸ ἄρματος βασιλέως καὶ ἀρχόντων. *Aq.* formam derivat a חִלָּה aliquem demulcere precibus vel donis, cf. Ex. 32, 11. 1 Sam. 13, 12. Ier. 26, 19 orare Deum et deprecari. — Ceterum quod LXX, *Sym.* et *Theod.* habent τοῦ χρίειν, ad ממשח pro משׂא referturut.

Dein alteram affert rationem (cf. v. 9) priori cognatam, cur Deus eos proiecturus sit, cur turbinem sint messuri (v. 7) et devorandi ab hostibus (v. 8) v. 11 « *quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum, factae sunt ei arae in delictum* » ; — unum locum, quem elegit Dominus, designavit ad sacrificia offerenda (cf. Deut. 12, 5) ; « annon contemptus Dei est, quando me iubente ut unum in Ierusalem esset altare, per omnes montes et colles idola fabricati sunt, quibus irritarent Dominum » *Hier.*) ? Sermo est de vitulorum cultu, qui praecipuo quodam modo *peccatum* חַטָּאת dicitur.

Non sine emphasi in hebr. eadem vox habetur in utroque membro לחטא, ut nexus inter peccatum et poenam efferatur. Verbum enim חטא, uti culpam dicit et peculiari quadam ratione scelus idololatriae in vitulorum cultu exercitum denominat (cf. 3 Reg. 12, 30; 15, 26. 34 etc. *Scholz*), ita ei notio quoque conserta est obnoxium esse poenae. Quare illud *in delictum* ita explicari oportet, ut « quanto plura altaria fuerint, tanto illius scelera multiplicentur » (*Hier.*) et cum sceleribus poena condigna.

Atque crimen hoc et rei indignitas eo augetur, quia ipsi legem Dei bene scientes et continuo ipsa Dei lege scripta admoniti et per prophetas castigati, nihilominus ea omnia spernentes insano quodam furore cultui idololatrico operam dabant. Unde in ipso loquendi modo Deus quantopere tale peccatum ipsi sit fastidio prodit v. 12 « *scribam ei multiplices leges meas, quae velut alienae computatae sunt* » ; — hebr. אכתוב explica cum *Scholz* aliisque tamquam concessionem cum ironia : quid prodest legem scripsisse, vel potius ut gallice dicitur : j'avais beau écrire ! Tanta scil. cura atque sollicitudine Deus totius vitae religiosae atque civilis ordinem et normam populo tradidit et maximam quandam multitudinem (secundum hebr. *kethib* [1] decem millia) legum ei tradiderat. Has autem leges quas Deus etiam praesenti tempore illis continuo scribere dici potest, quia continuo per prophetas eas in memoriam revocat, spernunt, reputant alienas, quasi ad se non pertinentes, quasi leges peregrinas, extraneas, vel etiam ipsis hostiles (cf. זר Ps. 54, 5) vel quas intelligere nolunt (*Scholz*). Ipse modus loquendi de *myriade legis* insigne continet documentum et argumentum, exstitisse magnam quandam legum scripto consignatarum copiam, i. e. exstitisse Pentateuchum ; nam quod recentioribus aliquibus criticis placet, decalogum solum et paucas alias leges notas fuisse, cum ista locutionis amplitudine stare nequit. Quis enim unquam tali uteretur hyperbole, ut decalogum vocet decem millia legum ? bene autem

---

1. *Qeri* רבי praebet pluralem alias inusitatum. Mutationem inde fortasse invexerunt masorethae, quia *kethib* nimis literaliter de myriade explicarunt (cf. *Keil*).

et cum emphasi ea adhibetur exaggeratio ratione habita Pentateuchi [1].

Illud *scribam* cum aliqua ironia dici vel ita saltem posse intelligi, iam monent *Alb.* et *Sanct.* Paulo aliter verba accipit *Hier.* : « sed quid prodest ultra alias scribere, cum contempserit eas quas ante suscepit » ? Iterum aliter *Ps. Ruf.* cuius interpretationem *Rib.* adoptat : « mihi et germana et acuta videtur Rufini interpretatio, quam apertius referam. Leges meas quae olim promulgatae Deuteronomii praecipuo volumine continentur, multipliciter in eos scribam i. e. exsequar atque cumulabo » ; quae sententia etiam a *Sanct.* approbatur. At longius a verbis ipsis recedere videtur. In explicatione autem *S. Hier.* complura supplenda sunt ; quare expositio priore loco proposita praeferenda erit, qua simul animi indignantis affectus bene depingitur. — Ab ea autem non ita multum recedit quod alii malunt, scil. explicare tempus imperfectum (futurum) de re quae olim facta sit et in effectu suo perseverans quasi continuo fiat. Ita tempus imperf. adhiberi certum est (cf. *Ewald*, Lehrb. §. 136 c). Demum *Syrus, Chald. Sym.* tempore perfecto vertunt, dum LXX et *Aq.* futurum exprimunt (cf. cod. syr. hexapl. et *M.* 16 c, 2943).

At Deus qui praeceperat : « non habebis deos alienos coram me » (Ex. 20, 3 ; 34, 14), sacrificia et hostias placationis ab iis iam non accipiet neque talibus se placari sinet v. 13 « *hostias offerent, immolabunt carnes et comedent et Dominus non suscipiet eas* » ; — cf. 5, 6 et quae ibi notata sunt. Talium enim peccatorum oblationem et sacrificium Dominus vocat carnium mactationem et comestionem i. e. nihil sacrum, religiosum nihil ibi agnoscit, sed rem esse profanam et ad ingluviem explendam solum usurpari cum contemptu iis exprobrat ; « omne enim studium victimarum in eo habent, ut devorent hostias, non ut per eas placeant Deo ; nec suscipiet eas Dominus quas non illi, sed suo ventri immolaverunt et gutturi » (*Hier.* sim. *Rib. Lap. Mar. Men.*). Uti illi Dei legem *alienam* computarunt, ita Deus mentem suam ac benevolentiam ab iis eorumque cultu avertit et qui odit claudicationem in duas partes (3 Reg. 18, 21. *Rib. Lap. Sa*), talibus hostiis minime poterit delectari neque tales cultores gratia sua et favore prosequetur (cf. רצה *delectari*, propitium ac clementem esse).

Incerta est vocis הבהבי explicatio. *S. Hier.* eam interpretatus est a יהב *dare, donare, ;* similem derivationem multi sequuntur vertentes *sacrificia donorum meorum* (cf. *Vat. Rib. Mar. Lap. Keil*) et iam secutus est *Aq.* vertens φέρε φέρε et ad eandem referenda erit explicatio *Theod.* θυσίας μεταφορῶν et *Sym.* quoque uti mihi videtur ;

---

1. Affirmant exstare in Pentateucho praecepta affirmativa 248, negativa 365 ; cf. *Ugolini*, Thes. Ant. I p. 168.

vertit enim θυσίας ἐπαλλήλους *crebras hostias*, ita ut in voce reduplicata dona crebro oblata intellexisse videatur.

Syrus victimas intelligit selectas, praeclaras, *Chald.* ex rapina, oppressione collectas. Recentiores vel explicant *dona, sacrificia mihi danda* (*Ges.* Thes. p. 575) vel rabbinorum ex lingua talmudica interpretationem sequentes vertunt *ustulata, tosta* i. e. holocausta (cf. *Fürst* C. et L.). *Hitz.* ad arabicum confugiens sacrificia *abominationis meae* interpretatur. Denique *Scholz* verbum refert ad אהב et comparat 4, 18; unde vertit *sacrificia amoris* et vocem censet esse nomen vulgare, epitheton provinciale. Cum apud LXX legatur θυσιαστήρια τὰ ἠγαπημένα, ipsi quoque, si eundem textum legerunt, eandem sequi videntur derivationem. In ea autem varietate id erit praeferendum quod et simplicius est et ex ipsa vocis forma magis obvium et veterum quoque suffragio luculentius commendatur; atque talis videtur esse explicatio *sacrificia donorum* meorum.

Verum Dominus « *nunc recordabitur iniquitatis eorum et visitabit peccata eorum; ipsi in Aegyptum convertentur* »; — hebr. *revertentur*; i. e. quali olim in Aegypto servitute premebantur, tali iterum captivitate eos afficiet; ad alteram quandam Aegyptum revertentur (*Sanct.*); cf. 9, 3. 6. Ita scil. Deus iam olim minatus est: « reducet te Dominus in Aegyptum » (Deut. 28, 68 — cf. *Trochon, Schegg, Scholz*). Exsilium indicatur et conditio servitutis, pro qua *Aegyptus* quasi typus est.

Interpretes latini explicant vel de petitione auxilii ab Aegyptiis et idolorum Aegypti cultu (cf. *Hier. Haimo, Alb.*), vel de fuga in Aegyptum, quam aliqui vel multi tempore obsidionis et occupationis Samariae per Assyrios capturi sint (cf. *Rib. Lap. Mar. Men. Tir.*). Prius effertur in glossa apud LXX αὐτοὶ δὲ εἰς Αἴγυπτον ἀπέστρεψαν (scil. ut auxilium peterent; cf. *Cyr. Theod. M.*; vel ut illuc fuga se proriperent *Theod.*) καὶ ἐν Ἀσσυρίοις ἀκάθαρτα φάγονται; desumpta est glossa ex 9, 3.

Hominibus exsilium annuntiavit; simul cum eis etiam terra punitur, uti saepe apud prophetas et generatim in iudiciis divinis (initio ducto a Gen. 3, 14, a diluvio, a Pentapoli etc.); quare mentione facta peccatorum ipsa peccatorum opera dicit destruenda v. 14 « *et oblitus est Israel factoris sui et aedificavit delubra et Iudas multiplicavit urbes munitas; et mittam ignem in civitates eius et devorabit aedes illius* »; — uti 4, 15; 5, 5. 8. 10. 12. 13. 14, sic etiam 6, 4 et h. l. Iudas tamquam scelerum Israel consors apparet; in Israel idololatria completa [1], in Iuda diffidentia accusatur et studium illud, quo munitionibus exstructis more gentilium i. e. suis conatibus se tutari contendebant posthabita vel spreta in Deum pietate, quae mens etiam quam maxime indoli theocra-

---

1. Hebr. הֵיכָלוֹת veteres de templis idolorum interpretantur; LXX τεμένη; *Chald.* exstruxit templa idolis; *Hier. delubra.* Idque recte; nam הֵיכָל dicitur de templo Dei, ut eius palatio et fortasse forma inusitata pluralis in וֹת innuit, vocem non in usitata significatione הֵיכָלִים *palatia* esse accipiendam. Immerito *Scholz delubra* reprehendit.

ticae repugnat. Quare Deus superba illa monumenta, arces, palatia delebit *igne* cf. Is. 1, 31 ; 2, 12-18.

Scholz hunc versum tamquam interpolationem delet. At immerito ; nam veteres versiones et iam LXX eum legerunt ; dein postquam hominibus sors est annuntiata, i. e. incolis regionis, quid eventurum sit ipsi regioni, facile omnino et apte subditur, uti saepissime revera fit, etiam apud Osee ; cf. 2, 3. 4. 9. 12 ; 4, 3 ; 9, 6 et pro re prospera 2, 21. 22. — Vult *Scholz*, stilum et colorem non esse nostri prophetae ; verum est, Deum vocari עֹשֶׂה iam non apud Osee, saepius apud Isaiam et Amos inveniri ; at reliqua satis simpliciter dicuntur et verbis obviis ; et non apparet ratio, cur Osee iis uti non potuerit ; nam etiam Osee multa habet incisa, quae facilem et communem loquendi modum omnino sequuntur et exprimunt (cf. v. g. 8, 1b. 4b. 8. 13b) ; et si quis formam inusitatam requirit, adest הֵיכָלוֹת. Verum est *mittam ignem et devorabit aedes*. . locutionem esse apud Amos familiarem cf. Am. 1, 4. 7. 10. 12 ; 2, 2. 5 ; inde tamen nondum sequitur, versum nostrum, qui *tam bene* ex antecedentibus fluit *eaque complet*, esse glossema. Insuper *mittere ignem* non est locutio aliis praeter Amos incognita ; cf. Ier. Lament. 1, 13 et etiam Iud. 1, 8 ; 20, 48. 2 Reg. 8, 12. Ps. 74, 7 in hebr. — altera vero locutio *ignem devorare* usitatissima est ; cf. in hebr. Ex. 24, 17. Deut. 4, 24 ; 5, 22 ; 9, 3 ; 32, 22. Iud. 9, 15. 20. 2 Sam. 22, 9. 2 Reg. 1, 10. 12. 14. 2 Chron. 7, 1. Iob 15, 34 ; 20, 26 ; 22, 20 ; 31, 12 etc. — Neque hoc ab Osee alienum est, ut poenae ulteriori denuntiationi iterum peccati mentionem praemittat cf. 4, 18. 19 ; 5, 7. 11 ; 6, 10 ; 7, 11. 15. 16.

c) Conditio exsilii describitur 9, 1-9.

Poenam exsilii, quam modo indicaverat, iam distinctius describit et exsequitur. Et primo quidem eius *causam* denuo proponit et quae illi sunt *praeambula*, explicat ; haec v. 2 ; illam v. 1 « *Noli laetari, Israel, noli exsultare sicut populi, quia fornicatus es a Deo tuo, dilexisti mercedem super omnes areas tritici* » ; — hebr. *noli laetari usque ad exsultationem* scil. אֶל - גִּיל cf. Iob 3, 22 ; sed veteres (LXX, *Syr. Hier. Chald.*) legerunt אַל ; prius magis ironice sonat : ne *nimis* gaudeas i. e. luctum indue vehementissimum ; alterum vesanam illam laetitiam depingit, quam gentilium more exhibent, saltationes, tripudia, clamores, strepitus, quibus uberem quam collegerant messem celebrant eamque diis acceptam referunt (cf. *Cyr. Theod. Theod. M. Theoph. Rup.*). Gaudium enim messis maximum est (cf. Is. 9, 3. Ps. 4, 8 hebr.). Illud *quia fornicatus* non rem refert de qua exsultant (*Hier. Haimo, Ps. Ruf. Alb. Tir.*), verum rationem dicit, cur *non* sit laetandum ; « Israel enim lege Dei institutus et Dei cognitione imbutus ad defectionem est forni-

catus; quare merito gravioris culpae reus... » (*Cyr.*) quam gentes (cf. *Theod. Theod. M. Rup. Rib. Lap. Mar. Scholz*); Dei obedientiae et iugo sese subducentes (cf. מַעַל) idola colunt (cf. 5, 12 et seq.) et uberem messem quae sit in areis *mercedem*, donum et remunerationem censent et praedicant a diis concessam propter cultum idolorum cf. 2, 5. 12 : « mercedes hae, quas dederunt mihi amatores mei »; bene *S. Hier.* : « mercedem fornicationis tuae areas multas et torcularia reputasti, ut rerum omnium abundantia fruereris » (sim. *Cyr. Rib. Sanct. Lap.*); idolis igitur festos agunt dies in ipsis areis et ibi gentilium more tripudia etc. celebrant (cf. *Cyr. Mar. Lap. Men.* sim. *Scholz*).

At vanissime et animis laetantur et externis gaudii significationibus exsultant; nam v. 2 « *area et torcular non pascet eos, et vinum mentietur eis* »; — cf. 2, 9; 7, 14; i. e. frugibus collectis uti et frui non poterunt; « quando cultus et labor et expensae adhibita sunt et fructum non reddit, tunc vinum mentietur » (*Alb.*); spei conceptae eventus non respondet; nominantur tria, frumentum, oleum, vinum, quibus Palaestina abundabat; cf. 2, 8 — uti ipsi obliti sunt Dominum et ab eo defecerunt, ita fruges eos deficient [1]. Cur frugibus uti non possint, declarat; « verum quid ego minora damna commemoro, cum penuriam tuam consequantur exsilia, nec vobis colendi patrii soli ulla detur facultas » (*Ps. Ruf.*)? Ita v. 3 « *non habitabunt in terra Domini; reversus est Ephraim in Aegyptum et in Assyriis pollutum comedit* »; — i. e. Dominum reliquerunt, quare etiam a terra Domini eiiciendi sunt; ita saepe vocatur Palaestina [2]. Bene *Ps. Ruf.* : « qua ergo impudentia regionis istius fertilitatem capessas, cuius insignia et in ritibus et in moribus respuisti? abibis potius illo pulsus, quo ire ante corruptus voluisti »; « etenim non ut in terra Deo dicata vixerunt, sed iniquitatibus plenam vitam egerunt » (*Theod.* sim. *Theoph.*); quare revertentur *in Aegyptum*, cf. 8, 13; i. e. in exsilium eiicientur, in terram alienam (*Hier.*), uti olim erat pro iis Aegyptus; ita *comparationis* modo adhiberi, elucet ex membro adiecto, quo in *Assyria* polluta comedere dicuntur [3] et cf. 11, 5. Cibi *polluti* sunt, quos vel Iudaeorum religio prohibet, vel qui diis erant immolati

1. Cf. hebr. כַּחֵשׁ h. l. et 4, 2 (cf. 7, 2. 16); 8, 14. Hebr. text. mas. בָּהּ i. e. in Israel. Sed codex babylonicus legit בָּם, uti veteres versiones multique codices; quae lectio omnino adoptanda est cum multis codicibus (cf. *de Rossi*).

2. Cf. Is. 8, 8; 14, 2. 25; 36, 18. 20; 47, 6. Ier. 12, 14; 16, 18; 2, 7. 1 Reg. 26, 19. 2 Reg. 14, 16 hereditas Domini etc.

3. Alii *reditum* de modo vivendi et more aegyptiaco explicant (*Theod. Theoph. Rup.*); quae ratio sit, cur comesturi sint polluta in Assur; temporis quidem forma שָׁב, וְאָכְלוּ favet; at *locutio* prius illud indicat.

vel gentilicio ritu et certis caeremoniis consecrati (*Sanct.*), vel neglectis ritibus leviticis praeparati, vel si primitiae frugum et arborum Deo non erant oblatae [1]. Sensus est : foederis violatione a Deo abiecti sunt, quare in externo quoque vivendi habitu peculiaria illa, quibus Deus suum populum insignitum voluit ac distinctum, amittent et quasi in gentilium ordinem et censum redigentur. Hoc ulterius delineat v. 4 « *non libabunt Domino vinum et non placebunt ei ; sacrificia eorum quasi panis lugentium, omnes qui comedent eum, contaminabuntur ; quia panis eorum animae ipsorum, non intrabit in domo Domini* » ; — « mala captivitatis exsequitur » (*Ps. Ruf.*) carebunt sacrificiis, quibus Deum placare, et varia bona impetrare possent ; libaminis meminit, tamquam partis holocaustorum et pacificorum (Num. 6, 17 ; 15, 5, 10. cap. 28. 29. Lev. 23, 13. 1 Par. 29, 21 etc.) ; in terra vero aliena cultum exercere non licuit, sed in illo tantum loco, quem Dominus elegit ; quare ipsa cultus carentia se a Domino abiici admonentur seque esse « non populum Dei », non ei placere [2]. *Panis lugentium*, hebr. *dolorum* vel *luctus*, ille est panis, qui in domo mortui comeditur, quare propter mortuum omnes immundi fiunt (cf. Num. 19, 14) ; proin dicit, si qua obtulerint sacrificia non modo non Deo placent, sed maiore immunditie inquinantur, sunt enim res immundae ; *panis* ad usus tantum profanos, ad esuriem explendam, adhiberi potest ; ab usu sacro, a primitiis offerendis, ab oblationibus prorsus erit abstinendum ; i. e. sedebunt sine sacrificio (cf. 3, 4), neque ullo pacto ea offerre licebit.

Huius a Deo abiectionis quam maxime conscii erunt diebus festivitatum per annum recurrentibus, v. 5 « *quid facietis in die sollemni, in die festivitatis Domini* » ? —

מוֹעֵד quidem de festis dicitur statutis anni diebus celebrandis cf. Lev. 23, 2. 4. 44. Ez. 46, 11. Zach. 8, 19. 2 Chron. 8, 13 ; 31, 3 etc., sed cum iidem dies etiam חַג nominentur cf. Ex. 23, 15. 34, 25. Lev. 23, 34. Deut. 16, 10. 2 Chron. 8, 13, hoc loco ne habeatur molesta tautologia, melius מוֹעֵד explicabimus de sacris coetibus agendis et congregandis, quae pars erat celebritatum ; unde אֹהֶל מוֹעֵד Ex. 27, 21. Lev. 1, 1 ; 4, 4 cf. Num. 16, 2. Soph. 3, 18. Is. 33, 20.

Sunt, qui de die iudicii interpretentur, qui sit dies sollemnis Domini, dies ultionis et vindictae (cf. *Cyr. Hier. Haimo, Theod. M. Rup. Alb. Rib. Lap.*) ; at contextus et membrum alterum priorem interpretationem

1. Cf. Lev. 23, 10-17. Num. 15, 19. 20 ; 18, 26 - 32. Deut. 12, 6. 11. 17 ; 26, 2 et seq.
2. עָרֵב *dulcis, suavis fuit*, cf. Ez. 16, 37. Prov. 13, 19. Ier. 31, 26 ; cum de hominibus quoque dicatur, versio *S. Hier.* omnino bona est, neque *sacrificia* ad hanc iam partem trahenda sunt.

omnino commendant (cf. *Ps. Ruf. Theod. Theoph. Mar. Tir. Schegg, Scholz*).

Carent vero festivitatum celebratione, quia sunt in terra aliena : v. 6 « *ecce enim profecti sunt a vastitate ; Aegyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos ; desiderabile argentum eorum urtica hereditabit, lappa in tabernaculis eorum* » ; — i. e. migrarunt, in exsilium eiecti sunt iudicio vastationis, quo ipsi et regio illorum sunt involuti ; *Aegyptus* cf. 8, 13. מף vel Is. 19, 13 נֹף, [1] Memphis ex aegyptiaco *Mennefr* mansio bona orta est (cf. *Brugsch,* Geogr. Inschr. I p. 234). *S. Hier.* notat : « desiderabile argentum eorum, quod urtica possedit, villas et omnia ornamenta villarum intelligemus, quae pretio emuntur argenti » ; ita plerique ; cui explicationi membrum parallelum favet (*Schegg, Keil*), alii (*Hitz. Scholz*) idola ex argento confecta cf. 8, 4 ; 13, 2. Is. 2, 18 ; 30, 22 ; at argentum et aurum idolorum ab hostibus diripietur (cf. 8, 6) ; et *urtica* vel carduus non idola sed *domus* possidere dici potest ; ita quoque *Chald.*, dum *Syrus* : « exquisitum argentum eorum alieni possidebunt » [2]. Aedificia *pretiosa argento* vel thesauris aliaque supellectili (cf. Iob 3, 15 ; 27, 16) dicuntur propter sumptus et magnificentiam, quae in regno israelitico non deerant cf. Is. 9, 9. 10. Am. 3, 15 ; 5, 11. « Quodque sequitur : *lappa in t.* longam significat vastitatem, ut ubi quondam domus eorum erant, ibi lappae et urticae nascantur et spinae » (*Hier.*) ; cf. 8, 14.

Exsilium et vastationem descripsit ; succincte subdit, cur tali sorte sint affligendi v. 7 « *venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis ; scitote Israel, stultum prophetam, insanum virum spiritualem ; propter multitudinem iniquitatis tuae et multitudinem amentiae* » ; — sors ista est castigatio a Domino, eaque iustissima retributio pro plurimis sceleribus, diu et saepe iam praedicta, *nota* ; unde in hebr. articulus adhibetur. Tunc demum discent, pseudoprophetas, qui pacem annuntiaverint nec scelera reprehenderint, esse *stultos*, et qui se a spiritu Dei agitatos iactabant, *insanos* fuisse et deceptores.

Ita de pseudoprophetis explicant *Chald. Lap. Sa, Tir. Mar. Keil, Trochon ;* idque recte ; alii veros prophetas intelligunt, qui a populo tamquam stulti et vesani traducti sint (cf. Is. 28, 9. 10. Ez. 33, 31 — *Hier. Ps. Ruf. Alb. Sanct. Est. Scholz*) ; at in hac explanatione quaedam *supplenda* sunt : *sciet Israel* (hebr.) i. e. experietur, experimento *discet, quid sit vel quantum intersit,* quan-

---

1. Hieroglyphice *nap, napi, napit ;* cf. Revue arch. Oct. 1871 p. 215.

2. LXX pro מחמד legerunt Μαχμὰς et aliter iungunt : « proficiscentur ex calamitate Aegypti, et excipiet eos Memphis et sepeliet eos Machmas ; argentum illorum interitus hereditabit ».

tum afferat damnum, prophetam stultum vocare ; sed talis elisio est nimis dura ; alii utramque interpretationem proponunt (cf. *Hier. Haimo*) ; alii ipsum Israel fuisse prophetam vanum et inflatum volunt (*Rib.*) ; at id certe longius abest. *Vir spiritus* (hebr.) idem est ac *propheta*, h. l. talem dicit, qui se spiritu Dei impelli falso asserit, vel qui talis vulgo habetur, in quem Dei spiritus agat (cf. Num. 11, 29 ; 24, 2. Iud. 3, 10 ; 6, 34 ; 11, 29 ; 14, 6. 19 ; 15, 14. 1 Reg. 10, 6. 10; 11, 6 ; 19, 20 etc.). Populum a pseudoprophetis seductum falsam sibi securitatem promisisse, veri Dei prophetae saepius lamentantur ; cf. Ier. 14, 13 ; 28, 6. Ez. 13, 7 etc. Mich. 2, 11 (hebr.) ; 3, 5 etc.

Propter multitudinem ... logice referri debet ad *dies retributionis* ; quod *Schegg* vult, propter populi scelera veros prophetas caecitate et insania fuisse perculsos, a notione prophetae, qui est Dei os et Dei nomine loquitur, abhorret ; prophetae enim non *insania* puniuntur, sed Deus populum ita punit, ut nullum suscitet prophetam vel ei responsum nullum communicet (cf. Lament. 2, 9. Amos 8, 12. Ps. 73, 9. Ez. 7, 26. Dan. 3, 38).

Adnotat *S. Hier.* : « pro *amentia Aq.* vertit ἐγκότησιν, quam nos vel *iracundiam* vel *memoriam doloris* in latino possumus dicere » ; LXX habent μανία ; est furor ille insanus hominum scelestorum contra Deum, inde odium Dei, vel, uti מַשְׂטֵמָה a שָׂטַם [1] rite explanant : oppugnatio, inimicitiae contra Deum (cf. *Lap.*).

Eam deceptionem ulterius declarat v. 8 « *speculator Ephraim cum Deo meo* ; *propheta laqueus ruinae factus est super omnes vias eius, insania in domo Dei eius* » ; — pars prior subobscura est ; unde varie explanant : Ephraim suo marte *praeter* Deum meum et ea subsidia quae Deus assignat, vaticinia quaerit et de futuris [2] coniectat (cf. *Keil, Scholz*) ; alii : is qui debuerat esse speculator pro Ephraim Dei ope et nomine, factus est eis in ruinam (cf. *Hier. Rib. Lap. Sa, Mar. Tir.*) ; at neutra explicatio satisfacit : prior non placet, quia *cum Deo* vix in illum sensum trahi potest ; altera displicet, quia de *falsis* prophetis dici nequit : eos debuisse esse speculatores ... isti *debuerunt* prorsus nihil agere et abstinere ab omni *speculatione* ; neque de veris prophetis commode dicitur, eos per accidens in ruinam factos esse, uti *Alb.* v. g. de Ahia dicit. Quare sententia ita est concipienda : habuit Ephraim veros prophetas ope et nomine Dei, at *nihilominus* se permisit seducendum malis prophetis (cf. *Sanct. Schegg*) ; ita culpa Ephraim augetur. *Speculator* est

---

1. Gen. 27, 41 *odisse* ; 49, 23 *iurgari* ; 50, 15 *memorem esse iniuriae* ; Iob 16, 9 *comminari* ; 30, 21 *adversari*, uti *Hier.* vertit.

2. Simile quid iam indicat *Ps. Ruf.* : « audebas interdum quoddam cum promissis prophetarum inire certamen et dicere : ecce speculandi munus ambo pariter sortiamur et conspicemur, utrum illa omnia veniant, quae isti nobis ventura denuntiant » !

propheta tamquam custos in specula positus, qui imminens periculum annuntiare debet (cf. Ez. 33, 1 - 10); *laqueus ruinae* cf. 5, 1.

Theod. Theod. M. ea ad totum populum dici volunt : Ephraim vicinis gentibus tamquam Dei prophetam constitutum esse, ut illae in Dei cognitionem adducerentur ; at Ephraim contraria fecisse, sua impietate auxisse illarum erga idola superstitionem. At quid Ephraim inter et gentes adfuerit, h. l. non tangitur. *Cyr.*, cum LXX solum μετὰ θεοῦ legant, de pseudoprophetis qui suo quisque deo servierint interpretatur.

Insania cf. v. 7 — eam potissimum exercent cultu idololatrico, in domo *dei sui* i. e. vituli (cf. *Sanct. Lap. Men. Keil*) ; unde *S. Hier.* in Bethel explicat ; alii : usque in templum Domini flagitia penetrasse (cf. *Schegg*) ; sed cum de Israelitis sermo sit, mentio templi hierosolymitani non exspectatur[1]. Culmen flagitiorum cernitur in idololatria, quam pseudoprophetae fovent. Quare concludit v. 9 « *profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa ; recordabitur iniquitatis eorum et visitabit peccata eorum* » ; — cf. 4, 1. Iud. 19 ; i. e. « maximis sceleribus sese obligarunt ; ut enim filii Beniamin indignissimum facinus admiserunt, admissumque a quibusdam omnes defenderunt et obstinatione sua auxerunt, unde universa fere tribus exstincta est ; ita modo idololatriam et impietatem semel susceptam pertinacissime retinent et tuentur » (*Rib.*) ; uti Gabaitae insanis stupris sese dederunt, ita nunc « Israelitae peccant stupro spirituali, idololatria publica, eamque tuentur » (*Lap.*), quare non dissimiles sunt Sodomitis (cf. Ez. 16, 46 — *Sanct.* sim. *Ps. Ruf.*). Alii diem Gabaa etiam ad Saul regis electionem Deo reiecto factam referunt (cf. *Hier. Haimo*) ; at prior explicatio praeferenda est ; nam regem postularunt apud Samuelem in Ramatha, 1 Reg. 8, 4 ; et quod Saul in Gabaa sedem habuerit (1 Reg. 10, 26 ; 15, 34 ; 23, 19 ; 26, 1), tali comparationi subesse non potest, dum e contra שִׁחֵת corruptionem pessimam et apostasiam designat et illi flagitio penitus adaptatur [2] (cf. Ex. 32, 7. Deut. 32, 5. — Gen. 6, 12).

Ultimis verbis stropham concludit et peccata et poenam in memoriam reducens et ita summam argumenti pertractati brevi complectens. Hic enim finem esse ponendum, etiam verba ipsa, quae ex 8, 13 recurrunt, suadent, qua recapitulatione sensus optime absolvitur ; demum a v. 10 et seq. ad aliud argumentum ex Israelitarum historia petitum transit.

---

1. *Scholz* ita nominari vult *terram Domini* ; cf. v. 15. Is. 26, 10. Ier. 2, 7 — quae exempla tantum demonstrant, Palaestinam vocari *terram Domini ; sed domus Dei* arctioris notionis certe est.

2. LXX vocem גִּבְעָה etymologice transtulerunt κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ βουνοῦ ; *Cyr.* explicat referens historiam Iud. 17, 6 - 13 narratam, sed etiam Gabaa et Iud. 19 affert ; alii cultum in collibus, in excelsis exercitum commemorant (cf. *Theod. Theod. M.*).

TERTIA PARS 9, 10 — 14, 10.

EX CASTIGATIONE EFFLOREBIT SALUS

Quamvis propheta etiam in antecedentibus, quid Deus olim pro populi emendatione fecerit, iam strictim et obiter tetigerit (cf. 6, 5; 7, 1; 8, 12), tamen ab hoc loco et deinceps id quasi ex instituto agit *comparatione instituta* beneficiorum Dei et peccatorum populi (cf. 9, 10. 13; 10, 1. 11; 11, 1. 2. 3. 4; 12, 3-6. 10. 12. 13; 13, 1. 6). Haec vero operum Dei commemoratio, uti scelerum enormitatem illustrat, ita simul viam sternit ad reparationem describendam; *talia enim Dei beneficia et opera non frustra impenduntur;* quare hanc salutem et instaurationem propheta accuratius delineat et primo quidem viam ad illam et praeparationem indicat (cf. 10, 3), dein salutem promittit non sine labore certisque conditionibus obtinendam (10, 12), quam Deus miserator largietur (11, 8-11; 12, 9; 13, 4. 5. 14), ita ut Israel denuo floreat, dilatetur, aliisque salutem afferat (14, 5-9).

Igitur duo in hac parte praecipua quadam ratione eminent: a) quid Deus populo praestiterit et populus pro sua parte rependerit: b) qualis salus oritura sit.

In hac argumenti cognatione simul cernitur ratio, cur hoc loco *tertiam partem* libri prophetici statuamus.

I. — PRIMA ANNUNTIATIO 9, 10-10, 15.

ARG. — Populi accusatio augetur ex historia primaeva: a) Deus populum tenere dilexit; illi vero spurcitiis se macularunt; quare evertentur et concident; b) Ephraim tribus erat potens — at nunc excidium ei imminet; c) iam ex tempore Galgal mala perpetrant; quare merito exscindentur et in exsilium eiicientur (9, 10 - 17); d) Israel robustus et fortis est factus; at abusus est sua potentia ad scelera; quare interibunt vulnere divino; tunc intelligent, se vero carere fulcro et subsidio: idololatria terrorem, luctum, exsilium affert, qua in confusione Ephraim et rex et urbs et altaria et habitatores involventur; e) iam ex diebus Gabaa in peccatis permanserunt, quare egregie vindictam sumet Deus (10, 1 - 10); f) Ephraim edoctus est Dei legem, at amans est luxuriae; Deus vero superbiam confringet, sed ita, ut fruges adsint in Iuda et Iacob cum multo labore comparandae, fruges iustitiae et salutis. At nunc longe absunt ab illa salutis conditione, quare mendacii scelerumque frugem experientur: Bethel affert excidium, rex Israel peribit (10, 11 - 15).

a) **Beneficia peccatis rependunt 9, 10-17.**

Bene adnotat *Rup.* : « peccata quae visitanda erant commemorans, prius sua breviter quidem sed mirabiliter ad memoriam audientium beneficia revocat, ut ingratitudinem illorum quilibet perpendens admiretur cum Moyse : *generatio prava atque perversa, haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens* » ? Quanto enim amore et gaudio Deus populum elegerit, amplexus sit, explicat v. 10 « *Quasi uvas in deserto inveni Israel, quasi prima poma ficulneae in cacumine eius vidi patres eorum* » ; — i. e. « uvae in deserto, proverbiali ut reor specie, significant rem maxime suavem et expetendam, tum quia ipsae suaves sunt, tum quia locus solitarius et sterilis facit, ut rebus etiam insulsis et amaris aliquid insit suavitatis » (*Sanct.*) ; exprimit, quanta cum voluptate, quo studio, qua quasi aviditate et complacentia Deus populum sibi in peculium et hereditatem elegerit, sicut si quis siti confectus uvam in deserto invenerit (cf. *Ephr. Ps. Ruf. Theod. M. Cyr.*), illam gaudio et sedulitate colligit eamque rem pretiosissimam aestimat sibique gratulatur inventam. Quamvis *in deserto* pertineat ad uvam (cf. *Hier. Ps. Ruf. Cyr. Theod. Theod. M. Sanct. Rib. Lap. etc.*), tamen Israel foedere *in deserto* inito a Deo fuisse magna cum laetitia assumptum innuitur ; ficus praecoces, quae ante tempus maturescunt, similiter in deliciis habebantur ; cf. Mich. 7, 1 ; et magna aviditate arripiebantur ; cf. Is. 28, 4 ; *in cacumine*, quid hoc addat ad desiderium augendum non apparet ; quare hebr. explicabis : *in initio eius* i. e. in primitiis eius, cum ficus illae praecoces in prima sua sunt teneritudine, in prima quasi ac suavissima aetate. *Patres* eorum Abraham etc. intelligunt, alii duces tempore Moysis (cf. *Hier. Theod. Sanct. Lap.*) ; hebr. *patres vestros* i. e. Israelitas in deserto a Deo repertos et auctos beneficiis. Dei vero amorem, desiderium, exspectationem fefellerunt horrendum in modum : « *ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, abalienati sunt in confusionem et facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt* » ; — cf. Num. 25, 3 et seq. ; hebr. *venerunt ad B.* ad locum illum, ibique foedo idoli cultu peccarunt ; in Bethphegor apud Moabitas trans Iordanem e regione Ierichuntis (cf. Deut. 4, 46. Ios. 13, 20) cultu Baalphegor initiati et consecrati sunt, cuius in honorem virgines praecipue sese prostituebant etc. (cf. *Hier.*) ; quare hebr. *et consecrati sunt confusioni* i. e. sese consecrabant et devovebant idolo turpissimo, quod Priapi in modum *Hier.* describit ; *et facti sunt abominationes sicut amor eorum* i. e. sicut idolum, quod meretricio amore amplexi sunt ; ita quidem generationes praeteritae egerunt ; at illarum mentem et indolem apud posteros perseverasse, propheta innuit et exinde iam liquet, quia statim v. 11 poenam subdit, qua praesens generatio plectenda sit.

Idola saepius vocantur abominationes, res abominandae ; cf. hebr. 1 Reg. 11, 5. 7. 2 Reg. 23, 13. 14. Deut. 29, 16. Ier. 4, 1 ; 7, 30 ; 13, 27 ; 16, 18. Ez. 5, 11 etc. « Ea est vis amoris, ut amantem quodammodo in amatum transformet... idem docet S. Thomas saepe 1. 2. qu. 22 art. 2. qu. 66. art. 6 ad 1, ubi discrimen statuit inter potentiam cognitivam et appetitivam. Amor enim naturam induit et mores imbibit rei amatae, quia est impulsus quidam ad illam et cum ipsa modus quidam et unio » (*Sanct.*).

Ex illo scelere statim transit ad aequales, qui utpote idololatrae etiam *abominationes* facti sunt, sicuti ea, quae colunt et adorant ; si enim amor amantem transformat, a fortiore cultus et adoratio animum, sensus, voluntatem quam maxime afficit et transmutat. Unde minatur, illos ut res abominandas procul esse abiiciendos, v. 11 « *Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum a partu et ab utero et a conceptu* » ; — i. e. quasi avis avolabit in captivitatem (*Hier. Ps. Ruf. Theod.*) ; iam *S. Hier.* advertit, iungi quoque posse *quasi avis avolavit gloria eorum,* et hoc melius est ; *Ephraim* absolute praeponitur, quasi emphasis gratia : quod attinet ad Ephraim,.. gloria et potentia *celeriter, facile* abripietur, evanescet. Ita comparatio est intelligenda [1].

Qui iungunt aliter, explicant gloriam ab Israel repeti a populi multitudine, vel eos gloriatos esse de fertilitate et ubertate in eaque populi regnique splendorem repositum existimasse (cf. *Cyr. Theod. M. Rup. Sanct. Rib.*). At aliter posse intelligi iam vidit *S. Hier.*, scil. gloriam, quae avolet ab Ephraim, etiam a partu, et ab utero, et a conceptu eorum recedere, h. e. filios eorum deseri, posteros derelinqui ; vel filios esse morituros, alios *a partu,* simul ac prodierint in lucem, alios *ab utero,* tempore quo uterus geritur ; alios *a conceptu,* ut ne embryo quidem formetur (cf. *Lap.*) ; originem omnem recenset, ut generalem interitum delineet.

At simplicius est, hebr. מִן vertere *sine partu* etc. i. e. nullus erit partus, nulla uteri gestatio, nulla conceptio. Ita enim tribum numero ac multitudine potentem et florentem ad paucitatem esse redigendam praedicit. Hunc esse sensum, ex gradatione patet, quae cernitur v. 12 « *quod etsi enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus ; sed et vae eis, cum recessero ab eis* ». — Dixerat per hyperbolen, nullum fore partum ; pergit : profecto, si educaverint filios, ego eos orbabo, ut inter reliquos homines ipsi sint absque liberis ; ita textus lat. ; hebr. מֵאָדָם *sine homine* (cf. v. 11), ita ut in illa tribu homines iam non exsistant ; hyperbole est ab affectu vehementiore non aliena ; vel etiam cum

1. Solus *Theod. M.* eam explicat : avis instar a sententia propria post tantam meam providentiam avolarunt.

LXX concipi potest : ipsi *ex* hominibus orbati erunt i. e. soli inter homines erunt filiis orbati (cf. *Schegg*). Ad hoc malum accedit (hebr. גַּם) aliud *vae ;* vae iis, cumulus est malorum ore divino praedictus, qui indefinite prolatus ipsa sua universalitate terrorem incutit ; Deus enim est pater, protector, custos Israel eiusque petra, fulcrum, arx, locus munitas etc. uti in psalmis frequenter laudatur, quo recedente omnia corruant necesse est.

LXX habent : σάρξ μου ἐξ αὐτῶν ; legerunt בשׂרי pro בשׂורי ; *Cyr.* ad prophetam refert, qui in communi calamitate et ruina immunitatem ab ira sibi precetur : extra illos et quam longissime ab eis ego sim et omne genus meum ; sim. *Theod. M.*, sed ipse et *Theod.* duplicem lectionem exprimunt : vae eis διότι ἀφῆκα αὐτούς· σάρξ... quod additamentum *Theod.* et *Theoph.* de Incarnationis mysterio interpretantur, uti olim etiam *Lyranus, Galatinus,* aliique, quos vide apud *Rib. Sanct.* Rite vertit *Aq.* ἐκκλίναντός μου ἀπ' αὐτῶν ; sim. *Chald.* « vae eis, cum abstulero gloriam meam (schechina) ab eis » ; quare שׂוּר — סוּר ; uti aliqui codd. legunt ; sunt ex interpretibus, qui legi velint שׁוּר — dum oculos averto ab eis. Sed praestat versio *vulg. Aq. Chald.*

Dein, uti v. 10, aliud beneficium commemorat : effecerat enim Deus tribum Ephraim potentem ac florentem ; ita v. 13 « *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine, et Ephraim educet ad interfectorem filios suos* » ; — « consequenter exponit, qualis quondam fuerit Ephraim : tam pulcher, inquit, erat et sic Dei vallabatur auxilio, ut Tyrus quae mari cingitur, vel certe ut scopulus durissimus, qui fixus in terra omnes contemnit procellas et de turbinibus ventisque non curat » (*Hier.*). Tyrus potentia, opibus, splendore illustris saepius describitur cf. Is. 23, 3. 8. Ez. 27, 4 — 29.

Explica hebr. : *Ephraim, sicut destinavi eum, ut sit Tyrus plantata in fertili campo ; Tyrum* etiam *Syrus* et *Chald.* exprimunt, hic : par erat Tyro in prosperitate et abundantia ; ille : vidi Tyrum consitam aedificiis. Nomen צוֹר appellative sumi etiam posse, iam indicat *Hier.* et sequitur *Scholz ;* at prior explicatio est praeferenda [1]; *petram* quoque interpretantur *Aq. Sym. Theod. ;* LXX habent εἰς θήραν παρέστησαν τὰ τέκνα αὐτῶν, igitur legerunt, ut iam notat *Hier.* una litera mutata צוד et pro בנוה.. certe שתו לבניהם ; hanc lectionem etiam *Scholz* praefert ; qui explicat : feci Ephraim in arcem inexpugnabilem, firmiter fundatam filiis suis. *Aq.* et *Sym.* ἐν παροικίᾳ ; *Theod.* οἱ υἱοὶ αὐτῆς (cf. cod. syr. hexapl.).

Talibus igitur donis Ephraim erat insignitus — Dei erat plantatio in

---

1. d iam suadet *fem.* שְׁתוּלָה, quae forma ad Tyrum apta est cf. Is. 23, 8. Ez. 27, 2 ; non vero ad petram צוּר *mascul.* ; neque ad *Ephraim* spectat, quae vox *mascul.* h. l. adhibetur, uti elucet ex בָּנָיו ; urbem vero dici *plantatam,* idem est tropus, qui Ps. 92, 14 hebr. habetur.

campo amoeno ac fertili, opibus quasi aemula Tyri — at Ephraim ipse ruinam sibi accersit : filios suos ut interfectori tradat, sedulo incumbit, ad id quasi unice mentem intendit (cf. hebr. לְהוֹצִיא) ; sceleribus scil. mortem et vindictam sedulo sibi attrahit et Dei consilium benevolum evertit. — Vates exposuit, quid Deus fecerit et facere intenderit et quantopere populus Dei consilia reiecerit et ambabus quasi manibus interitum sibi adsciverit ; quare iam indignatione commotus ultionem Dei in tam enormia scelera imprecatur ; v. 14 « *da eis, Domine ! quid dabis eis ? da eis vulvam sine liberis et ubera arentia* » ! — haec vatis exclamatio non est quasi minorem poenam pro ipsis postulantis supplicatio, scil. quia in die calamitatis beatae sunt steriles, quae non pepererunt (*Rup.*), vel quia populo pereunte satius est carere liberis, quam filios videre intereuntes — sed vehementer indignantis est postulatio divinae vindictae, id quod etiam interrogationis figura indicatur ; nescit, quid tanto sceleri puniendo par efflagitet. Bene notat *Alb.* : « ex desiderio quaerit ; tanta est enim culpa eorum, quod nescit quid pro retributione petat ; exigentia enim culpae vincit omnem poenam » ; cf. Is. 1, 5. Ier. 18, 21-23. Poenam imprecatur sceleri v. 13 correspondentem ; « ea, inquit, plaga condemnet, sciantque se internecione delendos. Supra enim dixerat, quod si enutrissent filios, orbitatem illorum illico sustinerent ; nunc autem addidit *arida ubera* et prodigialem sterilitatem feminis ingerendam, ut populorum, quos depasta est captivitas, etiam reparatio desperetur » (*Ps. Ruf.*).

Dein malum ex longo tempore iam inolitum callum quasi obduxisse indicat v. 15 « *omnes nequitiae eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos* » ; — idololatriam in Galgal olim iam exercitam tangit cf. Iud. 3, 19; vel illos a prima terrae occupatione — Galgalis enim castrametati sunt et circumcisi et Pascha celebrarunt et ex Galgalis expeditiones bellicas susceperunt cf. Ios. 4, 19 ; 5 cp. 9, 6 ; 10, 6 etc. — infideliter iam et nequiter in Dominum egisse ; « ait igitur : omnia huius populi peccata fuerunt in Galgal, quidquid modo faciunt, non novum est, iam olim in Galgal fecerunt, antiquissima est eorum impietas et obdurata pervicacia » (*Rib.* cf. *Ps. Ruf. Rup.*)[1].

Quibus cum continuo operem dent, minatur : « *propter malitiam adinventionum eorum de domo mea eiiciam eos, non addam, ut diligam eos ; omnes principes eorum recedentes* » ; — *domum Dei* plerique terram

1. Alii praeter idololatriae locum Galgal etiam unctione Saulis esse nefastum volunt Samuele iram Dei populo nuntiante (*Hier.* cf. 1 Reg. 10, 8. 19 ; 11, 15) ; at prior explicatio praestat, neque enim regni institutio *omnes nequitias* complectitur, sed illa potius innuuntur, quae Amos 5, 25. 26. Ez. 20, 8 indicantur (*Scholz*).

promissam interpretantur (cf. *Hier. Ps. Ruf. Theod. M. Theoph. Barh. Alb. Sanct. Scholz*); aptius ad verbum *domus* explicatur familia Dei, populus Dei (cf. *Hier. Rib. Lap. Men. Tir.*) vel οἰκειότητος τῆς ἐμῆς ἐκβαλῶ *Cyr*. Cum h. l. foedus Dei non sub matrimonii symbolo neque populus quasi sponsa repraesentetur, non licet cum *Schegg* explanare, mulierem adulteram e domo expellam. *Non addam*.. cf. 1, 6; *principes*.. nota in hebr. paronomasiam cf. Is. 1, 23. Ier. 6, 28; ab iis enim origo malorum et augmentum cf. 5, 1; 7, 3 seq.; « quod utique ita posuit, non ut solos optimates lapsos in peccata signaret, sed ut de vulgi iniquitatibus dubitatio nulla remaneret, cum nec de principibus aliquis, qui non a cultu Dei recederet, exstitisset » (*Ps. Ruf.*).

Dei amore subtracto quid consequatur, addit v. 16 « *percussus est Ephraim; radix eorum exsiccata est; fructum nequaquam facient; quod etsi genuerint, interficiam amantissima uteri eorum* »; — Ephraim ut plantatio Dei (10, 1; 14, 7. Is. 5, 7; 17, 11; 27, 3-6; 60, 21; 61, 3. Ez. 19, 10) consideratur, quae ita a solis ardore (cf. Ps. 120, 6) vel verme (Ion. 4, 7) percutitur, ut arescat. Radix siccatur i.e. omnis renascentiae spes humanitus ablata est (cf. *Theod. M. Sanct.*); alii *radicem* βασιλείαν vel generatim ea quibus respublica fulcitur et nutritur, intelligunt (cf. *Theod. Hier.*); *interficiam* cf. v. 12; nota paronomasiam in hebr. inter אֶפְרַיִם et פְּרִי i. e.nomen non habebit omen. Olim tenere eos dilexit et magno desiderio amplexus est v. 10; at nunc scelestos illos *fastidit*, v. 17 « *abiiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum; et erunt vagi in nationibus* »; — foedus ea conditione initum est, ut *audiant* vocem Dei (Ex. 19, 6); ea conditione impleta « eritis mihi in peculium de cunctis populis »; ergo consequens est, ut ea neglecta abiecti sint et profugi et exsules apud omnes nationes, ita Dei maledictum palam prae se ferentes, vagi scil. et instabiles, quia firmam petram Israel reliquerunt (cf. Deut. 32, 18. 37 hebr. Ps. 18, 32 hebr.).

b) Per idololatriam omnia perdunt 10, 1-10.

Denuo beneficia praestita in memoriam revocat et quantum iis ad contemptum Dei abusi sint, reprehendit: v. 1 « *Vitis frondosa Israel, fructus adaequatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, iuxta ubertatem terrae suae exuberavit simulacris* »; — iam analogia (9, 10. 13; 11, 1) suadet, *vitem frondosam* de prosperitate et ubertate, de opibus ac divitiis esse interpretandam; idem suadet alterum membrum; quare secunda apud *S. Hier.* explanatio erit adoptanda: « vitis frondosa i. e. bonas habens propagines et flagella fructifera, multos

botros attulit, et uvarum fecunditas ramorum magnitudinem coaequavit; sed abundantiam fructuum vertit in offensae multitudinem »; Israel vinea est Domini, quam omni cura sepsit et cui plurima fertilitatis subsidia contulit; *fructus* i. e. populus revera habuit et hominum et bonorum abundantiam, ita ut viti florenti fructus corresponderet; fructus iste non in sola hominum multitudine, neque in solis bonis divinitus datis (*Cyr.*), sed in utrisque consistit (cf. *Theod. M. Theoph. Rib. Sanct.)*.

LXX hebr. בוקק vertunt εὐκληματοῦσα; *Aq.* ἔνυδρος; *Sym.* ὑλομανοῦσα, et certe *vitis luxurians* h. l. ad sensum omnino requiritur; quare בקק, alias evacuare, h. l. significatione illa accipi debet; fortasse *sese effundere* in frondes, *vim suam exserere* in propagines cum priore illa notione *evacuandi* cognatum atque consertum est. Alii *(Fürst, Scholz)* ad arabicum confugiunt. *Syrus* vertit: vitis palmitum. *Chald.* explicat: vitis vastata est Israel quae erat vitis plantata, dum legem exsequeretur — unde elucet, *Chald.* verbum infausta notione accepisse, quae tamen a contextu repudiatur. Quare reliquis veteribus versionibus est standum.

Sed bona concessa idolis referebat accepta; cf. 2, 8; 8, 4. 11; sim. Ez. 19, 17 et quo maior erat opulentia, eo maiore studio altaria exstruxit simul cum simulacris, stelis (LXX), symbolis Baal, vituli imaginibus (cf. 3 Reg. 12, 28. 2 Par. 34, 4. Ez. 8, 10-13). Dederat scil. Deus iis terram optimam, insuper florentem saepius concessit reipublicae statum (cf. 4 Reg. 13, 5; 14, 25-28). At illi neque beneficiis neque poenis intra pietatis limites continebantur; quare v. 2 « *divisum est cor eorum, nunc interibunt; ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum* »; — varie *cor divisum* accipiunt: divisum, separatum a Deo (*Ps. Ruf.*), divisum et distractum in multiplicem idololatriam, in plura ac diversa idola (*Cyr. Theod. Theod. M. Rib.*), divisum inter Deum et idola: « usquequo claudicatis in duas partes » (3 Reg. 18, 21); *Chald*: « divisum est cor eorum a lege »; eandem *divisionis* notionem efferunt LXX et *Syrus; Aq. Sym.* (cf. cod. syr. hexapl.); verum חָלַק (cf. Ps. 55, 22 hebr. — Prov. 2, 16; 7, 21; 29, 5 etc.) recentiores significatione capiunt *lubricum esse,* fallacem esse et hypocritam (cf. *Keil, Scholz*). Cordis animique malitiam et perversitatem tamquam malorum radicem assignat, quare reatum culpae et poenae incurrunt (cf. hebr. אָשַׁם 5, 15). Dominus vero *ipse* ultionem idololatriae capiet, utique per ministros suos et servos vindictae (cf. Is. 13, 2. Ez. 29, 18. 19), et idolorum impotentiam [1] ostendet. Cum iis etiam cultores concident. Tum demum cognoscent, quam inanem spem in idolis posuerint; carent enim omni

1. Hebr. יַעֲרֹף *cervicem franget*; altaria, deos omni contemptu adiciet, delebit; verbum ad *vituli* cultum apte et ironice adhibetur.

protectione ac defensione v. 3 « *quia nunc dicent : non est rex nobis; non enim timemus Dominum; et rex quid faciet nobis* » ? — i. e. non adest opitulator ullus (*Cyr.*) ; Dominum regem et regnum ab eo institutum abiecerunt et sibi ipsi et *Deum* et *regem* elegerunt ; sed haec humana subsidia evanescunt ; *regem* dicit, qui simul sit populi pastor, protector, defensor, quia apud antiquos rex et numen, cuius auctoritate et nomine gubernabat, arcto vinculo inter se colligabantur ; quare Ieroboam simul cum regno suo cultum alium induxit, et victoriae a regibus partae deo regum saepe attribuuntur.

Hac auxilii inopia resipiscere incipiunt ; nam agnoscunt eam accidisse, *quia non timuimus Dominum* (hebr.) : ita οὐκ ἐφοβήθημεν etiam LXX habent et *S. Hier.* in commentariis scribit : quia non *timuimus* Dominum verum regem ; ita legit *Haimo* et omnino legendum censet *Rib.*, eamque explicationem confirmant *Chald.* et *Syrus.* Vanum esse auxilium hominum tunc agnoscent et profitebuntur : *et rex quid faciet nobis,* habent regem (מֶלֶךְ propter paronomasiam cum מֹלֶךְ Moloch ? cf. *Schegg*), at opem ferre nullo pacto potest, est mera scil. nominis umbra ; idem valet de *numine* regni, quod coluerant. — Hac vero exclamatione propheta docet, qualis exstaturus sit excidii *fructus* : fulcra humana auferuntur, ut ad Deum unicum sospitatorem esse confugiendum discant. Unde paterna benevolentia ruinam illam a Deo iri immissum vates ostendit, Deumque castigare, ut sanet ; sola vexatio intellectum dabit (cf. Is. 28, 19).

Quid interea, antequam malo edocti sapere incipiant, molituri sint et quomodo in omnem partem se vertant ad ruinam avertendam, describit v. 4 « *loquimini verba visionis inutilis et ferietis foedus* » ; — textus vulg. pseudoprophetas respicit, qui *pacem* et victoriam annuntiant et animos erigunt et confortant ; insuper foedera inire conantur ad se tuendos, uti Osee rex contra Assyrios foedus expetiit aegyptiacum (4 Reg. 17, 4). Fortasse *S. Hier.* in sua versione προφάσεις ψευδεῖς LXX exprimere voluit ; in hebr. habetur : *loquuntur verba, iurant in vanum, ineunt foedus* [1] ; sensus est : inanes conatus exserunt, fidem datam frangunt ; iuramenta data minime reverentur ; foedere inito se tutari student. At hisce iudicii poenam sibi accersent : « *et germinabit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri* » ; — hebr. *sicut venenum ;* at certe intelliguntur zizania venenata, uti LXX ἄγρωστις etiam innuit, quam vocem *Hier.* explicat : « est genus herbae calamo simile, quae per singula genicula fruticem sursum et radicem mittit deorsum, rursusque ipsi

---

1. Proprie : *iurare inaniter, icere foedus* in infinitivo, qua loquendi forma illorum mala sedulitas depingitur.

frutices et virgulta alterius herbae seminaria sunt, atque ita in brevi tempore si non imis radicibus effodiatur, totos agros veprium similes facit. Denique etiam si sicca eius aliqua pars, dummodo geniculum habeat, super cultam terram ceciderit, omnia replet gramine » [1].

Addit *super sulcos agri*, ut zizania luxuriantia indicet, quae in terra culta uberius crescunt; eadem ubertate et abundantia illis imminebit *iudicium* i. e. poena, supplicium, sententia perditionis (cf. *Cyr. Theod. Sanct. Rib. Lap. Schegg, Scholz*). Bene notat *Theod. M.* : « iudicabit Deus facinus illorum iniquum, poenam tantam ob id eis imponens, ut efflorescat quodammodo, gravissimumque et terribile appariturum sit Dei contra hos iudicium, haud aliter quam repente nata ἄγρωστις multum statim incrementum capit ».

Iudicium quale futurum sit, accuratius delineat v. 5 in hebr. *propter vitulas Bethaven tremunt habitatores Samariae; profecto luxit super eum populus eius et sacerdotes eius super eum, contremiscunt super gloriam eius, quia migravit ab eo.* Cum Ieroboam vitulum unum collocasset in Bethel, alterum in Dan (3 Reg. 12, 28), iam veteres quaerunt, cur hic et numerus pluralis et genus fem. adhibeatur; respondent, genus fem. irrisionis causa ex contemptu poni (cf. *Hier. Mar. Men. Gord.*), alii cultum Isidis, cuius simulacrum muliebre sit bubulis praeditum cornibus, expressum cernunt (cf. *Rib. Sanct. Tir. Calm.*); numerum autem pluralem vel indefinite pro singulari poni, vel varia simulacra singulis aris apposita signari. Hoc sane non improbabiliter dicitur, nam singulis aris symbola numinis, vel stelas, vel simulacra esse imposita, v. 1 omnino innuitur. Sed cur genus fem.? *Schegg* cum veteribus ironiam agnoscit; melius *Keil, Scholz* et *Trochon* usum plur. fem. pro nominibus abstractis considerantes vituli cultum ita designari dicunt, quasi germanice dicas das Kaelberthum : vitulolatriam. Numini igitur suo *timent* (cf. *Mar. Calm.*), ita hebr. גּוּר, uti aliqua versio gr. ἐφοβήθησαν habet i. e. tremunt, nam sibi et numini interitum imminere cernunt ; ita עֶגְלוֹת esse accipiendum, etiam probat singularis *super eum*, qui statim sequitur. Populus vituli i. e. qui se vituli cultui dedit — ita eum vocat per contemptum, uti alias populus Dei audit — et sacerdotes eius luctu ac tristitia tabescent *super eum*, quia nunc omni ope se destitutos et ipsum idolum capi et a victoribus ludibrio haberi vident. Si יָגִילוּ consueta significatione servatur, quam veteres versiones exprimunt, sententia debet per modum appositionis explicari : *qui exsultabant* (cf. *Sanct. Rib. Mar. Gord.*); alii verbo contrariam vindicant notionem : prae tristitia et luctu et timore contremiscere (cf. *Keil, Scholz*) ; alii una litera mutata יחילו legi volunt (*Calm.*).

1. ראשׁ cf. Deut. 32, 32. 33, ubi *Hier.* fel, venenum vertit; Lament. 3, 5. 19. Ps. 69, 22 (hebr.) Ier. 8, 14, quibus in locis pariter *fel* legitur in vulg.

Eccli. 25, 22 legitur : *non est caput nequius super caput serpentis*; gr. v. 15 κεφαλή; sed certo interpres hebr. ראשׁ h. l. non caput, sed *venenum* vertere debuit; sed versio eius indubium est iudicium, in textu hebr. ראשׁ fuisse positum.

Secundum *vulg.* iudicium declaratur tale : v. 5 « *vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariae ; quia luxit super eum populus eius et aeditui eius super eum exsultaverunt in gloria eius, quia migravit ab eo* ». — Bethaven i. e. urbs idoli, iniquitatis pro Bethel cf. 5, 8 ; varia illa simulacra et symbola *unum* exprimere numen statim innuit, cum pergat *super eum, eius* etc [1]. Quanta veneratione (et quam stulta) numen illud aegyptiacum prosecuti sint, colligendum est ex luctu populi et sacerdotum, qui olim in vituli gloria exsultaverunt, nunc autem lugent, quia vitulus abducitur a victoribus in captivitatem ; *gloriam* dicit cum allusione ad Domini manifestationem gloriosam, quia in vituli simulacro numinis gloriam et manifestationem adoraverunt. Nunc dolent numen prostratum, deiectum et pudore suffunduntur. — Uti hebr. גיל, ita *exsultare* proprie *commotionem* dicit, quae et gaudium et dolorem indicare potest et revera secundum *Lucretium* in pectore exsultat pavor ac metus ; quare textum latinum forte explicare licebit, uti recentiores hebr. accipiunt. Populi luctus unde ortus sit et qua re contineatur, docet v. 6 « *siquidem et ipse in Assur delatus est, munus regi ultori; confusio Ephraim capiet et confundetur Israel in voluntate sua* » ; — idola a victore tamquam trophaea abducebantur [2], eo magis, si auro vel argento obtecta erant (cf. Is. 46, 1. Amos 1, 15). Hebr. לְאַשּׁוּר ad Assur i. e. ad deum Assur adductus est vitulus (cf. *Scholz*) et tamquam vectigal et tributum ministro huius numinis : regi Iareb (cf. 5, 13) est oblatus. Huius idoli confusionis etiam populus particeps erit ; Ephraim et Israel, tribum potentissimam et regiam et integrum populum nominat, ut quia culpa erat universalis, etiam omnes poenas esse luituros innuat ; *voluntas* vel hebr. *consilium* eius est idololatria, quam regibus praeeuntibus sibi delegerat (cf. *Cyr. Mar. Lap. Men. Tir. Trochon*), non spes in auxilio regum Assur vel Aegypti posita (*Calm. Schegg*).

Hunc idoli interitum simul cum urbe regia denuo inculcat v. 7 « *transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam super faciem aquae* » ; — quid fragilius, magis inane quam spuma? « unde in rerum maxime instabilium et fugientium amplificationem adducitur Sap. 5, 15 de spe impii : tamquam spuma gracilis, quae a vento dispergitur » (*Sanct.*) ; regem i. e. vitulum (*Sanct. Calm.*) celerrime et facillime perire et evanescere dicit sine ulla resistendi vi, esse evanidum prorsus et nihil (cf. *Hier.*).

Hebr. ita : *excisa est Samaria ; rex eius ut festuca (spuma?) super aquam* ; notat *S. Hier.* : « pro *spuma*, quam LXX et *Theod.* φρύγανον i. e. *cremium* transtulerunt,

---

1. Uti iam notat *S. Hier.* : « ut ostenderet vaccas Bethaven unum in Bethel vitulum sentiendum, non intulit, luxit super eis populus, sed *super eo* i. e. vitulo aureo ».
2. Cf. Layard's Bericht über die Ausgrabungen in Ninive p. 170 et fig. 81.

aridas scil. herbas siccaque virgulta quae camino et incendio praeparantur, *Sym.* posuit ἐπίζεμα [1] volens ostendere ferventis ollae superiores aquas et in spumam bullasque assurgentes »; *spumam* etiam *Chald.* exprimit, *Syrus* festucam (cf. Matth. 7, 3. 4. 5. Luc. 6, 41. 42) et hanc notionem simul cum LXX etiam recentiores voci קֶצֶף attribuunt; idque recte, cum ad notionem קָצַף *frangere*, *discerpere* ramos vel sarmenta proxime accedat. LXX habent: ἀπέῤῥιψεν Σαμάρεια τὸν βασιλέα αὐτῶν; legerunt רמה vel רמתה et eandem lectionem etiam *S. Hier.* ob oculos habuisse videtur; est enim רָמָה abiicere, prosternere, proiicere. — Apte vero vitulus *festucae* comparatur, quia simulacrum ligneum auro obductum erat cf. Ex. 32, 20. Aurum victoribus cessit; simulacrum in numinis ignominiam fortasse combustum est; Aaron cineres vituli contriti in aquam sparsit; unde optime: *rex quasi festuca super aquam*. Idem innuit spuma.

Simul cum idolo et arae delubraque vastantur et cultores malorum magnitudine ad desperationem et insaniam adiguntur; v. 8 « *et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israel; lappa et tribulus ascendet super aras eorum; et dicent montibus: operite nos! et collibus: cadite super nos* »! — Hebr. *excelsa Aven*, certe cum allusione ad Bethaven — Bethel; cf. 5, 8 [2]. Bene cum emphasi haec idololatria *peccatum* Israel dicitur, unum illud, ex quo reliqua omnia et tota calamitatum proluvies profluxerunt. Ad Dei vindictam pertinet, ut regiones ipsae, quae cultu illo pollutae erant, maledicto et vastitate percutiantur, quo magis habitu etiam externo horrorem scelerum prae se ferant. Etiam hac in re cernitur nexus qui est inter hominis culpam et rerum naturam (cf. Gen. 3, 18. Rom. 8, 19-21). *Lappa et tribulus* (cf. Gen. 3, 18 vertit *Hier.* spinas et tribulos) i. e. « signum ultimae solitudinis, ut ne parietes quidem et extrema aedificiorum vestigia relinquantur » (*Hier.*). Et cultores vituli tanto horrore et stupore oppletum iri dicit, ut montibus obrui mallent, quam illa subire supplicia, quae imminent. Bene explicat *Sanct.*: « proverbialis forma est, qua in summo dolore vel desperatione utuntur homines, quos dura vexat et agitat fortuna, quasi optent statum illum infelicem cum gravi ruina, cum ipsa sepultura et morte commutare »; sim. *Cyr. Theod. Hier. Calm. Trochon*; unde eiulatio est extremae miseriae cf. Luc. 23, 30. Ap. 6, 16 et ad ultimam ruinam eamque irreparabilem apta prolusio. Qualia enim et quanta erunt ipsa supplicia, si illorum suspicio iam et appropinquatio talem incutit horrorem, ut eorum aspectum montis ruina quis effugere exoptet?

Populi excidium, quod modo depinxerat, nova ratione fulcit et illustrat: *inveterata* scil. populi iniquitate, quae Dei vindictam et iram ita

1. In cod. syr. hexapl. haec interpretatio sub nomine *Aq.* affertur.
2. LXX βωμοὶ Ὢν, i. e. אוֹן Heliopolis, pro אָוֶן.

accendit, ut demum magna cum voluptate eos puniat: v. 9 « *ex diebus Gabaa peccavit Israel; ibi steterunt; non comprehendet eos in Gabaa proelium super filios iniquitatis* »? — cf. 9, 9; simili sceleri operam dederunt constanter (cf. *Rib. Lap. Calm.*) *ibi*, in ea mentis animique iniquitate perseverarunt, pertinaci voluntate in peccato remanserunt (*Alb.*), in idololatria immobiles perstiterunt aeque ac Gabaitae in defensione stupri (*Lap.*).

Quod sequitur *non comprehendet* . . . plerique explicant : non tale supplicium, quod Gabaitas, verum *durius* illos comprehendet; Gabaitae enim, licet tandem victi sint, tamen antea bis vicerunt et multum sanguinem hostium fuderunt atque ita quodammodo laeti et necem suam ulti ceciderunt (*Rib.*), et bello illo una solum tribus est castigata, neque sedibus expulsa, neque deleta, verum mox in statum pristinum restituta (*Calm.*); iam in Israelitas acerbius fore supplicium (cf. *Sanct. Lap. Schegg*). Attamen in hac explicatione ea, quae rem constituunt, *suppleri* debent, res in interpretatione satis dura! Quare omnino praeplacet, quod iam *Alb.* indicat: « *nonne* comprehendere debet, ut nusquam effugere possint, tantos peccatores proelium simile gabaonitico, quod inquam proelium fuit Gabaonitis conterendis et delendis, h. e. ut deleantur, sicut et illi deleti sunt? quasi dicat, sic debet »; sim. *Scholz* explicat. Est igitur interrogatio indignantis: tanta peccarunt, et impunitatem exspectant? vel poena non corripientur? quo quid absurdius fingi potest?

E contra Deus indignationem suam professus iam laetari dicitur et se quasi satiare eorum supplicio v. 10 « *iuxta desiderium meum corripiam eos; congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates suas* »; — hebr. *in desiderio meo*, in voluptate mea; cf. Deut. 28, 63: « sicut ante laetatus est Dominus super vos bene vobis faciens, sic laetabitur dispergens vos atque subvertens »; Is. 1, 24. Ez. 5, 13. Prov. 1, 26. Divina scil. iustitia ita est provocata et irritata, ut demum iustam vindictam maximopere exoptet eamque inferre gestiat. Hoc schemate ingens poena adumbratur. Eam gentes congregatae contra Israel exsequentur. Quae sint *duae* iniquitates, varie exponunt: honorare perniciosos pseudoprophetas et detestari salutares ministros (*Ps. Ruf.*), duos vitulos in Bethel et Dan, vel « quia primum peccaverunt in idolis Michae, secundo in idolis Ieroboam » (*Hier.*), vel « Dei per idololatriam dimissionem et regni David per assumptionem Ieroboam relictionem » (*Alb.*), vel libidinem et idololatriam (*Sanct.*); plerique tamen id intelligunt, quod apud Ier. 2, 13 Deus dicit: « duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vitae et foderunt sibi cisternas » (etiam *Hier. Cyr. Theod. Rib. Calm. Schegg*) [1].

---

1. Unus *Scholz* in duplici numero *auxesim* quandam loquendi cerni vult, uti sim. apud

Hebr. kethib עינתם sensu caret; nam quid sibi vult: dum eos castigo *ante duos eorum oculos?* vel quod habet *Chald.* secundum unam lectionem: sicut iugum firmatur ad duos (bovis) oculos, vel secundum alteram: sicut ligatur iugum ad duos sulcos (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 206. 255)? Reliquae versiones, LXX, *Syrus*, *Hier.* exprimunt hebr. *qeri* עונותם ἀδικίας, stultitias, iniquitates (ab עֹנָה vel — עוֹנוֹת?). — Hebr. proprie habet: *dum eos ligem ad duas eorum iniquitates* (cf. Is. 5, 18), quas scil. sicut onus trahere debent i. e. poenas subire. LXX, *Syrus*, *Hier.* verbum אסר — יסר interpretati sunt.

c) Poenis praeparatur resipiscentia 10, 11-15.

Ephraim ad iniquitates tamquam ad plaustrum vel onus alligari modo in hebr. dixerat; fortasse inde ad eam comparationem delabitur, quam nunc inducit: Ephraim esse edoctum quidem de iugo Domini, at luxurie et voluptate diffluere, quare esse humiliandum; v. 11 « *Ephraim vitula docta diligere trituram*; *et ego transivi super pulchritudinem colli eius, ascendam super Ephraim* »; — in hebr. *vitula docta, amans triturare* i. e. a Domino lege instituta, de iugo et servitute edocta et variis experimentis ad serviendum educata; at aream amat et tritutare, quia « non alligabis os bovi trituranti » (Deut. 25, 4); « vitula terere maluit fruges in area quam arare, quia in area pinguescit, dum abundat pabulo et levior est labor, in subigenda vero terra vomere labor est gravis et parca atque imparata commoditas » (*Sanct.*); « in Palaestina enim grana excutiunt non homines ligneis flagellis, uti faciunt Germani et Galli, sed boves et vaccae, sive pedibus et ungulis segetem calcando, sive, ut ait *Hier.*, ferreos orbes super acervum segetum trahendo » (*Lap.*), quo in opere ad lubitum pabulum carpere licuit, quare id genus laboris Ephraim amat (sim. *Haimo*, *Rib. Lap.*). Vitulae comparatur, quia vitulum colit (*Rup. Lap.*). Incrassata est vitula in area, habet collum admodum pingue; quare minatur Dominus: ego vero venio puniens; tumentes cervicum toros iniecto iugo et freno edomabo (*Hier. Tir. Sa*), colla hactenus superba defringam (*Ps. Ruf.*), contumax collum edomabo (*Theod.*); *ascendam super Ephraim* i. e. subiugabo (*Sa, Lap.*), *ascendet*, non utique quasi eques, sed « quia alligabit vitulam plaustro et quasi auriga ascendet et inde exagitabit aculeis, ut stimulis compungatur et lassetur onere plaustrali » (*Sanct.*).

Hebr. רכב hiph. explicant vel alligare ad plaustrum vel aratrum *(Keil)*, vel ei rectorem *(sessorem)* imponere, ei frena iniicere (cf. *Schegg)*, vel libere et pro arbitrio dominari in eum (cf. *Scholz)*; quae proxime inest verbo significatio *inequitandi, im-*

Amos in numero triplici et quadruplici (1, 3. 6. 9 etc.), vel in duplici apud Is. 40, 2. Ier. 16, 18; 17, 18.

ponendi super.. (cf. Ex. 4, 20. Deut. 32, 13. Esth. 6, 9. 11), h. l. non est apta, « quia minus apte ephippium et equitatio in bovem conveniunt » *(Sanct.)*; ceterum cf. Ps. 66, 12 hebr. Is. 58, 14. LXX ἐπιβιβῶ Ἐφραίμ, vel τῷ E. uti *Theod. Theod. M.* habent. Initium versus legitur δεδιδαγμένη ἀγαπᾶν νῖκος diligere *victoriam*; ita apud *Cyr.* idque indubie, quia explicat per verbum τὸ νικᾶν; haec lectio facile ex hebr. fluit, quia *triturare* de hostium oppressione dicitur (cf. Mich. 4, 13); apud plerosque tamen legitur νεῖκος *contentio*, uti iam S. Hier. refert, et apud *Theod. Theod. M.* et in editionibus plerisque. Suspicio tamen mihi est νεῖκος scriptum esse pro νῖκος, quippe quod magis ad hebr. accedat. Nam *triturare* veteres versiones praebent, *arare* apud *Chald.* non adeo discrepat. Atque νῖκος, victoria exprimitur in versione coptica (ed. *Tattam*) et in arabica quoque et forte confirmatur cod. syr. hexapl. qui praebet, eandem vocem quae Am. 1, 11 exprimit νῖκος τῶν LXX. Vi itacismi potius νικος scribi pro νεικος exspectaveris; at cur non etiam vice versa? In sequenti membro LXX vertunt παρασιωπήσομαι Ἰούδαν; rationem iam affert *Hier.* cf. הַחֲרִישׁ tacere etc. pro ἐνισχύσει Ἰακώβ cf. שַׁדַּי *potens*, שָׁדַד esse potentem (?).

Dixit Deus, se domiturum Ephraim. At continuo subdit, molestiam illam et laborem populo saluti fore: « *arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob* »; — *durus* est labor arandi, at utilitatem et fructum spectat; item sulci confringuntur, quo semina magis meliusque foveantur, proficiant; *sibi* i. e. in suum denique commodum *Iacob* i. e. 12 tribus (*Hier.*) hunc laborem sustinebunt; *Iudae* fit mentio, uti supra, quia Iudas sceleris israelitici particeps poenae quoque socius erit eique potissimum redemptio et salus continget.

Iam ipse explicat, quid *arare* sibi velit et ad quem fructum dirigatur: v. 12 « *seminate vobis in iustitia et metite in ore misericordiae, innovate vobis novale; tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iustitiam* »; — ut sementem feceris, ita et metes; eos adhortatur, ut seminent sibi *ad iustitiam* (hebr.), ut opera iusta, pia, sancta, Deo placita serant; deinde metent *in ore* — לְפִי i. e. *secundum rationem* [1] (cf. *Lap. Sa*) misericordiae et pietatis praestitae et exercitae; חֶסֶד cf. 6, 4 est illorum in Deum amor, pietas, fides. Duro igitur labore a Deo prementur (« quod coeperint aratris glebas frangere terramque comminuere ») « ut emollita recipiat sementem et fecunda post modicum seges pullulet » (*Hier.*). Alter imperativus *metite* — in hebr., graeco sine particula *et*, prout congruum est sermoni vivaciori — vim futuri habens enuntiat; quid ex semine bono necessario et per se consequatur. Sed ut ad talem sementem perveniant, monet *innovate*.. « quantum ad literam, novale est ager, cum primum perscissus vomere fuerit; dicit: novum facite cor vestrum » (*Haimo*); monet scil. ea locutione, ut totum animorum habitum renovent, immutent; a veteri consuetudine recedant et aliam prorsus ac

---

1. Cf. Gen. 47, 12. Ex. 12, 4; 16, 16. 18. Lev. 25, 16 etc.

novam vitam degere incipiant; quod quomodo faciendum sit, docet *et tempus (est) ad requirendum Dominum* (hebr.) i. e. nunc tale est tempus, ut eum requirant, « dum adhuc inveniri potest » (cf. Is. 55, 6. *Alb. Sanct. Lap.*), uti *Theod.* legit : ὡς ἔτι καιρὸς, ἐκζητήσατε τὸν Κύριον, et *Theod. M.* explanat : « dum tempus habetis, veritatis scientiam acquirite ; ante punitionis tempus, quantum fieri poterit, poenitentia redimite malorum perpessionem ».

Ut ad hanc poenitentiam et ad Dei conversionem eos stimulet, docet, eos non frustra inquisituros Dominum, simulque ad fructum et terminum salutiferum amandat : *donec veniat et doceat vos iustitiam* (hebr.) [1] i. e. exspectationem proponit, ipsum Dominum venturum et novam illam iustitiae vitam homines edocturum et iis largiturum. Tali spe roborati et accensi, ut Domino iam nunc corda aperiant, exhortatur, ostendens ad quem tandem exitum gloriosum res pro divina providentia adduci debeat ; Dominum enim suum ad eos adventum promittere. Verba promissiones respicere de Messia eiusque doctrina et regno iustitiae, satis in aperto est (cf. 2, 18 et seq. 3, 5) ; Messiam doctorem iustitiae praeclare describit Is. 11, 3. 4. 9 ; 42, 4 ; 49, 1 et seq. 51, 4. Mich. 4, 2 etc.

Sunt, qui vertant : *donec veniat et pluat vobis iustitiam* (cf. *Keil, Scholz*) ; at *docendi* notionem cum *S. Hier.* etiam *Syrus* exprimit ; idque recte ; nam הוֹרָה hiph. a יָרָה ea significatione pervulgatum est ; cf. Deut. 33, 10. Is. 9, 14 (hebr.) : Ps. 27, 11 ; 86, 11. Iob 6, 24. Hab. 2, 19 etc. — neque opus est יוֹרֶה 6, 3 et al. in subsidium vocare.

LXX vertunt pro *innovate* ... φωτίσατε ἑαυτοῖς φῶς γνώσεως ; explicant scil. נִיר נר *lucernam*, cf. 1 Reg. 11, 36 ; 15, 4 ; 2 Reg. 8, 19 etc. et נור *ignem*, cf. Dan. 3, 6. 11. 15. 17 ; 7, 9 ; eodem modo Syrus : *accendite vobis lucernam*. At Ier. 4, 3 ostendit, ita esse vertendum, uti vertit *S. Hier.* et recentiores : *novate novale*.

Quantopere eousque neglexerint requirere Dominum et quid inde receperint, proponit v. 13 « *arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii ; quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum* » ; — i. e. omni studio et labore impietati operam dederunt et scelera veluti largam messem collegerunt ; sed etiam fructum peccatorum, infidelitatis, apostasiae (i. e. *mendacii* cf. 4, 2 ; 7, 3) gustarunt, i. e. variis iam poenis a Deo castigati sunt. Et cur ita a Domino ha-

1. Hunc sensum, qui omnino adest in hebr., *S. Hier.* sua versione non adeo distincte profert, cum vertat et explanet tempus esse Dominum requirendi, *cum venerit* Christus atque Salvator. At textus hebr. optime se habet h. l. et LXX, *Syrum* habet consentientes. *Chald.* rem circumlocutione exhibet : « ecce omni tempore prophetae dicunt vobis : revertite ad timorem Domini ; nunc revelabitur et afferet iustitias (virtutes) vobis ».

biti sint, duplicem affert rationem, quia fiduciam suam posuerunt in suis consiliis et viis [1], in iis, quae ipsi sibi auxilio fore putabant, i. e. in idololatria; haec est enim via, quam per se ingressus est populus (cf. *Hier. Alb. Rib. Lap. Scholz*), et quia viribus, fortitudine, prudentia bellica ducum ac principum gloriabundi innixi sunt. Ephraim erat tribus numero et bellico impetu praestans (cf. Gen. 49, 22—26. Num. 1, 33. Ios. 17, 14). Hanc fiduciam Deus confundet. Cum sequens sententia pergat in enallage personae, quae iam v. 13 *quia confisus es* incipitur, in transitu scil. a plurali ad singularem numerum, commode iungi potest altera pars v. 13 cum v. 14 « *consurget tumultus in populo tuo et omnes munitiones tuae vastabuntur, sicut vastatus est Salmana a domo eius qui iudicavit Baal in die proelii, matre super filios allisa* » ; — per id punientur, per quod in superbiam elati sunt; bellica virtute gloriati bellico tumulto qui exoriturus est « in populos tuos » (hebr.) conturbabuntur; arcibus ac munitionibus confisi sunt — istae destruentur; *sicut* etc. textus *vulg*. ex interpretatione *S. Hier*. alludit ad rem narratam Iud. 8, 10; *domus eius qui iudicavit* (*S. Hier*. vindicavit) *Baal* est domus Gedeon cf. Iud. 6, 25 et seq.; « haud dubium, quin Gedeonem significet, qui ex eo quod destruxit fanum Baal, lucumque succidit, et ille se vindicare non potuit, cognomentum *Ierobaal* sortitus est i. e. *ulciscatur se Baal;* ut quomodo Salmana interfecit filios coram matribus suis, ipsis quoque matribus deinceps interfectis, sic et filii tui, o Ephraim, te praesente interficiantur, qui et ipse trucidandus es » (*Hier*).

Verum in posteriore hac parte fere sequitur explanatio textum graecum, ὡς ἄρχων Σαλαμὰν . . . ἐν ἡμέραις πολέμου μητέρα ἐπὶ τέκνοις ἠδάφισαν ; versio ipsa *S. Hier*. certe respicit caedem Salmana a Gedeon factam Iud. 8, 21 ; Ps. 82, 12. 13, uti postmodum etiam *S. Hier*. explicat. Ita vero vertit textum hebr., quia, uti dicit, *Arbel* בֵּית אַרְבֵאל idipsum significare censuit quod et *Ierobaal*. Sed textus hebr. ita habet : *sicut vastavit Schalman Beth-Arbel in die belli*; quis esset *Schalman* [2], quale oppidum Beth-Arbel, diu dubium erat. Plerique vel de Salmana (Iud. 8) explicant — verum nomen non quadrat, est enim ille צלמנע — vel nomen abbreviatum censent pro Salmanassar (id quod *Vigouroux* non improbabile censet; cf. La Bible et les découvertes mod. 3 ed. IV p. 62). Certe propheta loquitur de re eo tempore nota. Aliquid lucis inscriptiones cuneiformes afferre videntur; fit enim in rebus a Teglathphalasar gestis mentio regis cuiusdam Moabitarum, cui nomen *Salamanu*, quod nomen mirifice cum nostro coincidit;

---

1. Textus *mas*. habet numerum singularem. At rite pluralem effert codex babylonicus, cui consentiunt 6 alii apud de Rossi, et LXX, *Syrus, Chald*.

2. Textus graecus satis variat : Σαλμάν, Σαλμανά, Σαλαμά. *Cyr*. Σαλμανάκ ; dein ἐκ τοῦ οἴκου Ἱεροβαάλ (*Cyr.*); alii Ἱεροβοάμ ut iam notat *S. Hier.*; ἐν τῷ οἴκῳ Ἀρβεήλ (*Theod. Theod. M.*). Alia congessit Middeldorpf in cod. syr. hexapl. p. 518.

probabile igitur fit, regem hunc Moabitarum occupasse et vastasse crudelem in modum Beth-Arbel vel Arbela. Duo sunt oppida eius nominis ; alterum in Galilaea (cf. 1 Mach. 9, 2) inter Sepphorim et Tiberiadem sita ; alterum trans Iordanem in finibus Pellae (cf. *Scholz*). Haec vastatio recenter facta omnibus erat horrori ; ita modus loquendi facile fluit, et cur Salman Moabitae nullam honoris significationem deferat, explicatur (cf. *Schrader*, Keilinschriften und A. T. 2 ed. p. 441). Unde verum suspicatus est *Rib.* scribens, historiam designari « in scripturis non expositam, sed illo prophetae tempore notissimam, cuiusdam Salman armis ac bello potentis, qui Arbel expugnavit ibique nulli aetati pepercit, sed filios coram matribus ac ipsas deinde matres saxis ac muris collisas crudeliter interfecit ».

Eandem miseriam et poenam illis iam esse praeparatam propter idololatriam, certo praedicit v. 15 « *sic fecit vobis Bethel a facie malitiae nequitiarum vestrarum* » ; — i. e. cultus vituli in Bethel exercitus iam vos vastationi et hostium crudelitati et caedi consecratos et traditos ostendit ; *sic fecit* magis nervosum est, quam οὕτως ποιήσω ὑμῖν (LXX) ; hebr. *a facie malitiae malitiae vestrae* i. e. summae malitiae, malitiae, quae sit ex malitia, proinde ex animo oriatur plane corrupto.

Concludit minas, totius reipublicae interitum in uno regis excidio complectens et repraesentans ; nam quae in *vulg.* ad caput sequens trahuntur, hoc loco poni debent : « *sicut mane transit, pertransiit rex Israel* » ; — i. e. uti aurora (in regionibus orientalibus) cito evanescit, ita celeriter et facile rex Israel *exscinditur* (hebr. cf. v. 7). In textu *mas.* בַּשַּׁחַר *in aurora* ; ita etiam LXX ὄρθρου et Syrus ; at particula כ quam vulg. exprimit et quam aliqui etiam codices hebraei ferunt (cf. *de Rossi*), videtur praeferenda ; unde proprie verte : *sicut aurora excisione exscinditur rex Israel* : subito perit nullo vestigio relicto. Repetit cum emphasi, quod v. 7 dixerat et a quo fere sermonem inchoaverat 9, 11 ; cf. 13, 3. Notat *S. Hier.* : « diversis figuris eundem explicat sensum ; qui supra dixerat v. 7 ... nunc eandem rem sub alia ponit similitudine ; sicut enim ortus aurorae et diluculum et principium diei, quod appellatur mane, inter noctis solisque viciniam transit celeriter, sic rex Israel velociter transiet ».

II. — SECUNDA ANNUNTIATIO CAP. 11

ARG. — Pergit res israeliticas illustrare ex tempore anteacto et beneficiis a Deo acceptis : eduxit eos ex Aegypto et monitionibus prophetarum erudivit ; illi vero idolis adhaeserunt ; suavi providentia et cura eos fovit, illi ingrati eum nescierunt ; omni amore eos circumdedit iisque praesto fuit in rerum angustiis — at nunc rebelles exsilio et gladio mulctabuntur, neque, qua sunt impoenitentia, poena avertetur (11, 1-7). Sed fieri ne-

quit, ut Israel funditus pereat, Deus enim miserator est et servator et ideo dispersos colliget ; sibique novum coetum Deo obsequentem constituet (11, 8-12).

a) **Praeclara beneficia spreverunt 11, 1-7.**

Orationis nexum et vim bene declarat *Ps. Ruf.* : « contextio explanationis vim censoris ostendit, qui praeteritae nobilitatis ad hoc inferat mentionem, ut eos graviter urat, quos degenerasse conqueritur. Enumeratis ergo criminibus denuntiatisque suppliciis intulit subito memoriam praeteritae dignitatis, ac si diceret : en dolor, en lacrimae ! et quod hoc genus hominum est, quod sub tanta vilitate censetur ? Post quae veluti suscepta responsione proclamat » : v. 1 « *Quia puer Israel et dilexi eum et ex Aegypto vocavi filium meum* » ; — primam populi electi aetatem designat, dum in Aegypto degeret et in populum excresceret (*Theod. M.*) ; sim. Ier. 2, 2. Ez. 16, 7.

כי — *dum* (quando), *quia* ; priore significatione explicat *S. Hier.* : « dum, inquit, esset puer et parvulus et captus in Aegypto teneretur, in tantum eum dilexi, ut mitterem servum meum Moysen . . . » et consentit *Syrus* (כד), dum *chald.* ארי etiam ut hebr. כי utramque in se significationem complectitur ; *temporalem* praeferunt *Sa' Mar. Tir.*, dum LXX, *Aq. Sym. Theod.* vertunt ὅτι παῖς, vel ὅτι νήπιος ; et revera utraque significatio, uti in germanico *da*, potius in unam coalescit.

Israel dilectus a Deo, *quando* erat in Aegypto parvulus, et *quia* erat quasi puer « sui impos, se regere impotens, neglectus ab omnibus, ab Aegyptiis oppressus et neci destinatus opisque indigus, . . solet enim puerorum parvitas, imbecillitas et pericula matres allicere ad eorum amorem et curam » *(Lap.)*. Idque potissimum, quia « de sanctorum stirpe descendens, in ipsis mihi consecratus fuerat exordiis et inter tot gentes toto orbe dispersas, unus populus qui Israel vocaretur, electus est, cuius merita affectione praeveniens meum puerum, meum, inquam, filium nuncupavi » (*Ps. Ruf.*). Verba alludunt ad Ex. 4, 22 : « filius meus primogenitus Israel, dimitte filium meum » ; cf. Deut. 32, 6. Is. 1, 2 ; a servitute eos liberavit et dignitate theocratica insignivit : « vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta, ... in peculium de cunctis populis » (Ex. 19, 5. 6). Paucis plurima complexus, quid Deus pro populo fecerit, inculcat ; neque unquam continuam illorum curam dimisit, dum eos per prophetas doceret et assiduo ad se cultumque suum vocaret v. 2.

Ex Aegypto vocavi filium meum (LXX τὰ τέκνα ; sim. *Chald.*, dum hebr. *Aq. Sym. Theod.* singularem numerum rite exhibent), quia « Israel singulariter qui-

dem dicitur, sed pluraliter intelligitur » *(Hier.)*. Verum cum totum vetus testamentum ex Dei ordinatione *umbra* sit corporis venturi, i. e. Christi (cf. Col. 2, 17) et proinde ita sit constitutum, ut revera adumbratis lineamentis Christum referret et in figura et umbra repraesentaret eum, qui populi pars et propago nobilissima (cf. *Lap. Tir.*) futurus erat, via sternitur ad intelligendam S. Matthaei argumentationem 2, 15, Christum fuisse in Aegypto, indeque esse vocatum, *ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem* : *ex Aegypto vocavi filium meum*. Deus enim tempora messianica delineat et praedicit vel conceptis verbis vel ipso cursu rerum, quae sint adumbrationes, figurae, typi rerum futurarum. Nam, uti bene notat *S. Thomas* (Quodlib. VII. qu. 6 art. 16) : « sicut enim homo potest adhibere ad aliquid significandum aliquas voces vel aliquas similitudines fictas, ita Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suae providentiae subiectarum... spiritualis sensus s. Scripturae accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in cursu suo, ut ex iis talis sensus possit accipi, quod eius solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est ». Idque eo magis congruum esse videtur, quia vetus testamentum foedus Dei et praeparatio quaedam est et prima quasi delineatio regni Dei, quod constituturus erat per Christum in universis gentibus ; sane igitur decuit, ut initia foederis iam repraesentarent quasi in germine et inchoata quadam conformatione foedus illud sublime et aeternum, ut regni praeparatio et prima delineatio iam exhiberet potissima illa lineamenta, quibus regnum illud constare demum debuit. Ita consilii divini unitas, providentiae maiestas, potentiae sublimitas egregie illustratur. [1] — Quae vero intercedat inter populum Israel vocatum ex Aegypto et puerum Iesum rerum similitudo, vide apud *Rib. Sanct.*, vel etiam accuratius et plenius apud *Frassen* (Disquisit. bibl. IV 6 n. 10. ed. 2 ; Lucae 1769 ; I p. 397).

Populum, quem Deus in filium adoptaverat, continua cura et institutione circumdedit et fovit ; sed quid populus rependit ? v. 2 « *vocaverunt eos, sic abierunt a facie eorum ; Baalim immolabant et simulacris sacrificabant* » ; — vocationem illam et invitationem Deus per tempora subsequentia populo sine ulla interruptione *per seriem prophetarum* promulgavit ; *vocaverunt,* non tantum Moyses et Aaron (*Alb. Sanct. Rib.*), verum ii, qui serie non interrupta Dei mandata continuo ad populum deferebant, *prophetae* (cf. *Sa, Mar. Lap.*) [2].

At Israel vocem Dei sprevit. Bene *Chald.* : « misi prophetas meos ad eos docendos ; illi autem a conspectu eorum vagati sunt » ; *sic abierunt* ;

---

1. Frustra increpat h. l. *Scholz* veteres interpretes, quod *typum*, *allegoriam* viderint. Nam ipsa explicatio, quam suggerit, eadem est quam veteres typicam vel allegoricam vocant ; cf. *S. Thom.* l. c. et quae scripsi ad Is. 2, 1 - 5. Vide etiam *Cornely*, Introd. I p. 530 seq.

2. Uti quoque innuitur Ier. 7, 25 ; 11, 7 ; 25, 4 ; 26, 5 ; 29, 19 ; 35, 14 ; 44, 4. Amos 2, 11. Zach. 1, 4. 4 Reg. 17, 13 et supra Os. 6, 5.

plerique similitudinis notam in priore membro supplent; ita LXX καθὼς μετεκαλέσατο αὐτοὺς, οὕτως ἀπῴχοντο, « resiluerunt sic, quomodo vocati sunt i. e. secundum universam multitudinem et secundum tribus, totum genus, totae familiae; sic enim quondam de Aegypto exierunt » (*Cyr. Theoph.*); ita *Syrus;* ita *Rib. Sanct. Schegg, Keil;* at particula כֵּן id non exigit, cum saepius sine comparatione instituta vim sententiae augeat et affirmet (uti אָכֵן), vel oppositum quoddam ad antecedentia cum emphasi efferat; cf. Ps. 61, 9; 63, 3 (hebr.). Prov. 11, 19; 28, 2. Ps. 48, 6; 90, 12 (hebr.); *abierunt* i. e. animo et mente ab iis, qui vocarunt et monuerunt, recesserunt, terga iis verterunt cum comtemptu, suam scil. libidinem et cupiditatem sequentes, et ad quid *abierint,* addit, ad idololatriam scil., cui iam in deserto operam dabant et quam semper adeo perfracte retinuerunt (cf. 4 Reg. 17, 8. Ez. 16, 15; 20, 8. Amos 5, 25. 26); *Baalim,* varios modos innuit, quibus Baal nominabatur et colebatur (cf. Iud. 2, 11. 1 Sam. 7, 4. 1 Reg. 18, 18) *et simulacris thura adolebant* (hebr.) i. e. statuis et symbolis, quibus Baal et Astarte repraesentabantur.

Et tamen Deus tenera cura et sollicitudine eos prosequebatur v. 3 « *et ego quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis; et nescierunt, quod curarem eos* »; — cf. Deut. 1, 31; 32, 11. Is. 40, 11; 46, 3. 4; 63, 9; hebr. תִּרְגַּלְתִּי [1] (a רָגַל), ambulare facere, conducere, gressus dirigere, quod quia nutricis est, *S. Hier.* genus posuit universum pro actione singulari [2], *Syrus* et *Chald.* notionem *ducendi* exprimunt; e. g. hic: « et ego per angelum missum a facie mea deduxi Israel per viam rectam... »; neque solum ductor viae fuit, verum lassos et fatigatos sinu et brachiis exceptos portabat, [3] uti pater portat et sinu fovet parvulum filium suum; hoc symbolo tenerrimam curam, sollicitam custodiam, insignem protectionem, maxima beneficia, paternam dilectionem et maternam prorsus teneritudinem depingit. At quid illi retribuere solebant? *nescierunt* i. e. tot ac tantis potentiae divinae et benignitatis documen-

---

1. Forma ex chaldaico deprompta, pro ה hebraico, quam grammatici *tiphel* vel *taphel* vocant, uti Syri *schaphel* et sim.

2. Vel formam quandam a verbo גָּדַל legit; priorem lectionem commendant LXX συνεπόδισα, quam vocem de nutrice explicant, quae infantis pedes complexa infantem portet (cf. *Theoph.*); alii vero de dispersorum collectione (*Theod. M.*); *Cyr.* praeter illam explanationem etiam adnotat, Hebraeorum aliorumque editionem habere: γέγονεν ὡς τιθηνὸς τῷ Ἐφραΐμ.

3. Textus mas. exprimit 3. personam: portabat eos קָחָם super brachia sua — at certe dura est haec mutatio, quia prima persona immediate et praecedit et sequitur; insuper primam personam exprimunt LXX, *Syrus, vulg. Chald.*; quare certe correctione indiget textus *mas.*; aliqui codices legunt saltem *brachia mea* (cf. de Rossi).

tis non sunt eruditi, non perceperunt et intellexerunt, Dominum esse solum servatorem et medicum Israel (cf. 6, 1), cum tamquam talem noluerunt agnoscere, colere, venerari, sed eum neglexerunt, abiecerunt; nam hoc est *nescire* Dominum. Vim sententiae perpendit *Sanct.* : « omnem sensum omnino exuisse videtur ille, qui cum alterius gestetur in sinu, qui illi de cibo opportuno ac delicato provideat, ignoret tamen, unde tam promptum habeat alimentum. Nescire vero dicitur aliquis, qui licet ingenio sit acuto et quid erga se fiat, probe cognoscat, nihil tamen refert officii ac gratiae ». Curam hanc per longa saecula populo ingrato impensam et beneficentiae suae conatus repetitos delineat ulterius v. 4 « *in funiculis Adam traham* [1] *eos, in vinculis charitatis et ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum; et declinavi ad eum ut vesceretur* » ; — אָדָם « pro *Adam* Aquila et Symmachus et LXX et Theodotio *homines* transtulerunt, ut dicerent *in funiculis hominum* » (*Hier.*) i. e. funiculis illis, quibus ligari homines solent ac trahi, nempe beneficiis et amore (cf. *Ephr. Rib. Sanct. Sa, Mar. Men. Tir.*); idque etiam parallelismus membrorum exigere videtur *in vinculis charitatis* i. e. amore, benignitate, officiis, quibus ceteroquin animi hominum capiuntur; illi vero omni lapide duriores nulla beneficentia emolliti sunt neque adstricti, est enim « durissimae cervicis populus » (Deut. 9, 6. 13. 31, 27. Ex. 34, 9 etc.). Solus *Alb.* : « funiculi Adam poenae sunt et maledictiones, quibus vinctus est Adam a Domino, cum peccaret » ; Dei in populum benevolentiam et beneficia etiam reliqua membra describunt : *iugum exaltans super maxillas;* sensus generatim est : laborem et molestiam iis alleviabam; « utitur metaphora agricolae boni, qui iugum bobus adimit, ut quiescant et comedant » (*Rib.*). Ceterum locutionem rite explanant *Rib. Sanct. Lap. Sa, Mar. Men. Tir.* mentionem iniicientes de *capistro* et *freno*, quod cum iugo coniunctum erat et ori indebatur et maxillas stringebat; et ita *iugum* ad os et maxillas pervenit et sublato capistro iugum exaltari super maxillas, iugum tolli a maxillis dici poterat. Aufertur capistrum, ut pabula captent boves ; quare pergens in eadem metophora addit *et declinavi ad eum ut vesceretur,* abunde Deus populo suo alimenta providit, non solum enim dedit eis escam manna in deserto (*Hier.*), sed etiam terram optimam concessit et frugum abundantiam (cf. 2, 8 *et haec nescivit, quia ego dedi ei frumentum et vinum et oleum*— Deut. 32, 13-15).

Textus mas. habet וְאַטֵּם ; formam *verbalem* veteres versiones exprimunt : « inter-

1. Ea quae repetita vice fiunt diuque durant, in hebr. tempore imperf. (*fut.*) dicuntur, quod *S. Hier.* modo per *imperfectum* e. gr. v. 2, modo per *futurum* vertit.

pretatus est *Sym.* : *et declinavi ad eum cibos* » (*Hier.*); *Syrus :* « et inclinavi eis et comedebant » ; *Chald.* : « et in deserto multiplicavi eis bona ad comedendum » ; erit igitur legendum וְאַט, fut. a נטה, notione eadem, qua Gen. 39, 21. Is. 66, 12 scil. *dare, porrigere.* Alii textum mas. sequentes אַט per modum adverbii explicant, uti 1 Reg. 21, 17 (hebr.) et sim. לְאַט Is. 8, 6. 2 Sam. 18, 6. Iob 15, 11 (?) significatione *placide, quiete* (*Lap.*), *suaviter ;* dein אַאֲכִיל-אוֹכִיל, uti sim. אוֹבִיד Ier. 46, 8 (cf. *Keil*); sed ad hanc explicationem difficile אֵלָיו adaptatur, unde versio prior et emendatio textus *mas.* praeferri debet.

LXX initium versus vertunt ἐν διαφθορᾷ ἀνθρώπων (forte חֲבָלֵי dolores, vel הֶבֶל inane, vanum, iniquitas ?), quod aliqui iungunt cum antecedentibus : sano ipsos in corruptione hominum (*Cyr.*), scil. alios populos pessum dedi, Israel sanavi ; alii cum sequentibus : cum lege hominum perituri fuissent, eripui ipsos arcano modo amori meo copulans (*Theod. M.*), vel a pernicie hostium eos liberavi (*Theod.*) ; alterum membrum explicant LXX καὶ ἐγὼ ἔσομαι αὐτοῖς ὡς ῥαπίζων ἄνθρωπος ἐπὶ τὰς σιαγόνας αὐτοῦ, omittunt unum עַל sicut codices aliqui (*Scholz*) et *maxillam ferire* tamquam leve ac mite poenae genus interpretantur *Cyr. Theod. Theoph.* Tertium demum membrum : καὶ ἐπιβλέψομαι πρὸς αὐτόν, δυνήσομαι αὐτῷ ; legerunt scil. אביט et אוכל (a יכל); id quod de minis interpretantur : torve eum intuebor, ut certe fortitudinem meam cognoscat (*Theod. Theod. M.*) ; at *S. Cyr.* explicat de aspectu benevolo, quo Deus doctrina et virtute rebelles sibi animos subiiciens contra nos sed in bonum nostrum praevaleat.—Simul haec versio est exemplo, quomodo ex iisdem fere consonantibus hebr. exigua mutatione sensus plane diversus colligatur. Ceterum *Aq. Sym. Theod.* textum hebr. satis presse sequuntur (cf. cod. syr. hexapl.).

Cum igitur adeo abusi sint divinis beneficiis et amore, Dominus eos abiicit et duris tradit tyrannis v. 5 « *non revertetur in terram Aegypti et Assur ipse rex eius, quoniam noluerunt converti* » ; — contextus omnino exigit, ut prius etiam membrum *minas* intentet ; est ergo sensus : non condemnabo eos tali servitute, qualem olim in Aegypto servierunt et quam *norunt*, verum Assur, cuius iugum est utpote *ignotum*, terribilius, sit dominator eorum ac tyrannus ; durius enim est poenam minitari *ignotam*, quam contumax nondum est expertus, quam eam, quam iam saepius subiit et ad quam propterea callum fere obduxit. Ita orationis vis et emphasis habetur.

Similem explicationem iam indicat *Ps. Ruf.* : « cum amissis opibus de servitutis mutatione contenderent, ut Aegyptiis potius quam Assyriis subderentur, ne hoc quidem obtinere meruerunt, quoniam immobilis est, quae de nostro processit ore sententia ». Alii explicant : iam non ultra sinam, ut ab Aegyptiis auxilia efflagitent (cf. *Hier. Lap. Mar.*) ; non in Aegyptum revertentur, id scil. voluerunt olim in deserto (Num. 11, 4. *Sanct.*) vel in calamitate futura id volent (*Alb. Rib.*) ; alii legunt per interrogationem : nonne meretur alteram servitutem aegyptiacam ? alii demum non לֹא legentes sed לוֹ emendantes (cum LXX κατῴκησεν יָשַׁב) explicant, uti 8, 13 ; 9, 3 : revertetur in Aegyptum, i. e. in servitutem, cuius exemplar, symbolum, typus est Aegyptus (*Scholz*) ; at *non* efferunt

cum *S. Hier.* etiam *Syrus* et *Chald.* Dei monitionibus aures praebere *noluerunt*, quare etiam Deus in servitutem eos tradet illius regis, quem *nolunt* ; alias *Dominus* est et vocatur rex populi sui ; nunc *Assur* hoc nomine insignitur, quo indicio foederis populique abiectio quam maxime declaratur.

Illi vero servituti post stragem et vastationem colla submittent (cf. 9, 7) v. 6 « *coepit gladius in civitatibus eius et consumet electos eius et comedet capita eorum* » ; — « coepit gladius, sive *irruet* [1], ut interpretatus est *Aq.* aut *vulnerabit*, ut *Sym.* transtulit. Et vide quantum pondus sit miseriarum, ut non agri vel possessiones ac rura vastentur, sed medias civitates hostis introeat et consumat electos eius, sive *brachia* illius, ut interpretatus est *Sym.* ... et devoret capita vel consilia eorum » (*Hier.*).

Hisce verbis *S. Hier.* iam deprehendimus, quomodo textum hebr. intellexerit. LXX καὶ ἠσθένησεν ῥομφαία ; sim. *Syrus*. Recentiores explicant *girabit, circumibit* gladius, *saepe percutiet* cf. Ier. 30, 23 a verbo חול ; dein *et delebit vectes eius et devorabit propter consilia eorum ;* LXX non בדיו legerunt sed בידיו ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ uti *Syrus* quoque. *S. Hier.* בַּדָּיו *membra* praecipua reipublicae intellexit, uti *Chald.* vertit *fortes ;* בדים *rami* sunt arboris, inde analogia quadam, ut videtur, *membra* corporis, et alia analogia : vectes et repagula (cf. Ez. 17, 6 ; 19, 14. Iob. 18, 13 ; 41, 4. Ex. 25, 13 ; 27, 6 etc.). Quo sensu h. l. vox adhibeatur, non adeo liquet : *gladio* enim vectes ac repagula civitatis absumi, satis durum et alienum est ; nobiles vero et principes dici vel *vectes* vel *fulcra* civitatis, fortasse tolerari potest, cum etiam *clypei* 4, 18 nominentur.

In tali calamitate frustra Dominum auxiliatorem praestolabuntur ; tempus enim adest iugi et servitutis ineluctabilis : talis videtur esse sensus textus *vulg.* v. 7 « *et populus meus pendebit ad reditum meum ; iugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur* » ; — « tunc plebs miserabilis, quae ad me reverti noluit, meum ad se reditum praestolabitur... quia peccata grandia grandibus sunt punienda suppliciis, imponent eis qui derelicti fuerint de populo (rege eorum ac principibus assyrio mucrone truncatis) iugum gravissimum servitutis et imponent pariter, quod non auferetur iuxta literam, nisi spiritualiter tollatur in Christo » (*Hier.*) ; sim. *Ps. Ruf.* seris precibus et gemitibus ingratis fore ait ut populus exposcat, ut Dominus auxiliator fieri dignetur ; et ita etiam plerique latini explicant (cf. *Rib. Sanct. Lap. Sa, Men. Tir.*) ; *Alb.* vero exponit de populi resipiscentia, qua ipsi ad Deum redire desiderant ; alii sensu contrario : haesitat, an ad me redeat [2] necne (cf. *Lap.*).

---

1. Ex cod. syr. hexapl. potius ἔπεσεν ἐπὶ τὴν στρωμνήν, si *Syrus* mentem Aquilae est assecutus ; nam « circumscriptio syr. plane aliena est ab indole Aquilae » (Middeldorpf p. 518). Coniicit *Field* (Orig. hexapl. quae supersunt) *Aq.* scripsisse ἐστρωματίσθη stragulis opertus est.

2. Hoc sensu etiam Syrus explicat : haesitat in reditu ad me, et *Chald.* in reditu ad legem meam. Num legerunt תְּשׁוּבָה pro מ' ?

S. Hier. certe legit אֶל־עֹל i. e. *ad iugum vocabunt eum ;* textus mas. habet אֶל־עַל. LXX easdem fere literas legerunt : ὁ δὲ θεὸς ἐπὶ τὰ τίμια αὐτοῦ θυμωθήσεται יקרהויחר. ואל על (cf. *Syrus :* Deum vocabunt) ; in priore membro legerunt מושב κατοικία, (cf. Gen 27, 39 κατοίκησις), pro מְשׁוּבָה *apostasia, rebellio, aversio,* quam vocem *S. Hier.* alias transtulit *aversionem* (cf. Ier. 2, 19 ; 3, 22 ; 5, 6. Prov. 1, 32 ; infra 14, 5 *contritiones*) ; sicut etiam h. l. capi debet (cf. *Mar.*). Hebr. igitur verte : *populus meus suspensus est* (fixus est) *in aversione a me* i. e. pertinaciter rebellioni contra me adhaerescent (de תָּלָא cf. Deut. 28, 66. 2 Sam. 21, 12). Quae sequuntur : *et ad superna* (sursum !) *vocant eum, simul* (tamen) *non extollit* (caput) i. e. etsi quis populum adhortetur sursum ! vel surge ! tamen non extollit caput — vix apte dicuntur ; nam locutio אֶל־עַל *sursum* vel *ad superna* vocare, satis mira videtur et magis ad recentiorem loquendi modum efformata ; dein : non vult caput extollere, ut iugum denuo adaptetur i. e. rebelles sunt et contumaces, videtur esse metaphora longe petita, neque in antecedentibus praeparata, neque in verbo simplici latens, nisi suppleveris quae praecipua sunt. Quare in hac altera parte sensus quem effert *S. Hier.* planior est et facilior et commode etiam ex hebr. fluit, dummodo עֹל legas pro עַל et יְרוֹמֵם pro יְרוֹמֵם ; praeterea aptissime cohaeret cum sequentibus ; immo ea supponunt, comminationem ruinae ineluctabilis praecessisse et irae inexorabilis mentionem esse ingestam. Denique *iugum* exprimunt *Aq. Sym. Theod.* (cf. cod. syr. hexapl.).

b) **Deus miserator dispersos colliget 11, 8-12.**

Transitum ad sequentia bene innuit *S. Hier.* : « quia videbatur dura sententia nequaquam eis locum poenitentiae derelinquens, nunc Deus parentis ad Israel loquitur affectu », est enim memor beneficiorum et pacti initi et promissionum et suae misericordiae ; quomodo igitur eos penitus posset conterere (cf. *Ps. Ruf.*) ? Quare miserantis affectu quaerit v. 8 « *Quomodo dabo te, Ephraim? protegam te Israel! quomodo dabo te sicut Adama, ponam te, ut Seboim* » ? — *dare* est tradere hostibus (cf. Mich. 5, 3), ut rite expressit *Chald.* ; ait Dominus : quomodo te *Ephraim*, cui Iacob patriarcha benedixit, penitus deseram et abiiciam ?

Eundem sensum alterum membrum in hebr. habet, uti *S. Hier.* agnoscit in explanatione : « in hebr. scriptum est *amaggenach* (אֲמַגֶּנְךָ), quod *Aq.* transtulit ὅπλῳ κυκλώσω σε i. e. *scuto circumdabo te*. Quod cum in bonam partem putaremus intelligi, et significare protectionem, ex editione Symmachi contrarius nobis sensus subiicitur, dicentis ἐκδώσω σε, i. e. *tradam te*. Ex translatione quoque Theodotionis non prospera sed adversa demonstrantur : ἀφοπλίσω σε, quod significat *nudabo te* et auferam a te πδλον, hoc est *scutum,* quo te ante protexeram, et hic sensus magis convenit Domino comminanti » ; quare *Rib.* et *Sanct.* non immerito advertunt, *S. Hier.* in explanatione suam translationem retractasse. Explicationes adductae partim respiciunt vocem מָגֵן *scutum* (cf. 4, 18) et partim

verbum מִגֵּן Gen. 14, 20 *tradere*; haec notio contextui nostro apta est, quamquam etiam LXX et *Syrus* priorem sequantur.

Vulg. sensus hic est : sed qui possem te tradere hostibus et penitus abiicere? Immo te protegam, te fovebo! qui enim possem te funditus evertere, ut Adama et Seboim? Hae sunt urbes Pentapoleos, quae simul cum Sodoma et Gomorrha iusto Dei iudicio eversae sunt (Deut. 29, 23); urbes istae in exemplum abierunt destructionis, quam nulla sequatur instauratio; cf. Is. 13, 19. Ier. 49, 18 (cf. Mal. 1, 4) 50, 40. Soph. 2, 9. Etiam has sententias esse interrogatione legendas, contextus omnino suadet et iam diserte monet *Alb.* quatuor esse quaestiones; sim. *Sa*, *Tir.*, et interpunctatione *vulg.* indicatur.

Sunt tamen qui cum *S. Hier.* aliter distinguunt: *quomodo dabo te?* i. e. « quid faciam tibi, qua te arte corripiam? quo potero sanare medicamine? Sicut Adama et Seboim ponam te . . . ponam itaque et vertam te in solitudinem et delebo usque ad cineres atque favillas, sicut delevi Adama et Seboim » *(Hier.)*, et sim. *Haimo*, *Rup. Rib. Mar.*; suffragantur LXX τί σε διαθῶ; ὡς Ἀδάμα θήσομαί σε καὶ ὡς Σεβοείμ, saltem secundum explicationem *Cyr. Theod. Theoph.*, dum *Theod. M.* potius priorem amplectatur, cum dicat: « auxilio certe te dignum non iudico, contra vero dignum tibi impositum iri supplicium cognosco, si catastrophen illam patieris, quae Sodomae . . contigit ». In explicatione *S.Hier.* maior cernitur Dei *indignatio*: « quomodo te tractabo, an protegam te? nullo modo; quin potius poenas sumam, funditus te delebo »! Et hac sententia et condemnatione prolato viscera Dei commoventur miserantis; misericordia ductus sententiam *revocat* (cf. *Cyr. Theod.*). Sed quamvis hac ratione affectuum quaedam varietas et orationis *pathos* oriatur, tamen admitti nequit, cum prima iam interrogatio ex hebr. *misericordem* Deum demonstret [1].

Hanc misericordiam conceptis verbis proponit et rationem affert, cur non omni severitate animadvertat in Israel sed post ruinam concedat instaurationem : « *conversum est in me cor meum, pariter conturbata est poenitudo mea* »; — i. e. cor habet patris amantissimi, viscera misericordiae, quae maxime commoventur spectata filii miseria; « intimo animi sensu quasi poenitens conturbor » *(Tir.)*, dum filii calamitatem mente contemplor, dum iudicia in eum devolvo. Hebr. *commotae sunt* (ae-

1. Audi *Tir.* verba *vulg.* bene evolventem : « *quomodo* paterno pectori possibile erit, ut totum te dem Assyriis exscindendum? quid ergo? *protegamne te*, tam mihi rebellem, tam obstinatum filium? non permittunt horrenda scelera tua, quae in coelum clamant vindictam. Quid ergo? *dabo te sicut* olim dedi... urbes Pentapoleos? quomodo id feret maternum pectus? En luctam amoris et misericordiae divinae cum iustitia vindicativa eiusdem. Utrius erit victoria? vincat amor, triumphet misericordia »!

stuant, incaluerunt) *miserationes meae* [1] — נִכְמְרוּ cf. Gen. 43, 30 : « commota fuerant viscera eius super fratre suo » et 3 Reg. 3, 26. Haec viscerum Dei commotio optime depingit *Patrem*, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat ; tangitur scil. dolore cordis intrinsecus hominum miseriis ; dum punit, misericordia praevalet adeoque diligit populum electum, ut dicat apud Ier. 31, 20 quasi admirabundus : num revera Ephraim adeo dilectus est mihi et in tantum filius deliciarum, ut etsi contra eum locutus sim, tamen eius memoriam continuo servem et viscera mea super eum conturbentur ?

Quare ruinam populi sanabit : v. 9 « *non faciam furorem irae meae, non convertar ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego et non homo, in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem* » ; — i. e. non penitus destruam ; *furor irae* vel ardor, aestus irae est Dei iustitia, quae punit nulla habita misericordiae ratione tantum, quantum peccatum meretur i. e. nulla veniae spe ostensa vel generatim vel pro particulari quodam iudicio, quod iamiam devolvendum sit [2]. Et ab hoc misericordiae consilio ait se nunquam recessurum *non convertar* ; dona enim Dei sine poenitentia sunt et si quid *absolute* vult et promittit, nulla hominum malitia et perversitate a sententia abducitur. Cur nolit disperdere Ephraim, rationem affert : *quoniam Deus ego et non homo ;* id varie elucidant vel a divina veracitate : Deus ego et verbum meum in aeternum permanet (*Chald.*) et firmitate consilii atque constantia, vel communius a divina clementia, cui proprium est salvare, misereri, parcere : « homo ad hoc punit, ut perdat ; Deus ad hoc corripit, ut emendet... lapsis manum porrigit, errantes ad salutem vocat » (*S. Hier.*) ; divinam clementiam non potest hominum improbitas exhaurire, sicut exhaurit quotidie atque exstinguit humanam (*Sanct.* ; sim. *Cyr. Theoph. Tir.*). ***Deus*** enim servator est et salutis largitor (cf. Ex. 34, 6. 7. Is. 12, 2. 3), cuius miserationes sunt super omnia opera eius (Ps. 144, 9). — Alia ratio in Dei *sanctitate* cernitur, qua se in medio Israel manifestat : utpote *sanctus* iustitiam et sanctitatem vult et in populo, quem sibi elegit et separavit a gentibus, hanc sanctitatis normam valere et exprimi desiderat ; cum igitur tamquam talis in medio Israel habitet, quomodo opus suum frustrari et excidere pateretur ? Ut *sanctus* non est auctor excidii, sed iustitiae effector ; quare *non ingrediar civitatem* sc. ad eam vastandam et perdendam, uti ingressus est Pentapolin, ad quam alludit (ita *Ps. Ruf. Sanct. Rib. Men. Tir.*), non ingrediar tamquam hostis, qui omnia indiscriminatim percutiat (*Rup.*).

---

1. *Theod.* τὰ σπλάγχνα τοῦ ἐλέους μου (cf. cod. syr. hexapl.).
2. Cf. Deut. 13, 17 ; 29, 23. 24. 2 Par. 28, 13 ; 29, 10 ; 30, 8. Iob 20, 23. 28. Ps. 68, 25. Is. 13, 13 ; 45, 25. Ier. 4, 8. 26 ; 12, 13 ; 25, 37 ; 49, 37.

Verba haec varie explicant : numquis me impediat, ne ingrediar et te puniam (*Sa*)? non ingrediar in aliam civitatem neque habitabo, nisi in Ierusalem (*Chald. Mar.* — at ita id suppletur, quod rei caput est); non ingrediar ad liberandam civitatem (*Ephr.*); non habito ego, uti homines solent; non moenibus concludor, non more hominum ago (cf. *Hier. Theod. Theod. M. Theoph.* — sed quorsum talia?); *S. Cyr.* haec verba loquentem facit *Iudam* : i. e. murum habebo Deum, securitatem et tutamen et spem in ipsum mihi faciam, ipse solus mihi ad salutem sufficiet, non opus est ingredi civitatem, ut ab hoste sim securus — sed etiam hic quod praecipuum est, suppleri debet, neque ullum adest in textu vestigium, Iudam loquentem induci. Alii demum עיר quam vocem veteres unanimiter *urbem* intellexerunt et quae in locutione adeo obvia a nemine Hebraeorum aliter concipi potest (cf. *Hitz.*), etymologia ab עור *effervescere* excogitata explanant : *non veniam in effervescentia,* in aestu irae (cf. *Keil, Trochon*) — sed haec significatio voci nullibi inest, neque Ier. 15, 8. Apud Danielem עיר *custos* invenitur; unde si *beth essentiae* quod vocant in subsidium vocatur, explicari posset : non veniam tamquam custos, ultor — at et vocis significatio longius abest pro Hebraeis et ipsa sententia, Deum non esse venturum ultorem, rei omnino contradicit; nam venit ultor et custos legis violatae; et si exceperis, praedici eum *ultra* post instaurationem iam non puniturum, id iterum textui inseris, quod rei caput est. Quare cum nullum subsidium emendandi textus suppetat, vel explicationi propositae acquiescas oportet, vel vulnus textus insanabile profitearis.

Hucusque promisit, se non penitus deleturum Israel. Iam magis distincte enuntiat, qualis futura sit ipsa instauratio v. 10 « *post Dominum ambulabunt, quasi leo rugiet; quia ipse rugiet et formidabunt filii maris* »; — praecipua instaurationis praecellentia et indoles est, ut omni religione et fide Domino adhaereant; antea recesserunt a Domino idola secuti; tunc iam non post idola ibunt sed totis animis Deum sequentur (cf. 2, 17; 3, 5) : haec *summa* est instaurationis. Quomodo autem ad illam adducendi sint, declarat dicens : *quasi leo rugiet..* Deus voce sua potenti, cui resistere et obniti non audebunt, eos ab errore et scelere revocabit; et emphasis gratia repetit : *utique ipse rugiet*; leone autem rugiente omnes bestiae contremiscunt; quis resistet, si Dominus de Sion rugiet, si leo de Iuda vocem dederit ad regnum aeternum stabiliendum (cf. Gen. 49, 8-10. Is. 66, 6. Amos 1, 2. Ier. 25, 30)? Quare *formidabunt* i. e. trementes accurrent *filii de mari* (hebr.) i. e. de regione longinqua maritima, a partibus occidentalibus; hae enim partes apud Hebraeos *maris* nomine designantur; *filii* igitur Dei congregabuntur ad Dei vocem ex terris remotissimis; has alio etiam schemate indicat v. 11 « *et avolabunt quasi avis ex Aegypto et quasi columba de terra Assyriorum, et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus* »; — triplici designatione (maris, Aegypti, Assur) pro temporum ratione filios Dei ex universis

terris congregandos innuit, quos Dominus pacifice terram inhabitare faciet; in hebr. repetitur : *formidabunt* i. e. trementes advolabunt quasi *avis* i. e. magna cum multitudine et celeritate, et quasi *columba*, quae magno studio et velocitate et stupenda quadam certitudine columbare ex dissita etiam regione exquirit et invenit (cf. Is. 60, 8). Concludit *effatum Domini* addens, quo quasi sigillo apposito rei veritatem divina veracitate et potentia confirmat et testatur.

Vaticinium hoc expositores graeci (*Cyr. Theod. Theoph.*) et *Tir.* de reditu ex captivitate babylonica explicant, et *leonem* rugientem Cyrum interpretantur ad reditum invitantem, *trementes* autem *filios aquarum* hostes intelligunt trementes et timentes piscium instar et piscium in modum captu faciles, Babylonios scil. quos Cyrus devicerit (cf. *Cyr.*). Alii ad tempora messianica unice referunt. Audi *S. Hier.* : « haec Hebraei ad adventum Christi referunt, quem sperant esse venturum ; nos iam transacta convincimus, quia et de Aegypto et de Assyriis, hoc est, ab oriente et occidente et ab aquilone et meridie venerunt et quotidie veniunt, qui discumbunt cum Abraham, Isaac et Iacob » ; sim. *Haimo, Rup. Sa, Rib. Mar. Men. Scholz,* ita ut qui ex gentibus facti sint filii Dei, cum timore ac reverentia accedant simul cum populo electo hostium terroribus erepto (Is. 14, 1. 2 ; 45, 14 ; 60, 9. Amos 9, 12).

Alii mediam quandam viam tenentes haec *historice* de captivi populi revocatione, typice vero et potissimum de Evangelii tempore esse intelligenda docent (cf. *Sanct. Lap.*). Valere de tempore *post* iudicium in Israel devolutum, adeoque non posse exponi neque de ipsa calamitate ingruente, neque de Ezechiae tempore qui omnes ad Dei cultum invitaverit (2 Par. 30 — cf. apud *Lap.*), verba ipsa et contextus ratio (cf. v. 7. 9) clarissime demonstrant. Instaurationis igitur tempus delineant, idque eo modo, quo prophetae solent. Reditum scil. in Palaestinam vates annuntiat et indolem instaurationis spiritualem, quae in Dei legis observatione consistat, clare designat. Proinde generali quadam ratione normam proponit, secundum quam theocratia erit restituenda. Ipsam theocratiam novam uno conspectu et complexu exhibet, ea quae tempore separata sunt et paulatim per sua incrementa augescunt, vel ea, quibus praeparantur, non inter se discernens, sed communi et universali modo proponens. Et revera reditu in Palaestinam, ad quem invitabantur omnes, respublica Iudaeorum denuo est constituta, in qua multi fideliter Domino servierunt, donec initiis istis et praeparatione praemissis messianica illa theocratia universalis fundaretur omnesque gentes sinu suo exciperet (cf. 2, 18 ; 3, 5).

Demum argumentum orationis complectens et apostasiam factam et conversionem futuram quasi per modum epiphonematis effert ultimo versu, quem LXX rite ita exhibent : *circumdedit me in mendacio Ephraim et in impietate domus Israel et Iuda* ; *nunc cognovit eos Deus et populus sanctus vocabitur Dei ;* mendacium est idololatria, est apostasia a Deo, utpote foederis violatio et sollemnis promissionis et fidelitatis neglec-

tio turpissima (cf. 4, 2 ; 7, 1. 3 ; 10, 13). Hisce sceleribus Dominum quasi operuerunt, totam Dei terram oppleverunt ac macularunt, tali quasi comitatu Dominum, qui tabernaculum suum inter eos fixerat, stipantes honorarunt vel tanta scelerum cohorte in Dominum undique ac constanter impetum fecerunt (cf. Ps. 17, 5 ; 21, 17 *circumdare* de impetu hostili). Ita vetus populi conditio. At quaenam subsecutura est instauratio? *nunc cognovit..* Deus populum suum non repulit, sed tamquam *suum* agnoscit, ad se attrahit, suo amore suisque donis exornat, — in oppositione ad 1, 6 ; 4, 6 ; 5, 6 ; 8, 4 ; 9, 15. 17 — ita ut denuo sit et agnoscatur ab omnibus veluti populus ille, quem Deus sibi elegerit, qui et habitu externo et moribus sit populus Deo consecratus, *sanctus*, uti decet populum Dei, qui est in medio eius sanctus (v. 9). Bene *Theod. M.* : « familiares mihi omnes faciam (οἰκειώσομαι) ; hoc enim valet locutio illa *novi eos ;* et quidem in numero esse meorum facta ipsa docebunt, quoniam tot tantaque bona me adiuvante assequentur ». *S. Cyr.* legit et explicat : templum sanctum (ναὸς, pro λαὸς) *vocabitur Dei.*

Hunc esse genuinum textum, multa suadent ; imprimis, quia sensus optimus est et brevi formula antecedentia apte complectitur et quia ex altera parte textus hebr. et *vulg.* non solum obscurus est, verum, uti iacet, intelligi plane nequit ; v. 12 « *circumdedit me in negatione Ephraim et in dolo domus Israel ; Iudas autem testis descendit cum Deo et cum sanctis fidelis* » ; — in hebr. *et Iudas adhuc descendit* (vel dominatur?) *cum Deo et cum sanctis fidelis* [1]. Prior pars clara est ; *negatio* est apostasia, qua in Deum impetum fecerunt ; *dolus* est perversitas illa, inconstantia, fallacia, hypocrisis, qua et Deum et idola venerati sunt moribus pariter corruptis. Verum quid altera pars? Ad eam explanandam Hebraeos fabulam tradidisse iam meminit *Hier.*, Iudam scil. ceteris tribubus desperantibus salutem in persecutione Pharaonis ad mare rubrum descendisse cum Deo in mare et inter sanctos fuisse fidelissimum. Commentum hoc rabbinicum id saltem demonstrat, locum hunc visum esse ita praeter rem et contextum adeoque obscurum, ut fabula excogitata opus esset. *S. Hier.* explanat : Iudas i. e. duae tribus quae habebant templum, legem, prophetas, erant testes gradientesque cum Deo et cum sanctis, i. e. vel cum angelis, vel patriarchis et prophe-

1. *S. Hier*, legit עד testis ; textus mas. fert עֹד adhuc ; רָד varie explicant ; iam *S. Hier.* notat : « *rad* et *descensionem* et *fortitudinem* significat ; pro quo *Aq.* transtulit ἐπικράτειαν ». רד alii derivant a רוד *vagatur cum Deo* i. e. Deum negligens (? — *Fürst L.*) vel *lascive agit cum Deo* (*Fürst C. Keil*) ; alii pro יֵרֵד *descendit* i. e. revertitur in terram suam (*Scholz* — sed Iud 19, 21 רד scribitur) ; alii a רָדָה *dominatur.*

tis et ceteris Dei servis fideles (sim. *Rib. Sanct. Lap. Sa, Men. Tir.*). At nemo non videt, tales laudes minime Iudaeis attribui posse, neque unquam attribui a prophetis ; aliud Osee de Iuda nos docet (cf. 4, 15 ; 5, 8. 10. 12. 13. 14 ; 6, 4. 11 ; 8, 14) et Iudam scelerum consortem describit eo modo, quo hic LXX rem exhibent. *Haimo :* « vir ecclesiasticus (Iudas-qui laudat Deum) non superbit, sed humiliatur cum Deo et cum sanctorum choro fidelis est » (sim. *Rup.*) ; *Alb.* verba refert ad humilem dominationem domus David ; alii : dominatur cum Deo i. e. Dei ope dominium retinebit et cum *sanctis* i. e. Deo sancto fidelis erit ac stabilis (*Mar.*). Haec explanatio id commodi habet, ut conditionem futuram prosperam adumbret ; at verba aegre eam suscipiunt, praeprimis קְדוֹשִׁים non potest dici de Deo, cum אֵל praecedat, et *pluralem maiestaticum fingere* non liceat. Textus igitur hebr. et latinus insanabili vulnere laborat, neque in eo exponendo frustra sudandum est.

Syrus ita habet : *circumdedit me in mendacio Ephraim, et domus Israel et Iuda in dolo* (nota contra textum hebr. et latin. quo loco *Iuda* ponatur !), *donec descenderet populus Dei, populus sanctus et fidelis* (nota *populus sanctus :* ergo עַם קָדוֹשׁ non עַם קְדוֹשִׁים). *Chald. :* « et qui de domo Iuda, validi fuerunt in cultu, donec abduceretur populus Dei de terra sua et ii qui serviunt coram me in domo sanctuarii, vocantur populus sanctus ; tunc erant stabiles » ; etiam hic *populus sanctus* cum textu LXX consonat.

Textus hebr. quem LXX supponunt, non multum in literarum forma discrepat a *mas.* ; quod ut cernatur, utrumque subiicio : LXX : אל ועם קדוש יאמר עד ידעם ; mas. : עד רד עם אל ועם קדושים נאמן (cf. ad יֵאָמֵר 2, 1. Is. 19, 18 ; 32, 5 ; 61, 6 ; 62, 4 etc.).

III. — Tertia annuntiatio 12, 1 - 13, 15.

Arg. — Ephraim impietatem studiose sequitur, foedera cum exteris appetit ; etiam Iuda peccat ; poenas luent condignas. Quantum posteri Iacob ab eius dignitate et exemplo fortitudinis et pietatis defecerunt ! revertantur ad eius aemulationem (12, 1-6) ! At similes sunt Canaanitis ; de opulentia et impunitate gloriantur. Nihilominus (non igitur propter eorum merita, sed *gratuito,* non obstantibus eorum peccatis) Deus eos reducet (12, 7-9). Deus per prophetas eos multipliciter erudivit ; ipsi vero idololatriam amplexi sunt ; Iacob eorum pater obediens erat et in aerumnis ac laboribus constans, etiam Israel olim Dei fidem et salutem expertus est ; at nunc Ephraim contumax est, quare poenas dabit (12, 10-14). Olim potens erat, sed idololatriae causa infirmabatur ; nihilominus crimina auxerunt, quare respublica delebitur ; Dominus tamen, qui et quia

olim ex Aegypto eos salvavit, non penitus eos abiiciet (13, 1-5). Ipsi saturati et elati Dominum spreverunt, quare Deus eos poenis coercuit et coercebit; sibi ipsi sunt perniciei; salus reponitur in uno Domino; nihil enim proderunt idola, nihil principes; crimina eorum vindictam expostulant, quae subito et vehementer irruet; neque tunc resipiscent neque per se salutem nanciscentur, sed Dominus eos eruet ex extrema calamitate, gloriose liberabit eos de morte; quia ipse est Deus *fidelis,* Ephraim adhuc nomen et omen habebit (secundum textum hebr. — 13, 6-15 a).

Peculiare est huic parti, quod Iacob patris exemplum patientiae, pietatis, obedientiae iis proponitur, quo filiorum Iacob scelera magis reprehendantur. Sed cum radix sit sancta, nova colligitur ratio, cur etiam ramis ex illa radice oriundis spes salutis non auferatur. *Gratis* Deum illam esse concessurum et hominem *per se* ad illam impetrandam penitus esse impotem, clare docet (12, 9; 13, 13); praeterea gloriosam fore salutem, Deo scil. triumphatore dignam, per modum epinicii indicat (13, 14).

Ceterum etiam in hac parte novis argumentis colligitur, Dei dona esse sine poenitentia (cf. 12, 9. 10. 13; 13, 4. 5. 15).

a) Ab exemplo Iacob recesserunt 12, 1-6.

Denuo paucis delineat, quomodo Ephraim defecerit a Dei cultu, a morum honestate, a reipublicae administratione divinitus instituta; eam defectionem poena necessario subsequitur; « proponit tria : occupationem circa inutilia per metaphoram; secundo metaphorae explanationem, tertio iudicii convictionem » (*Alb.*); v. 1 « *Ephraim pascit ventum et sequitur aestum; tota die mendacium et vastitatem multiplicat, et foedus cum Assyriis iniit et oleum in Aegyptum ferebat* »; — *pascere ventum* (cf. 8, 7 [1]; 10, 13) proverbiali figura dicitur pro eo, quod est rem inanem et nihil profuturam agere, quasi si quis ventum regere et in morem ovis ducere quo velit, nitatur (*Rib. Mar. Schegg*); idque fieri magna cum sollertia atque ita, ut ipsum illud studium perniciem necessario creet, altero membro declaratur : *sequitur aestum* hebr. studiose prosequitur קָדִים *ventum urentem,* καύσωνα [2], qui hominibus, bestiis et plantis valde nocivus est [3], immo quandoque incendii instar ardore suo omnia enecat; est scil. tempestas illa nomine *sirocco* nota. Qualem *uredinem*

1. Eo versu utitur *Chald.* ad nostrum locum illustrandum : domus Israel similis est ei, qui seminat ventum etc.

2. Ita LXX; in priore membro legerunt רָעָה רוּחַ pro mas. רֹעֶה רוּחַ; vertunt enim Ἐφραὶμ πονηρὸν πνεῦμα.

3. Cf. Gen. 41, 6. 23. Ex. 10. 13; Iob 27, 21. Is. 27, 8; 40, 7. Ier. 17, 18. Ez. 17, 10 etc.

Ephraim prosequatur, iam metaphora relicta explicat : *tota die* i. e. omni tempore (*Haimo*, *Rib.*), continuo, per totum temporis spatium, quo regnum consistit (cf. 10, 9) *mendacium,* idololatriam (*Theod. M. Haimo*), foederis violationem multis modis exercet (cf. 4, 2 ; 7, 1. 3) et ita simul *vastitatem multiplicat,* varias calamitates, quibus reipublicae status deprimitur, dissolvitur, ipsa regio devastatur et populus bello, nece, captivitate interibit, regno inducit. Hebr. שׁד etiam iniquitatem, oppressionem, violentiam dicit et inde consequentem vastationem et perniciem.— Defectionem a Deo foedera consequuntur cum exteris (cf. 5, 13 ; 7, 11) ; Palaestina olei ferax erat [1] multo magis quam Aegyptus, id quod iam ex eo elucet, quod olivae in omni regione Palaestinae frequentissimae erant et ab olei ubertate regio commendabatur [2]. Bene notat *Hier.* : « συνεκδοχικῶς a parte totum, quod videlicet munera Aegyptiis miserit ; licet quidam arbitrentur, quod nequaquam in Aegypto oleum gignitur, sed pretiosissimum missum esse ab Ephraim, cuius terra Samaria olei fertilissima est » ; *munera* mittunt, ut auxilium sibi emant cf. Is. 30, 6 ; « per unam quippe speciem multa significat » (*Ps. Ruf. Rib.*).

Hanc defectionem poena subsequitur : v. 2 « *iudicium ergo Domini cum Iuda et visitatio super Iacob ; iuxta vias eius et iuxta adinventiones eius reddet ei* » ; — ex hebr. ita iunge : *ad visitandum super Iacob iuxta vias eius ; secundum opera eius reddet ei.* Iuda scelerum socius est (cf. 5, 14 ; 6, 4 ; 8, 14) ; unde *iudicium* i. e. expostulatio (רִיב cf. 4, 1) Deo est cum Iuda et acris contentio, obiurgatio, castigatio ; « *visitationem* autem vocat flagella atque supplicia » (*Hier.*) ; *Iacob* propter oppositionem ad *Iudam* regnum Israel designat, cuius populi *vias* et *opera* iam ex parentis cuius nomine gloriantur praeclare ac pie gestis illustrat, ut tam excellenti exemplo proposito agnoscant, quantum aberraverint, quanto supplicio digni sint, et pudore suffundantur (cf. *Cyr.*).

Iacob enim patriarcha, Dei electione et dilectione praeventus, dignitatem et supernam vocationem sibi collatam summo studio, patientia, pietate summa ac fidelitate prosecutus est atque maxima constantia retinuit ; « recordatur, ut supra coepit, nobilitatis antiquae, ut quidquid honorum stirps electa promeruit, vel quidquid virtutis ostendit, ad arguendam posterorum vilitatem proficiat ; ac si diceret : en quo parente generati ad quae ludibria pervenerunt, quantumque a priscorum degeneravere virtutibus » (*Ps. Ruf.* sim. *Theod.*) ; v. 3 « *in utero supplantavit fratrem suum et in fortitudine sua directus est cum angelo* » ; — cf. Gen. 25, 25 : « plantam fratris tenebat manu » (cf. *Sanct. Rib. Mar. Sa*), hac scil. ac-

---

1. Cf. Deut. 7, 13 ; 11, 14 ; 28, 40. Ez. 27, 17. 3 Reg. 5, 25.
2. Cf. Deut. 12, 17 ; 33, 24 ; 32, 13. Ioel 1, 10. Ez. 16, 14. 1 Par. 27, 28. 2 Par. 32, 28.

tione iam praesignificante, fore, ut Esau ius primogeniturae praeriperet; « sic enim tenens plantam immiscuit se primogeniturae, quod non erat infantis, nisi virtute Dei factum fuisset » (*Alb.*); Dei enim electio et vocatio adeo iam in infante operabatur, ut eo symbolo quasi conatum et studium ederet adipiscendi primogenituram et sua opera et labore dignitatem illam sibi comparandi, quae ipsi a Deo erat proposita (cf. Gen. 25, 23). Actio igitur illa praesignificabat et exprimebat, quantopere Iacob divinae electioni cooperari niteretur, cum iam in infante quasi nisum ostenderet, quo nativitatis praerogativam etiam sibi attribueret.

Rem ita perpendit *Ps. Ruf.* : « Iacob siquidem ita fuit appetens gloriae, ut antequam in hanc lucem de utero matris exiret, propheticum inierit cum fratre certamen ... auspicium ergo lucis cum testimonio dignitatis assumpsit, ostendens videlicet, quod placita Deo polleret generositate, cui frugem secuturae virtutis contigisset etiam ante sentiendi tempora polliceri» ; et sim. *Cyr.* : «ab ipsis igitur fasciis Iacob fuisse indole generosa ac nobili (ὅτι εὐφυὴς γέγονεν Ἰακώβ), ex eo probat »; neque enim sine Dei ordinatione factum, ut actione ista symbolica se benedictionem esse praerepturum significaret (cf. *Sa, Mar. Tir.*); ita Dei electionem iam tunc prae se fert (*Lap.*) et merito *S. Hier.* veteris historiae mentionem fieri ait, ut Dei misericordia erga Iacob cognoscatur; nam non fortitudine propria, qui sentire non poterat, sed misericordia Dei symbolum illud edidit.

Atque hisce initiis reliquus vitae cursus ad amussim respondebat; in virili enim aetate i. e. *in robore suo luctatus est cum Deo* (hebr.); cf. Gen. 32, 24; pugna illa prodebat, qua constantia, patientia, virtute et quibus laboribus Iacob impedimenta et difficultates esset superaturus; quare LXX non male vertunt ἐν κόποις αὐτοῦ ἐνίσχυσεν πρὸς τὸν Θεόν (cf. *Cyr.* : « nam cum Deus eum providenter ad labores sudoresque misisset, non defecit ... obediens praevaluit, et veluti superior ac victor, quod iussa impleret »). Palmam sine serio ac constanti conatu attingi non posse, i. e. regnum coelorum vim pati et solos violentos illud esse rapturos, pugna illa significabat. Accidit, cum e Mesopotamia redux consistebat ad vadum Iaboc [1], terram patriarchis promissam occupaturus et non sine timore Esau fratris sibi irati adventum opperiebatur. *S. Hier.* vertit *et directus est cum angelo; angelum* dicit, uti statim etiam in hebr. sequitur v. 5 *et luctatus est cum angelo*, et quia Dei apparitio sub angeli forma fieri solebat (cf. Ex. 3, 2 hebr. et gr. — Act. 7, 30. Gal. 3, 19 Hebr. 2, 2; 13, 2), uti « tenent communiter Patres docentque, quoties Deus apparuisse dicitur hominibus in veteri maxime testamento, non

---

1. In regione trans Iordanem, qui torrens in finibus filiorum Ammon erat (cf. Ios. 12, 2. Iudic. 11, 13), inter Gerasam et Philadelphiam (*Euseb.* Onom.) et inter regionem tribus Gad et Manasse.

Deum, sed angelum speciem illam divinam humanis oculis obiecisse » (*Sanct.*), et uti theologi quoque scholastici communi consensu duce S. Thoma docent (cf. *Suarez*, de Angelis 6, 20 et « Katholik » 1882 II p. 149); *directus est* i. e. feliciter luctatus est cum angelo; ita *Lap.* explicat addens : « nota, dirigi in Scriptura est *prospere agere* ut Ps. 139, 12, ergo recte ei successit cum angelo, vel rectius forsan : recto ac imperterrito vultu et pectore aggressus est eum ».

S. Hier. verbum non ad pugnam referre videtur, cum scribat : « εὐθυτάτου quod hebraice dicitur *isar* (ישר) h. e. *dirigentis* sive *directi* nomen accepit », id quod *Schegg* quidem explicat *aciem dirigere, directa acie pugnare*; at immerito; nam *S. Hier.* ait : « directus est cum angelo, quando adversus angelum ad torrentem Iaboc tota nocte pugnavit », qui loquendi modus ostendit *dirigi* non esse idem ac *pugnare*; neque ad hoc εὐθύτατος apte applicatur, neque ישר, verum Iacob illa pugna se hominem iustum ac probum probasse indicatur. Gen. 32, 28 vertit *S. Hier.* *fortis fuisti*; cur h. l. eandem vocem transtulerit *directus est*, nemo dixerit, praesertim cum statim transferat v. 4 *et invaluit*. Apud LXX rite bis ἐνίσχυσε ponitur.

Nam, quo praeclarior celebretur pugna et victoria, triumphantis in morem propheta repetit v. 4 « *et invaluit ad angelum et confortatus est; flevit et rogavit eum; in Bethel invenit eum et ibi locutus est nobiscum* »; — cf. Gen. 32, 29; hebr. *et luctatus est cum angelo et praevaluit;* quomodo praevaluerit, docent verba *flevit et rogavit* [1], lacrimis, precibus quibus Deum obsecratus est maximo cum fervore, quasi ab invito largissimam benedictionem obtinuit; alludit scil. propheta ad magnum illud desiderium benedictionis, quod prodidit Iacob dicens : « non dimittam te, nisi benedixeris mihi »; unde vates ostendit, quam acri studio et conatu, quanta cum contentione et constantia patriarcha benedictionem Dei sibi acquirere adnisus sit. Et acquisivit. Nam *in Bethel invenit eum;* ibi insigni Dei apparitione magnificisque promissis donatus est cf. Gen. 35, 7. 11 et seq. : « ego Deus omnipotens, cresce et multiplicare, gentes et populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur, terramque quam dedi Abraham et Isaac dabo tibi et semini tuo post te ». Iis Iacob tamquam populi electi patriarcha constitutus et confirmatus est, iure hereditario a Domino accepit benedictionem illam *messianicam,* Abraham et Isaac datam, ei eiusque posteris dignitas regia theocratica promissa est et terrae possessio tamquam pignus divini favoris sollemni sponsione data. Iacob igitur sua fidelitate et constanti

---

1. LXX aliter : ἔκλαυσαν καὶ ἐδεήθησάν μου, ἐν τῷ οἴκῳ Ὢν εὕροσάν με· sed, ut *Theod.* notat, reliqui graeci interpretes *Aq. Sym. Theod.* legunt, uti textus hebr. fert.

pietate dignitatem, ad quam a Deo praeelectus erat, quodammodo sibi promeruit. Ea autem quod in *Bethel* facta sunt secundo, uti primo proficiscenti in Mesopotamiam ibidem promissiones datae sunt cf. Gen. 28, 12-19, quae iam secunda illa apparitione laboribus a Iacob persolutis ratae habitae sunt ac confirmatae, eo magis praesentis generationis impietatem accusant; « utrumque beneficium accepit Iacobus in Bethel, ubi postea erectus est aureus vitulus, quem pro Deo coluit ingratus populus » (*Sanct.*). Idque diserte indicat propheta : *et ibi locutus est nobiscum,* i. e. promissiones illas non ad unum spectare Iacob, verum ad totum illius genus, et sponsionem a Iacob datam (Gen. 28, 20-23) non eius tantum fidem obstringere, verum totius posteritatis. Se et suos aequales propheta heredes promissionum sublimium nominat (*nobiscum*), ut antiquo populi honore commemorato et Dei salute ostensa ad nobilem aemulationem omnes provocet. Quod ut faciat, prius sollemni exclamatione Dei maiestatem qui promissa dederit eiusque potentiam et fidelitatem effert v. 5 « *et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale eius* » ; — cf. Ex. 3, 15 ; pignus promissionum in nomine Dei *Iahve* continetur ; *qui est* nomen Dei essentiale Deum tamquam *actum purissimum,* ut schola loquitur, tamquam fontem omnis exsistentiae, aeternum, immutabilem, omnium perfectionum cumulum designat ; hoc nomen est *memoriale Dei ;* i. e. hoc nomen ut sibi proprium in perpetuam rei memoriam et ad promissionum veracitatem declarandam et fidem suam ac fidelitatem obstringendam sollemni ratione promulgavit et epochae illi praefixit, in qua promissiones opere exsequi coepit ; « hoc nomen mihi est in aeternum et hoc memoriale meum in generationem et generationem » (Ex. 3, 15). Uti Deus alias sollemni iureiurando interposito veracitatem et fidelitatem suam oppignerat (Gen. 22, 16. Ps. 109, 4), ita nomen suum essentiale *qui est* tamquam documentum et monumentum proponit, quo omnium animis fixum ratumque inhaereat, eum *qui est* et potentia et constantia et immutabilitate potiri ad promissa in opus deducenda. Potentiam et maiestatem praeterea illustrat et effert *Deus exercituum* i. e. Deus cui praesto sunt exercitus, copiae militares, virtutes omnes coelestes atque terrestres, agmina angelorum et universa militia bellica regnorum terrae ; — pro tanta vocis amplitudine cf. Gen. 2, 1 (hebr.) Ex. 7, 4 ; 12, 41. 1 Reg. 1, 3. 11 ; 4, 4. Ios. 5, 14. 3 Reg. 22, 19.

Deinde propheta exhortatur, ut patris exemplum aemulantes *tali* Deo omni religione se devoveant (cf. *Cyr.*) v. 6 « *et tu ad Deum tuum convertaris, misericordiam et iudicium custodi et spera in Deo tuo semper* » ; — hebr. *in Deo tuo*, uti LXX ἐν Θεῷ σου ἐπιστρέψεις i. e. Dei ope et auxilio, in sola eius virtute et gratia poteris ad eum redire ; reditus norma

proponitur et fructus: *custodi* hebr. חֶסֶד cf. 4, 1; 6, 4; 10, 12; amorem illum pristinum in te instaura, quo olim foederis observationem spopondisti (cf. Ex. 19, 6. Ier. 2, 2) et *iudicium*, normam legis, normam veri et iusti, in te fideliter exprime. Quae si praestiteris, iure salutem Dei sperare poteris. *Qualem* spem propheta commendet, clarius in hebr. dicitur: *exspecta ad Deum tuum continuo* i. e. omni fiducia *exspecta*; sed cum nostrum non sit ponere tempora et momenta, quibus plena salutis manifestatio a Deo danda sit, cum omni patientia salus eius exspectanda est, idque continuo, semper, in quacumque rerum conditione. Ad talem igitur eos spem exhortatur vates, qualem in patriarchis *S.Paulus* descripsit et laudat: « iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes » (Hebr. 11, 13).

b) Gloriantur in malitia 12, 7-9.

Patris virtute commemorata, quantum ab illo filii sint mutati, menti vatis obversatur: « sed quid ego varia insignia paternae generositatis evolvo, a quibus turba ista quam defleo, tanto spatio dilapsa convincitur, ut non immerito soboles Canaan nuncupetur » (*Ps. Ruf.*)? quare per amaram antithesin (*Rib.*) ait v. 7 « *Chanaan, in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit* »; — i. e. oppressionem dilexit, pauperes opprimere per potentiam dilexit, uti vocem *calumniam* rite explanant *Alb. Rib. Mar.*; nam *calumnia* etiam apud latinos vexationem dolo ac fraude aliis illatam significat. Acerba reprehensione non *Israel* (qui adversus Deum invaluit), sed *Chanaan* vocantur, inimici scil. misericordiae et iustitiae (*Cyr. Theod.*); similes enim facti sunt illis populis, quos olim propter scelera e terra eiicere et interimere debebant (*Theod. M.*); quantus iam pudor, illo appellari nomine populum Dei! Ita quae sint *viae* et *adinventiones* (v. 3) eorum, describit, similiter, uti Is. 1, 10. Ez. 16, 3. Dan. 13, 56. Zach. 14, 21, prout *S. Hier.* adnotat. Peccata iniustitiae, fraudis, oppressionis praecipue accusat, quia ea maxime adversantur virtutibus v. 6 commemoratis (cf. Prov. 20, 10; 11, 1. Mich. 6, 10). Cum indignatione vates *Chanaan* exclamat et non eos alloquens, quos reprehendit, magis rei indignitatem effert.

Iam quantopere in malo sint obdurati et quanta cum impudentia se quasi omni noxa superiores iactent, egregie describit v. 8 « *et dixit Ephraim: verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi; omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quam peccavi* »; — perfracte et impudenter reprehensioni opponunt: *et tamen dives effectus sum*; quasi dicant: quid scelera nocuerunt? quid minae? tamen divitiis

abundo. Loquuntur (ut bene notat *Ps. Ruf.*), sicuti tempore Ieremiae ii, qui profitentur, dum reginae coeli sacrificaverint et libaverint, « saturati sumus panibus et bene nobis erat malumque non vidimus » (Ier. 44, 17). Prosperitatem idololatriae attribuunt cf. 2, 5. 8 ; et gloriantur, quod bonis fruuntur iis, quae ex legis promissione (Lev. cp. 25 — Deut. cp. 28) soli pietati debentur. Unde haud incongrue advertit *Rib.* : « allatrent me prophetae et avaritiae ac rapinarum arguant ; certe me non poenitet quaesiisse divitias, sed gaudio dives effectus sum » et *S. Hier.* : « non refert unde possideam, dummodo possideam », id quod reprehensioni v. 7 immediate opponunt. Quod in *vulg.* legitur : *inveni idolum mihi,* explicant de opibus ac divitiis, quas suum deum vocent : gaudeo habere penes me et invenisse deum, divitias, quae sunt numen meum, quo praesente neminem timeo, bonis omnibus abundo (cf. *Lap.*). *S. Hier.* legit et vertit, ut ipse narrat, *aven* אָוֶן [1] (cf. 4, 15 ; 5, 8 ; 10, 5. 8) i. e. *inane, nihilum,* quo nomine *idolum* significatur ; « sicut gulosi et luxuriosi venter deus est, ita et avarus adorat auri idolum et dicit in corde suo : inveni quod quaerebam » *(Hier.)*. Ex mente igitur prophetae *idolum* vocatur. Ea explicatione gravis et apta habetur oppositio ad v. 4 : Iacob invenit Deum, posteri eius aliud invenisse numen et amplecti se iactant, qua locutione obduratos in malitia animos produnt. Textus autem mas. fert אוֹן *opes, divitias* (cf. *Mar. Scholz*), uti explicant ex parallelismo [2].

Dein perfracte negant, se ulla in re peccasse : *omnes labores mei* i. e. quidquid acquisivi, labore meo et conatu mihi comparavi (cf. hebr.) non afferunt mihi *iniquitatem* עָוֹן ; nota paronomasiam ad אוֹן (vel potius אָוֶן?); non *talem* afferunt iniquitatem, qua peccati rei constituantur et poenae obnoxii. Ita enim *oppressionem diligunt* v. 7, ita ea delectantur, ut flagitium poena dignum in ea adesse prorsus negent. Magnus est sceleris gradus scelus non agnoscere. At Dei dona cum sint sine poenitentia, populum olim electum non plane abiicit. Impietate vero descripta liberalitas Dei in beneficiis conferendis illustrior apparet. Quare pergit v. 9 « *et ego Dominus Deus tuus ex terra Aegypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis* » ; — Deus liberatione ex Aegypto per magnalia potentiae facta populum suum acquisivit ; tale opus effectu non carebit ; uti illa eductio gratuito ex gratia et benevolentia est

---

1. Ita etiam *Syrus* probabiliter legit, cum *dolores* vertat.

2. Ita legisse videtur *Chald.* quoque, cum explicet אוֹנַס *rapinam* ; LXX autem respiciunt vocem chaldaicam et syriacam אַוְוָנָא (hospitium), vertunt enim ἀναψυχήν. *Vel ex arabico* אאן אוך (aaua, aunun) *commode agere, commoditas, quies* (cf. *Freitag*, lex arab.) quae vox propter alteram cum ה scriptionem, qua etiam invenitur, a syriaco הנא originem ducere videtur.

facta, ita populi post castigationem et alteram in terra aliena servitutem instauratio divinae liberalitati accepta est referenda. Quod quo clarius cernatur, vates v. 7. 8 populi indignitatem proponit. Prima illa liberatio pignus est alterius salvationis, unde *adhuc* עֹד iterum, denuo *habitare te faciam* (hebr.) ita, ut festos dies qua decet pompa, religione, laetitia celebres. Verba enim esse laeta et promissoria — minime vero, uti *Ps. Ruf. Theod. Theoph.* volunt, comminatoria de inhabitatione in terra aliena incerta ac vaga, neque rem *praeteritam* tantum in memoriam reducere, quae sententia *Theod. M.* est — iam ipsa locutio *habitare faciam* ostendit, quae tutam atque securam inhabitationem cum larga Dei benedictione in promissae terrae occupatione significat cf. 11, 11. Ps. 67, 7. Ier. 32, 27. Ez. 36, 11. 33 etc. Neque promissio sub conditione tantum profertur : post tot peccata licebit per me, si meliora cogites, securum in patria degere et festum scenopegiae laetum agere quotannis (cf. *Sanct. Rib. Lap.* et iam *S. Hier.)*, sed post captivitatem fore instaurationem praedicitur. Cur dicatur *in tabernaculis*, vix aliter accipi potest, quam prout Lev. 23, 43 innuitur et *Alb.* concipit, « ut scil. iterum festum tabernaculorum celebres pro reductione de captivitate, sicuti celebrasti pro eductione de Aegypto » ; iste sensus iuvatur ex eo, quod dicitur Ier. 23 : « ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicent ultra : vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti, sed vivit Dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra aquilonis » ; sim. *Mar.*

Plerique ad tale festum alludi censent ; *Scholz* autem cl. 2, 11 de omni festivitate explicat et *in tabernaculis* ad habitandi modum patriarcharum, populi in deserto, pastorum in Israel et totius plebis in sollemnitate scenopegiae referri censet. Alii demum, uti *Cyr.* et *Schegg*, non promissionem verbis exprimi censent, verum id solum, Deum cousque populum non expulisse e terra ; sed *adhuc*.. promissionem de re futura indicat, cui alia prophetarum vaticinia concordant (cf. Ier. Ez. l. c.) et 11, 10. 11, quo loco pariter liberatione ex Aegypto commemorata eadem fit promissio (cf. 2, 15 ; 3, 5). Quare *Barh.* bene exponit : habitare te faciam in terra promissa.

c) Beneficiis peccata opponunt 12, 10-14.

Post beneficium eductionis ex Aegypto Deus populum non dereliquit, sed continuo inter alia per prophetas missos eum erudivit, docuit multiplici modo ; hanc gratiam iis in memoriam revocat v. 10 « *Et locutus sum super prophetas et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum* » . — Notari supereminentiam spiritus illuminantis prophetas, uti v. gr. *spiritus Domini super* [1] *me* (Is. 61, 1) censet

1. Iam veteres explicant עַל — אֶל *ad* prophetas (cf. *Rib. Lap.*), uti recentiores (cf. *Scholz*) ; LXX πρὸς προφήτας, *Syrus* et *Chald.* עִם *cum* prophetis. Ceterum עַל etiam vim לְ habet cf. Iob 22, 2 ; 33, 23.

Alb. idque praeplacet eo sensu, ut verba et actiones prophetarum a Deo superne regi ac disponi dicantur ; dum prophetae loquebantur, ego eram qui superne loquebar, vox prophetarum vox Dei erat coelitus allata. Praeter verba prophetas docuit *visionibus,* quas imaginarias et intellectuales distinguunt (cf. *Alb. S. Thom.* 2, 2, qu. 173) et in quibus rerum symbola menti prophetae proponebantur atque res futurae adumbrabantur. Praeterea prophetae *actionibus* symbolicis *externe peractis* populum docere iubebantur (cf. cp. 1. 3. Is. 20, 1. Ier. 13. 16. 19. etc. Ez. 4. 12. etc.). Eas quoque hic indicari, interpretes iure censent ; et alii quidem ad *visiones* eas referunt (cf. *Theod. Theoph.*), alii in tertio membro eas exprimi volunt (cf. *Alb. Sanct.*). « Nota hebraismum : *in manu prophetarum* i. e. per prophetas, quasi per meum organum et instrumentum, ergo ministerio, opera, sermonibus prophetarum *assimilatus sum* » (*Lap.*). Quid sibi velit *assimilari* in textu *lat.* — idem in graeco ὡμοιώθην et apud *Syrum* — optime explicare videtur *Tir.* : « adumbratus et repraesentatus sum tibi, quis, quantus, qualis sim, quid item a te velim, quid mihi debeatur » (sim. *Lap.*).

Ceterum in varias explicationes abeunt. Et *S. Hier.* quidem ita : « ego enim sum qui per omnes prophetas et varia genera visionum assimilatus sum hominibus et te ad poenitentiam provocavi » ; *Ps. Ruf.* Dei apparitiones sub variis formis — sim. *Theod. Theoph.* — et actiones typicas intelligit, quibus novi testamenti mysteria et Dei operationes significabantur ; v. g. Deum personam induisse invalidi luctatoris, in ignem esse transfiguratum, quo rubus non consumeretur, agni sanguine Israelitarum limina communisse, « ut appareret videlicet Deus noster in his imaginibus, quas dispensatio suscepta poscebat, non quae maiestati illius competebant ». *Rup.* opera illa dici vult, quae Dei quasdam similitudines prae se ferrent ; *Rib.* varias similitudines exponit, quibus usi sunt prophetae, Deum patri, regi, amico, pastori, leoni comparantes. *Alb.* et *Sanct.* actiones symbolicas exprimi putant, quibus Dei voluntatem explicaverint ; *Sa* similitudines et figuras, *Mar.* parabolas et rerum futurarum imagines intelligit. *Cyr.* demum id de pseudoprophetis exponit : « imitati sunt me . . meos sermones fingentes, meorumque prophetarum opera imitantes ».

In hebr. legitur אֲדַמֶּה [1] ; explicant : *similitudines proposui*, *in parabolis locutus sum* (cf. *Rib. Sanct. Keil*, *Scholz*, *Trochon*) ; at vox aliis in locis non est nisi *assimilare*, *comparationem instituere* (cf. Is. 40, 18 ; 46, 5. Cant. 1, 9) *mente pertractare* (Is. 10, 7. Ps. 48, 10 ; 50, 21 hebr. Iud. 20, 5) ; unde potius cum דְמוּת quam cum משל vox erit conferenda (cf. *Schegg*) et explicanda : *similitudinem exhibui* i. e. rerum symbola dedi per prophetas. LXX et *S. Hier.* et *Syrus* videntur legisse formam *hithpael* אדּמה ? — *Chald.* vertit : « *misi* in manu prophetarum ».

1. Tempus imperf. cum perfecto iunctum exprimit, quam frequenter per omnem temporis cursum res illae acciderint (cf. *Scholz*).

Sed quid cura Dei et institutio tam assidua valuit apud populum durae cervicis? v. 11 « *si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes ; nam et altaria eorum quasi acervi super sulcos agri* ». —

Bene exorditur explicationem versus *Sanct.* : « hic locus mihi valde videtur esse difficilis » ; veterum plerique rem *historice* explanant : si Galaad idolum habet et colit et tamen servari non potuit ab eversione, ergo operam perdunt ii, qui in Galgalis immolant bobus ; vel Galgala alieno periculo non didicit frustra se salutem exspectare a vitulis, quamvis cerneret aras idolorum eversas conculcari, quasi agrorum sulcos (cf. *Rib. Sanct. Lap. Mar. Men. Tir. Calm.*) ; rem scil. 4 Reg. 15, 29 narratam, varias urbes, inter quas Galaad, a Theglathphalasar esse captas et habitatores in Assyriam translatos, hic tangi. Explicationi suffragatur textus graecus : εἰ μὴ Γαλαάγ ἔστιν, ἄρα ψευδεῖς ἦσαν.. cf. *Cyr. Theoph.* et, ut videtur, *Chald.* : si in Gilead oppressores erant. Ita *Schegg* quoque. *S. Hier.* autem ad illum eventum verba non refert, sed id dici existimat, et decem tribus et duas pari idololatriae errore esse deceptas : « *si in Galaad* falsi sunt dii et perversa religio et est trans Iordanem, ergo et Galgal, de qua in hoc eodem propheta legimus : *omnis malitia eorum in Galgala* ». Aliter *Ps. Ruf.* : « *si* sententiam convincentis induxit ; i. e. cum nulli sit dubium solas esse in ipsis locis brutarum pecudum imagines collocatas, credereturne hoc committi posse (*tamen*), antequam fieret, ut apertam stultitiam.... plebs quondam virtutibus clara sequeretur et idola *frustra* i. e. absque ulla vel brevis commodi utilitate susciperet » ? Legit non *ergo*, sed *tamen* ; uti etiam legunt *Rup. Haimo* (in explicatione) aliique testes multi (vide v. g. notationem *Lucae Brugensis* ; correctores autem romani *ergo* praetulerunt), idque magis consonat cum hebr. אַךְ (cf. *Lap.*) : *certe, verumtamen, tantummodo.*

Sensus erit : si Galaad est אָוֶן i. e. *iniquitas* (cf. 6, 8 : « Galaad civitas operantium iniquitatem »), tota iniquitati dedita, tunc quia talis est, evanidi sunt, funditus peribunt, neque aliquid aliud Galaad iis afferet. Et quantopere hanc sortem mereantur, declarat addens : *in Galgal bobus immolant* (hebr.), sacrificia offerunt. Commodior etiam sensus elicitur, si particulam אִם eo modo explicamus, quo *Ps. Ruf. si* accepit : *profecto,* certo *Galaad est inanis, tantummodo evanidi sunt in Galgal ; bobus sacrificia immolant,* uti *Scholz* vertit et coniungit. Brevi ac conciso modo et magna cum indignatione praecipuas idololatriae sedes Deus commemorat et quod indignitatis caput est, addit : *bobus* fieri sacrificia. Ita cum *S. Hier.* verti debere, non *boves immolant* (*Keil*), [1] res ipsa cla-

1. In hebr. בַּגִּלְגָּל שְׁוָרִים fortasse ל ante שורים propter praecedentem consonantem eandem excidit. Secundum cod. syr. hexapl. *Aq.* illud ל legisse dicendus est (cf. p. 177, nota *K*). Ipsa punctatione inusitata (— *S. Hier. surim* legi ait —) eandem acceptionem innui censet *Scholz,* scil. *bobus* tamquam diis sacra fieri. LXX legebant שׂרים ἄρχοντες, uti

mat; nam id est idololatriae et stultitiae culmen, quod *vitulos* adorant, iis sacra faciunt; et *post* praecedentem reprehensionem haec gradatio omnino exspectatur.

Tertium denique membrum est: *etiam altaria eorum*.. (hebr.) *quasi acervi*, in גַּלִּים esse allusionem ad Galgal iam adnotat *Mar.* Ea comparatione exprimi altarium frequentiam *Rup.* et *Scholz* censent; alii vilitatem et contemptum signari dicunt (cf. *Sanct.*), alii ad destructionem futuram referunt: fore, ut arae evertantur et locus aretur (cf. *Ephr. Alb. Rib. Sa, Keil, Schegg*). Sed cum in duobus membris antecedentibus non *praedictionem*, sed praesentis conditionis reprehensionem agnovimus, etiam in hoc membro ararum totiusque cultus vilitatem, contemptum exprimi censemus, qui in eo quoque cernitur, quod *frequenter* vilia huiusmodi altaria erexerint, cum in verae religionis reverentiam uno in loco tantum aram exstrui liceret. Idolorum altaria acervis lapidum comparantur eo rectius, quia aliquot lapidibus erectis ac superimpositis honos idolis habebatur (cf. *von Haneberg,* Die religiœsen Alterthümer der Bibel p. 77). Quare haud abs re adnotat *Ps. Ruf.*: « consequenter profanos ritus observationum quoque vilitas ipsa convincit, ut sine aliquo locorum delectu aras exstruant et probrosos deos tumultuaribus venerentur altaribus ».

Heu, quantum ab exemplo patris, cuius tamen nomine vocantur, degenerarunt! « Quia non historicae narrationis tenore commemorationem intulit antiquorum, sed sub impetu et dolore degeneres posteros arguendi recoluit facta maiorum, ideo quasi fluctuabundus sermo progreditur, ut invicem sibi exprobratio laudatioque succedat, obiurgationique pondus praedicatio antiquae nobilitatis adiungat; proinde, ut instituerat, labores beati Iacob proventusque dinumerat » (*Ps. Ruf.*). v. 12 « *fugit Iacob in regionem Syriae et servivit Israel in uxorem, et in uxorem servavit* »; — hebr. *fugit in campum Aram* [1] *et servavit* שָׁמַר i. e. oves, greges custodivit, cf. Gen. 29, 18 et seq. et eandem vocem habes 30, 31. Propheta Iacob patris pietatem et duros labores et patientiam describit. Nam parentum hortatu: « noli accipere coniugem de genere Chanaan » (Gen. 28, 1. 6) ex obedientia profectus est; « maluit uxorem iuxta beneplacitum Dei, patris ac matris, propria servitute acquirere, quam filias Chanaan ducere cum offensione... quae possent illi

---

iam *S. Hier.* advertit; altaria autem ὡς χελῶναι (גַּלִּים) ἐπὶ χέρσον ἀγροῦ. *Sym.* ut refert *Hier.* *acervos lapidum* interpretatus est et *Theod.* *colles*; eadem refert *Barh.* Notat *Cyr.* χελώνας dici non animalia, sed aggeres ad aquam in colles adducendam excitatos.

1. I. e. regionis, quae אֲרַם נַהֲרַיִם Mesopotamia et פַּדַּן אֲרָם campus Aram vocatur cf. Gen. 24, 10; 25, 20; 28, 2. 6. 7; 31, 18. Deut. 23, 5 etc.

scandalum esse et causa peccati.. cur *fugit?* videlicet ne quando ad eiusmodi perduceretur altaria per mulieres Chanaan »; ita praeclare *Rup.* et sim. *Theod. Alb. Rib.* Simul quia fratris odium fugit, cum pietate, obedientia virtutem quoque patientiae exercet. Ille fugit idololatriae periculum, porro adnotat *Rup.,* isti autem contra de Galaad in Galgal, de Galgal in Galaad cursitabant quaerendo et sequendo idola.

Rem sane miram, promissionum magnificarum heredem eumque qui caput futurus erat populi electi, duram servire servitutem et in laborioso gregum custodiendorum munere tamdiu sudare, propheta ipso sermone effert : addit nomen honorificentissimum *Israel,* quod postea accepit quia in Deum praevaluit, ut innuat, etsi quis potens sit apud Deum et dilectus, eum tamen minime a laboribus et humili conditione statim eximi; repetit *in uxorem servivit, in uxorem servavit :* quanti constitit, ut *pater* populi fieret! *Servivit,* quasi egenus et pauper, ut illi, qui proprio labore pretium, quo mulierem a parentibus sibi emant, comparare debent (sim. *Ephr. Barh.*). In repetitione alii duas signari volunt uxores, Liam et Rachel (cf. *Hier. Alb. Rib. Lap.*).

Praeter virtutum exercitium in hac historia Dei paterna cura, sedulitas, providentia cernitur (cf. *Rib. Sanct. Lap.*), « a parvis enim exordiis et adeo parvis, ut opere mercenario pasceretur, usque ad eam magnitudinem populi divitiarumque pervenit, ut eum iam Aegyptus tota quodammodo capere non valeret » (*Ps. Ruf.*). Multiplex igitur populi degenerati in eo exemplo reprehensio continetur idololatriae, ignaviae, luxuriae, apostasiae; magnusque simul pudor incutitur, quia talem Dei curam ac dignationem neglexerint (cf. *Cyr.*). Hanc miram providentiam et praedilectionem illustrat v. 13 « *in propheta autem eduxit Dominus Israel de Aegypto et in propheta servatus est* »; — quantopere Israel a patris pauperis conditione mutatus est; ille *fugit,*hic manu potenti et insignibus miraculis educitur per prophetam Moysen a Deo missum; ille *servivit,* hic gloriose in libertatem vindicatur; ille *servavit* gregem ovium, hic servatur et custoditur a Deo per prophetam. Et tunc quidem Israel vocem Domini audivit et ei obsecutus est et secutus Dominum vocantem (cf. Ier. 2, 2. Ez. 16, 7-14). At nunc —! « quae ergo erit satis digna conquestio, quod gens quae fuerit tam illustri stirpe conspicua, nunc stultitia insignis, et solis agat famosa criminibus » (*Ps. Ruf.*)?

Unde e diametro opponitur v. 14 « *ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis; et sanguis eius super eum veniet et opprobrium eius restituet ei Dominus suus* »; — explicat *S. Hier.* : « cum ergo Ephraim tanta praestiterim.... deseruit me Ephraim, immo ad iracundiam provocavit, et amaritudine sua amarum fecit esse qui dulcis sum. Unde sanguis eius super eum veniet, id est, ipse erit causa mortis

suae. Quodque sequitur : *et opprobrium eius*.. illi sensui congruit, quem Nathan loquitur ad David (2 Reg. 12, 14), ipsa blasphemia atque opprobrium, quo per te Dominus blasphematus est, vertetur in caput tuum ». Unde simul elucet, quomodo S. Doctor singula intelligi velit.

Hebr. תַּמְרוּרִים accusativum adverbialem explicant, qui vim verbi augeat : *valde et acerbe* me ad iram provocavit Ephraim (cf. *Hitz. Keil, Schegg*), neque id a grammatica hebr. alienum est (cf. *Gesenius-Roediger*, hebr. Gr. §. 116. 135. 136) — aliter *Scholz*, qui ex Ier. 31, 21 vocem eandem habere significationem quam גַּלִּים coniectat : Ephraim signis illis idololatricis me offendit, columnis scil. erectis et lapidum acervis in deorum honorem congestis ; sed l. c. cippi vel obelisci, vel generatim signa quaedam ita dicuntur posita ad viam denuo cognoscendam et rite inveniendam ; esse idololatriae signa, nullo indicio constat. Veteres e contra versiones cum *S. Hier.* fere consentiunt : LXX καὶ παρώργισεν ; *Syrus :* « iram et amaritudinem excitavit Ephraim » ; *Chald. :* « ad iracundiam provocant peccata addentes » ; unde patet eos ita explicasse, ut vim verbi augeat vox apposita.

Sanguis i. e. innocentium oppressio et caedes vindicabitur a Domino ; iniustitiae poenas luent (cf. 1, 4 ; 4, 2). In hebr. *sanguis sese extendat super eum,* נָטַשׁ cf. 1 Sam. 4, 2 ; 30, 16 vel *Dominus relinquet sanguinem eius super eum,* ut scil. caedes expiet ; et *opprobrium* i. e. probrosa peccata, quibus se Ephraim inquinavit, *Dominus ei reddet* (cf. *Alb. Mar.*) ; alii opprobrium, quo Deum affecerit, explanant, hoc, i. e. supplicium ei debitum inducet Dominus in caput auctoris (cf. *Hier. Cyr. Rib. Lap. Sa, Men.*), ut sicut Ephraim Dominum opprobriis affecit, ita Dominus ei adducat ignominiam et opprobrium servitutis et abiectionis. Cum enim peccatum necessario poenas gignat, apte ipsum illud opprobrium adducere vel reducere super illum Deus dicitur i. e. sinit peccatum nancisci debitum effectum et peccatores sibi ipsis esse fabricatores malorum docet.

d) **Prostratos Dominus tamen non plane abiicit 13, 1 - 5.**

Dixerat, quid Deus patri, quid populo iuveni praestitisset ; iam ulteriorem historiam brevi complectitur : fuit Ephraim tribus potentissima ; at per idololatriam misere cecidit ; ita v. 1 « *Loquente Ephraim horror invasit Israel et deliquit in Baal et mortuus est* » ; — prioris membri sensum expressit *S. Hier. ;* hebr. vertes *: simul ac loquebatur Ephraim, horror* (exstitit) ; *exaltatus erat* [1] *ipse in Israel ;* sim. *Syrus :* « factus est magnus in Israel », et *Chald. :* « dum aliquis de domo Ephraim lo-

---

1. נָשָׂא hac notione cf. Nah. 1, 5. Hab. 1, 3. Forte alludit ad נָשִׂיא *princeps tribus* Num. 4, 34 ; 7, 10 ; 34, 18 etc.

queretur, terror apprehendit populos; exaltati erant [1] in Israel ». Tempus *iudicum* propheta dicit, quo Ephraim numero, potentia, auctoritate eminebat (cf. Iud. 8, 1 etc. 12, 1 etc. et postea etiam cf. 4 Reg. 14, 9 et seq. etc.) — at mox idololatria infecti sunt, Baal coluerunt (cf. Iud. 2, 11-13). Inde *mortuus est,* interiit, ruinae se obnoxium reddidit, vitam et vigorem funditus evertit. Iustitia enim fundamentum est regnorum, miseros autem populos reddit peccatum. Cogita varias calamitates, oppressiones in libro Iud. enarratas et 1 Reg. 4 cladem a Philisthiim illatam, qua *arca Domini* in hostium potestatem venit. Hisce Ephraim principatu et priore dignitatis loco destitutus est (*Scholz*).

Neque tamen ea poena resipuit : v. 2 « *et nunc addiderunt ad peccandum, feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum; factura artificum totum est*; *his ipsi dicunt: immolate homines vitulos adorantes* » . — Idololatriam, vitulorum cultum a Ieroboam introductum propheta designat, quo apostasiam a Domino et regno Dei instituto admiserunt, quod est praecipua ratione et dicitur *peccatum* Israel (cf. 3 Reg. 12, 28. 30; 14, 16. 4 Reg. 10, 29 etc.). Rei indignitatem proponit dicens *de argento suo* et *factura artificum totum est;* i. e. idola *nihil* sunt; cultores iis tribuunt, ut fiant et exsistant, largientes materiam et operam et artem impendentes; unde fit, ut totum idolum nihil sit, nisi inanis quaedam effigies, hominum industria elaborata; huc omnis gloria, potentia, terror idolorum recidit. *Conflatile* cf. Ex. 32, 4. 8; de idolorum confectione cf. Is. 40, 19; 44, 9-20. Ier. 10, 3. Baruch cp. 6. Sap. 13, 10; 14, 1 etc. Et haec simulacra fecerunt sibi *quasi similitudinem idolorum* i. e. in iis numinis effigies, similitudo, repraesentatio agnoscebatur. Patet vatis irrisio et exsufflatio idololatrarum, dum simulacra illa belluina, foeda, horrida *similitudines* numinis colendi vocantur (cf. *Schegg*).

In hebr. legitur בִּתְבוּנָם *in intelligentia sua idola,* uti iam veteres vertunt (cf. *Rib. Sanct. Lap. Mar.)*; explicant a תְּבוּנָה quasi formam abbreviatam pro תבונתם — varia de hac re cf. apud *Scholz* — sensus est : tota ratio, cur simulacrum vel idolum exsistat, est hominis mens et ratio, qua tale sibi fingit; vel nisi homo artem et intelligentiam suam adhiberet, actum esset de idolo. Alii vero explicant : faciunt simulacra secundum sententiam, seu consilium suum i. e. ut quisquis excogitavit (cf. *Sanct.*); at minus apte, quia idolorum simulacra non pro artificis arbitratu, verum pro more antiquo ac consuetudine inolita formabantur. LXX vertunt κατ' εἰκόνα; *Syrus* et *Chald. : in similitudine;* quare coniectura *Sanct.* non est omnino spernenda consentis, illos vocem a בנה *aedificare, fabricare* derivasse. Uti LXX (κατὰ), *Chald.* (?) *vulg.* (*quasi*), ita et codices hebr. plerique et editiones sollerter [2] factae legunt כ (cf. apud *de Rossi*), uti etiam codex babylonicus.

---

1. מִתְרַבְרְבִין cf. Num. 16, 3, ubi ita hebr. hithpael verbi נָשָׂא declaratur.

2. Vide v. g. editionem quam adornavit *Baer* : liber duodecim prophetarum, textum ma-

Quod sequitur : *his ipsi dicunt...* in omni textu difficultate non caret. Textum latinum explanant vel : sacerdotes et principes adhortantur : vos, homines, offerte sacrificia ; scil. « ut vitulis ratione sensuque carentibus supplicent homines, precum ac victimarum oblatione famulantes » (*Ps. Ruf.* sim. *Sanct.*) ; vel praeterea : immolate ! *homines* cum sint, tamen vitulos adorant (cf. *Alb.*) ; vel demum : ipsos homines offerte et caedite victimas ; ita LXX θύσατε ἀνθρώπους et graeci interpretes ; praeterea *Ephr. Hier. Haimo, Rup. Rib. Lap. Schegg, Trochon.* Sacrificia humana facta fuisse certum est in cultu Moloch (cf. 4 Reg. 17, 17. Ez. 23, 37). Quare in hac explicatione cum vitulorum cultu aliud idololatriae genus adfuisse propheta coarguit, et fatale illud studium castigat omnes gentium abominationes sedulo imitandi. Hic sensus accusationem v. 1 auget, rebus gestis et moribus Israelitarum congruit, et minas poenamque in versu subsequente optime praeparat. *His ipsi dicunt* erit explicandum : de his scil. idolis, quod attinet ad idola, dicunt etc. ; nam principes ac plebem ibi indicari nullo demum vestigio apparet.

LXX in altero membro habent : μόσχοι γὰρ ἐκλελοίπασιν. Textum hebr. verte : *iis* (scil. idolis) *ipsi supplicantes ; immolantes homines, vitulos osculantur ;* אמר ad idola *loqui* hoc loco ex contextu facile ad supplicandi vel adorandi notionem deflecti potest (cf. *Scholz*) ; alias illud להם difficile explicatur, neque commode ad antecedentia trahi potest, uti LXX coniungunt ἔργα τεκτόνων συντετελεσμένα αὐτοῖς. זֹבְחֵי אָדָם etiam verti potest : immolantes inter homines, vel homines qui immolant (cf. Is. 29, 19. 1 Sam. 17, 40), ita ut cum emphasi rei indignitas notetur, quia *homines* ratione praediti sacrificia offerunt simulacris arte humana factis et *vitulos* venerentur osculo ; « qui enim adorant, solent deosculari manum suam, quod Iob fecisse se negat, Iob 31, 27. 28 » (*Hier.*), de qua re plura hic vide apud *Sanct.* et apud *Pinedam* Iobi locum explicantem. Praeterea notat *S. Hier.* : « pro eo quod iuxta *Sym.* et *Theod.* vertimus *adorantes, Aq.* interpretatus est καταφιλοῦντες *deosculantes* ». Eodem teste *Sym.* interpretatus est : « *immolate, homines vitulos adorent*, ut sit sensus : immolate, hoc est sacrificate idolis, et hucusque distinctio sequatur : rationale animal, homines, adorent vitulos, muta animantia ». Ceterum verba *Sym.* feruntur : μόσχους προσκυνήσατε (in fragmentis Hexapl.) [1]. — *Syrus* in utroque membro vertit participium : sacrificantes homines et vitulos osculantes ; item *Chald.* : pseudoprophetae sacrificantes operi manuum hominum et tauros vitulis mactantes. — LXX et S. Hier. certe legerunt זבחו, quae lectio verbo *dicentes* praecedente exigitur, nisi אמר notione potius inusitata *adorandi, supplicandi* accipiatur. *Syrus* tamen per exclamationem vertit : dicebant eis , immolantes homines.... In tanta varietate quid Osee scripserit dicere vel coniicere non ausim.

Sceleri poenam denuntiat : umbram et nihilum sequuntur ; pari ratione

---

soreticum accuratissime expressit, e fontibus masorae varie illustravit, notis criticis confirmavit *S. Baer*, Lipsiae 1878.

1. In cod. syr. hexapl. προσκυνήσουσι. *Theod.* προσκυνήσεσθε.

peribunt, nam qui adhaeret creaturae cadet cum labili, quanto magis qui inania simulacra veneratur? v. 3 « *idcirco erunt quasi nubes matutina et sicut ros matutinus praeteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area et sicut fumus de fumario* » ; — « quae omnia videntur ad tempus et subito dilabuntur, iuxta illud quod dixerat 10, 7; 11, 1 » (*Hier.*); cf. 6, 4. Comparationibus utitur *quattuor*; longior haec poenae intimatio et aliquid habet sollemnitatis et vastationis certitudinem magnitudinemque enuntiat. *Nubes matutina* cito a sole oriente dissoluta et dispulsa evanescit; *rorem* sol matutinus statim sorbet, siccat, aufert; *pulverem* intellige non arenae, nec terrae, sed palearum frumenti triturati, puta glumam et quisquilias palearum (has enim significat hebr. מֹץ), quas ventus turbinis rapit ex area, in loco aperto, alto, ventis pervio collocata et huc illucque difflat. *Fumus* de fumibulo propulsus statim tenues vanescit in auras (*Lap.*); *sicut deficit fumus deficiant* Ps. 67, 2.

De versione LXX haec monet *S. Hier.* : « quaerimus, quare LXX pro *fumario*, quod *Theod.* transtulit καπνοδόχην [1], *locustas* interpretati sint? Apud Hebraeos locusta et fumarium iisdem scribitur literis : *alef, res, beth, he*. Quod si legatur *arbe* (אַרְבֶּה) *locusta* dicitur, si *orobba* (אֲרֻבָּה) [2] *fumarium*, pro quo *Aq.* καταράκτην *Sym.* *foramen* interpretati sunt. Cataractam autem proprie vocat foramen in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur ».

At eorum ruina non erit perpetua; « numquid sic offenderunt ut caderent? absit » (Rom. 11, 11)! Uti in hac parte fit, instaurationis promissio immediate ruinae subiungitur (cf. 11, 8 ; 12, 9) v. 4 « *ego autem Dominus Deus tuus ex terra Aegypti, et Deum absque me nescies et salvator non est praeter me* » ; — mirabilia, quae olim pro populo patravit, simul pignora sunt, quibus Deus fidem suam obligavit, ne funditus perdat populum rebellem sed spem instaurationis ostendat. Se profitetur unum Deum et salvatorem, quem populus uti olim in Aegypto expertus est vel *scivit* (cf. Ex. 6, 7), iterum salutis largitorem experietur, neque enim est aliud nomen, in quo nos oporteat salvos fieri; cf. Is. 43, 11 ; 63, 16 ; 64, 4 (hebr.). Deus igitur fidelitatem, potentiam, clementiam suam et hominum salutis desiderium proponit; idque denuo confirmat v. 5 « *ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis* » ; — LXX ἐποίμαινόν σε. *Cognovi* notitia scil. dilectionis, electionis, beneficiorum (*Alb.*), dilexi te

1. Ita *Cyr.* quoque et *Theoph.* habent, et codex alexandrinus; ἀτμὶς ἀπὸ ἀκρίδων explicant : ut levis vapor brevi apparens a locustarum volatu (*Theod. M.*), vel : vaporem in aere excitatum grex locustarum adveniens dissolvit (*Theod.*) — alii demum legunt ἀπὸ δακρύων (cod. vatic.).

2. Proprie *cancelli, clathri,* opus reticulatum; unde *fenestra* Eccl. 12, 3 ; *columbarium* Is. 60, 8 etc. cf. Gen. 7, 11 ; 8, 2. 2 Reg. 7, 19.

(*Haimo*). Desertum, terram sterilem, « inhabitabilem (LXX), ubi rerum omnium penuria, ubi nullae aquae » (*Hier.*), terram siccitatum vel *ardorum* (hebr.) commemorat, ut plurima illa et stupenda miracula in memoriam revocet, quibus populum numerosissimum servaverit, aluerit, ornaverit. Tantus utique labor non erit cassus! Sed tantae etiam molis erat theocratiam condere.

e) Destitutos Dominus non destituet 13, 6-15 a,

Denuo « castigat Israelitas, qui ex rebus admodum florentibus et secundis omnia ipsis vitae praesidia suppeditantis et quibuscumque conspicuis lucem suam dare scientis obliti sint, quamquam claris verbis lex eos praemonuerit Deut. 8, 11 - 15 » (*Cyr.*). Uti 10, 1, bonorum abundantiam in peccata ab iis esse conversam conqueritur v. 6 « *Iuxta pascua sua adimpleti sunt et saturati sunt et levaverunt cor suum et obliti sunt mei* »; — i. e. *secundum* abundantiam pascuorum; populus Dei est grex Domini, quem in optimis pascuis collocavit, in terra fertilissima, et cui prosperum rerum successum saepe concessit. At bonorum copia circumfluentes extolli coeperunt et *superbire* et Dei oblivisci, quasi eius opera non egerent (*Rib.*). In hebr. *secundum pascua eorum — et saturati sunt, saturati sunt*, eiusdem vocis repetitio vim auget. Verba sensum aperte referunt ex Deut. 8, 11 - 15; 31, 20; 32, 15: « incrassatus est dilectus et recalcitravit »; saturitas et divitiae *superbiam* gignunt, superbia, cordis elatio (Deut. 8, 14) Dei oblivionem et contemptum (cf. 2, 5); unde in hebr. *propterea mei sunt obliti*.

Ex eadem *gregis* metaphora poenae declarationem depromit v. 7 « *et ego ero eis quasi leaena, sicut pardus in via Assyriorum* »; — in hebr. *et fui iis* ... dicit scil. Deum iam saepius poenas exegisse; cf. 5, 14 *sicut leo*, qui fortitudine sua terrorem incutit; « leo rugiet, quis non timebit » (Am. 3, 8)? Unde hostiles exercitus et duces eorum leonibus etc. comparantur (cf. Is. 5, 29; 15, 9. Ier. 2, 15; 4, 7; 5, 6 etc.). Deus vero ipse iis comparatur, ut doceat « eas calamitates, quas erat illatura hostium barbaries, iubente se et esse et contingere; nec dedignatur commonitionem suam ferinis imaginibus explicare, quas et scit, licet non naturae suae sententiae, tamen damnatorum miseriae convenire » (*Ps. Ruf.*). Iis simul poenae acerbitatem depingit et a se hostes induci ac mitti tamquam sui iudicii administratores (cf. *Cyr. Theod. Theoph.*). *Pardus* propter velocitatem notus est, cf. Hab. 1, 8. Dan. 7, 6 et propter saevitiam, cf. Ier. 5, 6; *in via Assyriorum*, ita etiam LXX et *Syrus*; i. e. dum ab alienis auxilia et foedera peterent et supplices ad eos pergerent, calamitatibus opprimebantur; ista foedera et amicitiae male cedebant.

Si enim aliam meditantur aut ingrediuntur *viam,* quam quae a Deo iis praefigitur, occurret illis velut pardus hianti rictu et exsertis ungulis ad lacerandum (*Sanct.*) ; cf. 5, 13 ; 7, 11. 12 ; 8, 9. Sensus sane praeclarus : in via illa et itinere antitheocratico latere perniciem. Legerunt itaque אָשׁוּר ; textus *mas.* fert אָשׁוּר *insidiabor* [1] (cf. apud *Rib. Lap. Mar.*), ei concordat *Chald.*, quae sententia bene cum sequenti cohaeret ; v. 8 « *occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora iecoris eorum et consumam eos ibi quasi leo ; bestia agri scindet eos* » ; — uti olim punivit, ita puniet etiam in futuro ; id temporis mutatione indicatur in hebr. Et cum divina mansuetudine et prioribus castigationibus non profecerint (cf. *Cyr.*), *acerbiores* annuntiat. « Aiunt qui de bestiarum scripserunt naturis, inter omnes feras nihil esse ursa saevius cum perdiderit catulos » (*Hier.*) ; *interiora* i. e. disrumpam eorum universa vitalia, ut *S. Hier.* explicat. Vel distinctius *Sanct.* rem proponit : « hoc proprium est leonis, pardi, ursi, qui captam praedam foede dilacerant et eviscerant ; .. porro *interiora iecoris* praecordia sunt » (sim. *Lap. Tir.*). In hebr. *dirumpam claustrum cordis eorum* i. e. ea quae cor ambiunt ac tegunt, praecordia, pectus. Ea dilaceratio crudele mortis genus dicit ; proinde acerbissimam poenam minatur. LXX διαῤῥήξω συγκλεισμὸν καρδίας αὐτῶν, quam *conclusionem* audaciam (*Cyr. Theoph.*) vel cordis obdurationem (*Theod.*) exponunt, quam Deus immissis infortuniis sublaturus sit.

Dilaceratione facta eos iri devoratum illico ait ; *quasi leo* enumeratione et multiplicatione bestiarum terrorem et cladis magnitudinem auget (cf. 13, 3) et neminem posse effugere innuit (cf. Is. 24, 18). In eo quod sese quattuor bestiis comparat, *Rup.* quattuor regna signari vult, quibus Israelitarum natio conculcata et dispersa fuit. — Demum omnia complectens concludit : *bestia agri* ; cf. Lev. 26, 22. Deut. 32, 24 ; iis Deus utitur ad hostium cadavera dilaceranda, ad regiones eorum horrore et vastitate complendas ; cf. Is. 13, 21 ; 18, 6 ; 34, 11 ; 56, 9. Ier. 12, 9 ; 51, 37 etc.

Istis minis prolatis iam consequitur Israel sibi ipsi ruinam machinari ineluctabilem, spem vero salutis in uno Domino collocari ; ita v. 9 « *perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum* » ; — *S. Hier.* interpretationem suam ita explanat : « infelix Israel et dignus maledictione perpetua, qui in tantum impietatis descendit profundum, ut solius Dei

---

1. Cf. שׁוּר Ier. 5, 26 et forma שׁוֹרֵר Ps. 5, 9 ; 27, 11 ; 54, 7 ; 56, 3 ; 59, 11 (hebr.) in eadem significatione insidiatoris. Ceterum verbum hoc frequentius notionem *aspiciendi, advertendi* prae se fert. Quare lectio LXX, *Syri, Hier.* forte erit praeferenda, cui etiam codices hebr. aliqui et editiones multae suffragantur (cf. apud *de Rossi*).

salvetur misericordia. Potest autem in hebr. et hoc sensu legi : dispereas, quia nihil tibi reliquum est, nisi ut mea solum clementia conserveris ». Priori modo consentit *Ps. Ruf.* Rem magis in universum accipit *Sanct.* : quidquid populus aut patitur aut metuit mali, id eius peccatis esse tribuendum ; quare non esse cur Deum incuset, qui ut solus rebus afflictis possit esse subsidio, sic etiam ad auxiliandum pene cogente naturae bonitate semper paratus sit (sim. *Rib. Lap.*). Idque recte.

LXX vertunt : τῇ διαφθορᾷ σου Ἰσραὴλ τίς βοηθήσει ; proinde pro בִּי legerunt מִי et omisso כי non בעזרך sed יעזרך transtulerunt. *Cyr.* et *Theoph.* τῇ διασπορᾷ habent, at hebr. שחתך solum διαφθορὰ correspondet. Ceterum etiam textus hebr. varie accipitur. Quod fert textus mas. שִׁחֶתְךָ est — *perdidit te*, uti veteres iam agnoscunt, qui generatim supplent *vitulus* perdidit te *(cf. Sanct. Lap.)* ; recentiores aliqui ita sententiam absolvunt : perdidit te, quia (tu) contra me, contra auxilium tuum *(cf. Keil)* ; sensus utique est aptus, sed quis credet בי esse *contra me* ? *Syrus* in priore parte *verbum* quoque effert ; in altera legit uti LXX vel eos secutus est ; habet enim : *perdidi te. Israel, quis auxiliabitur tibi ? Chald.* longiore circumlocutione utitur : « cum vos (sitis) depravantes opera vestra, dominantur populi vobis » etc. — Alii שחתך ut *substantivum* vertunt (שַׁחַת ?), uti iam LXX et *S. Hier.*, et quidem vel : *perditio tua Israel est tantum in me, in auxilio tuo*, ut sit oxymoron : ego qui sum et esse volo auxilium tuum, debeo esse perditio tua, debeo te perdere propter peccata *(Schegg)* — sed id fortasse nimis argute et acute dicitur ! vel : perditio tibi ! quia in me, in auxilio tuo (est scil. auxilium tuum) ; fortasse ב in בעזרך per errorem adscribitur vel ex Deut. 33, 26 transsumptum est (cf. *Scholz*), nam de *beth essentiae* quod vocant minime erit cogitandum. Interrogatio, quam LXX efferunt, ad versum sequentem optime connectitur ; quare *Scholz* censet pro בי cum LXX et uno codice hebr. esse מי legendum : perditio super te, Israel ! quis erit tibi in auxilium ?

Quod vere tantummodo in ipso auxilium sit, increpando confirmat (*Rup.*) v. 10 « *ubi est rex tuus ? maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis ! et iudices tui, de quibus dixisti : da mihi regem et principes* » ! — in hebr. etiam maiore cum emphasi : *ubi est rex tuus, ubi* [1] *? et salvet te* . . . Bene expendit interrogationis vim *Rup.* : « vehementer vanam populi percutit aestimationem, qui regem sibi petivit, cum regem Deum haberet, et ab hoc percunctatur, ut ad considerandum excitet et scire faciat, quia tantummodo in Deo auxilium est ». Bis enim Dominum regem spreverunt, sibique regem constituerunt : prius cum a Samuel regem institui flagitarent (1 Reg. 8, 4 et seq. v. 7 « non enim te abiecerunt, sed me ne regnem super eos » — ita *Hier. Cyr. Theod. Theod. M. Barh. Lap. Mar.*), dein cum regem theocraticum denuo repudiarent Is-

---

1. אהי versiones veteres omnes h. l. *ubi* reddunt ; erit igitur forma forte provincialis pro איה. אפוא ad interrogationis vim augendam refertur, sicuti ποτέ, *tandem* : ergo *ubi tandem* ubi, dic quaeso et sim. cf. Gen. 27, 33. 37 *quis igitur* ? Ex. 33, 16. Is. 19, 10 cf. איפה ubinam ? ubi tandem ?

raelitae et sese scindentes a domo David proprium sibi regnum instituerent (cf. *Rup.*); haec apostasia malorum omnium erat ferax. *Iudices*, scil. regis magistratus, comites, aulae principes, qui regi sunt ab administratione et pompam regiam augent; cf. 1 Reg. 8, 12; et supra 7, 3. 5.

Petitioni importunae acquievit Deus; « vetus tibi est ista dementia, ut videlicet melius te tibi, quam me putes consulere, de cuius opinionis exordio principes tibi dari ad similitudinem reliquarum gentium postulasti. Nunc ergo consulentiae tuae fructus appareat et contra indignationem meam regum te tueatur industria; debebant nimirum docere te, quid prosint potestates istae tuis ambitionibus expetitae » (*Ps. Ruf.*). Regnum enim contra Dei voluntatem expetitum saluti iis minime fuit, sed demum regum impietate quam maxime adducebatur reipublicae ruina; quare v. 11 « *dabo tibi regem in furore meo et auferam in indignatione mea* »; — LXX καὶ ἔδωκα, sensum rite exprimunt; optime tamen utimur tempore praesenti, quia responsio Dei ad petitionem illam refertur. Regem *dat in furore*, quia praesciens malum quod reges operaturi sunt tamen populi postulationem admittit; mala illa adumbrantur 1 Reg. 8, 11-20. Propter allusionem, quae fit ad populi petitionem, rex qui datur a Deo, non potest rex Assur intelligi (*Ps. Ruf.* et apud *Sanct.*). Atque cur regem ablaturus sit et regnum disiecturus, rationem affert v. 12 « *colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius* »; — i. e. « quomodo si ligetur quid in sacculo, conservatur et non perit ei, cui ligatum est: sic omnis iniquitas qua in Deum peccavit Ephraim, colligata est ei et abscondita quasi in marsupio reservetur » (*Hier.*). Iram scil. sibi thesaurizarunt (Rom. 2, 5) et thesaurus iste iniquitatis signatus, conservatus apud Dominum et repositus diem ultionis exspectat (cf. Is. 8, 16); *absconditum peccatum* priorem partem explicat (cf. *Alb. Rib. Sanct.*), esse scil. in Domini quasi custodia et memoria alte repositum et conservatum; aliis placet: egisse peccatum altissimas in populo radices et profundissime omnes rerum conditiones penetrasse (cf. *Theod. Theod. M.*).

Iam indicat, ad quale iudicium iniquitas illa apud iustum iudicem reposita asservetur v. 13 « *dolores parturientis venient ei*; *ipse filius non sapiens; nunc enim non stabit in contritione filiorum* »; — partus dolores et acutissimi sunt et subito irruunt; aptam proinde suggerunt similitudinem afflictionis maximae [1]. Sed comparatio hoc loco eo magis est congrua, quia calamitate futura nova rerum instauratio quasi partus edi debet (cf. Mich. 4, 9. Is. 26, 17. Ier. 31, 9); ex excidio enim nova efflo-

---

1. Cf. Deut. 2, 25. Ps. 47, 7. Is. 13, 8; 21, 3. Ier. 4, 31; 6, 24; 13, 21; 22, 23; 49, 24. Ez. 30, 16 etc

rebit salus (cf. 2, 15; 3, 5). Ad quam tamen efficiendam populus ipse plane impar est ac impotens, ita ut ad unum Deum effectorem referri debeat. Hanc populi impotentiam, qua gratuitum Dei largitoris beneficium commendatur, altera parte describit propheta : *ipse filius non sapiens,* cum scil. Dei castigationem non ad resipiscentiam convertat, neque enim iudiciis, quae quasi praeambula erant ultimi excidii et ruinae regni, correpti ad meliorem frugem redierunt; quare per se et quantum ad se *non stabit in contritione filiorum* i. e. in interitu et ruina universali Ephraim non erit superstes, non per se firmiter stabit neque emerget; verum si qua spes supersit, « misericordia Domini, quia non sumus consumpti ». Ita quidem textus lat. et sim. LXX; « dum enim filii tui conterentur, nec ipse subsistet; capietur, servusque et captivus una cum aliis ad Assyrios migrabit » (*Cyr.*). Idem effert *Syrus* : « non stabit in doloribus filiorum ». Eandem populi ad salutem adducendam impotentiam optime adumbratam cernis in textu hebr. qui retenta imagine parturientis partum edi non posse i. e. filium suo tempore non apparere in orificio uteri significat : *quia tempus (est et) non stat in orificio uteri* (in matrice). Idem enim est sensus, eadem verba, quae habes Is. 37, 3 : « quia filii venerunt usque ad partum (מַשְׁבֵּר scil. ab uteri fractione, apertione dictum) et virtus non est pariendi » (cf. *Sanct. Lap. Mar. Schegg, Scholz*). Eandem metaphoram [1] indicat h. l. *Chaldaeus* [2].

Verum quod ab homine fieri nequit, a Deo servatore efficietur. Novus ille partus, instauratio illa, reditus ille a morte et ruina ad novam gratiae et cum Deo amicitiae vitam ab Omnipotente fiet. Id sollemni promissione ac laeto epinicio triumphantis in modum Deus *se* praestiturum spondet v. 14 « *de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne* »! — et etiam magis ad paeana expressum est in hebr. *de manu inferi liberabo eos, de morte redimam eos, ubi* [3] *pestes tuae, mors? ubi pernicies tua, inferne?* Verba sane amplissimam liberationem et redemptionem prae se ferunt ac promittunt. Angusta est nonnullorum interpretatio de liberatione a Sennacherib (*Ps. Ruf.*, quae nullo pacto congruit, cum de Ephraim sermo sit), vel ge-

---

1. Fortasse latinum *in contritione filiorum* eodem modo intelligi *potest* — in fractura filiorum ; orificium enim matricis in partu cedit ac disrumpitur, unde nomen משׁבר *fractura,* contritio? (vide quae adnotat *Foreiro* ad Is. 37, 3 —) ; sim. *Schegg* : filii conterunt uterum matris ; contritio — pressura.

2. LXX omissa negationis particula Ephraim dicunt φρόνιμος; id quod per ironiam dici ait *Cyr.*, per interrogationem autem legendum esse *Theod. Theod. M. Theod.* censent.

3. Est scil. אֱהִי eadem vox, quam v. 10 *Hier.* reddidit *ubi* ; eadem notione h. l. LXX ποῦ *Aq. Syrus.* — *Sym.* vero et *Chald.* et secundum cod. syr. hexapl. *Aq.* quoque et *Theod.* uti *S. Hier.* transtulerunt, formam אהי a verbo היה explicantes.

neratim ab Assur (*Theod. M. Barh.*); plerique de redemptione per Messiam afferenda explicant (cf. *Hier. Cyr. Rup. Alb. Sanct. Rib. Lap. Mar. Gord.*), et certe verba ita sunt conformata, ut plenissimam victoriam, plenissimam malorum reparationem, mortis abolitionem enuntient. Quare *summa* illorum impletio tunc habebitur, uti S. Paulus 1 Cor. 15, 55 [1] innuit, quando in resurrectione mortuorum omnis demum praeda, quam per tot saecula mors cepit, eidem eripietur corporibus omnibus resuscitatis. Verum ex isto impletionis culmine ad ipsa prophetae tempora et ad consolationem illam erit descendendum, quam suis aequalibus ac popularibus pro muneris prophetici ratione elargitus est. Illis sane theocratiae collapsae instaurationem, populi a faucibus mortis et interitus ereptionem per Dei potentiam praedicit. Bene enim monet *Sanct.* mortem et infernum (scheol) eadem notione h. l. dici; et *de manu mortis* i. e. « cum in tantam rerum difficultatem venerint, ut iniecta manu mors eos comprehendisse ac tenere videatur, tunc ego liberator adveniam » (*Ps. Ruf.*). Normam enim generalem Deus proponit; sed per quos gradus et quot liberationes suos demum ad ultimum ac felicissimum finem sit perducturus, non edicit. Unde reditus ex captivitate et liberatio illa ab interitu reipublicae israeliticae neque excludi debet neque ita asseri, ut ea in re totius impletionis ratio ponatur.

Merito igitur *Theod.* et *Theoph.* ea in reditu Iudaeorum typice facta dicunt, perfectum autem et verum finem sortita esse post Salvatoris resurrectionem; et *Lap.* scribit: « fateor tamen alludi hic ad liberationem e captivitate babylonica, ita tamen ut in ea non sistat propheta, sed eam obiter tantum quasi umbram perstringat et praetervolet ac mentis suae aciem scopumque figat in Christo »; sim *Tir.* et idem innuit *Ephr.* Atque prorsus apposite iam *Theod. et Theoph.* meminere, Ezechielem etiam resurrectionis mortuorum symbolo et involucro praemonstrasse populi ad novam vitam et gratiam suscitationem. Ceterum cf. 6, 2: « vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos et vivemus in conspectu eius ». Eadem promissio hoc loco ita proponitur, ut Deus de manu inferi et de morte eos erepturus dicatur; at simul promissio magis prominet, et excellentem quandam victoriam triumphumque insignem portendit, cum mortis et inferi irrisio et plena prostratio atque spoliatio subiungatur (id forma fit *chiastica* adeoque concinna): *ubi pestes tuae, mors?* i. e. ubi iam sunt terrores mortis, ubi iam arma illa et horrores et copiae quasi militares, quibus ingentem in genere humano edere stragem solebat? *ubi*

1. Verba affert ex Is. 25, 8 (cf. hebr.) et hoc prophetae loco (cf. *Sanct. Rib.*). — Ceterum multi codd. hebr. offerunt singularem quoque numerum: *ubi est mors pestis tua*, vel *perditio tua* (cf. de Rossi)? Ita quoque codex babylonicus.

pernicies tua, infere? ubi iam est excidium illud universale, quo omnes in scheol tamquam in carcerem mortis imperio praevalente detrusi continebantur? Carmine triumphali Deus insignem victoriam celebrat. Idem sensus adest in versione latina ; etiam magis Deus victor eminet : *ero mors tua, mors ;* mortem occidet, stirpitus evellet, abolebit ; id vero fiet, cum strages illa a morte edita reparatur, cum mortis imperium aufertur ; namque « mors dicitur vivere secundum actum mortis, qua mortificare potest et in morte detinere, quam potestatem amisit Christi morte, et ideo mortua dicitur esse » (*Alb.*) ; *morsus tuus ero, inferne* i. e. scheol vel mors, uti hucusque *morsu* vel aculeo et stimulo (LXX κέντρον — cf. 1 Cor. 15, 55) homines interfecit et ad mortuorum habitationem coegit, ita a Deo superabitur, spoliis collectis privabitur, omni vi destituetur atque ita prosternetur ut esse plane desinat (cf. *Sanct.*).

Carmine hoc triumphali refelluntur ii, qui primam versus partem per modum interrogationis legentes auxilium a Deo cum indignatione negari volunt, neque minus ii, qui conditionalem particulam subaudientes explicant : si Ephraim resipuisset, ego liberarem a morte (cf. apud *Sanct. Lap.*) ; promissio enim propter illum triumphum ostenditur esse absoluta.

De aliorum versionibus haec adnotat *S. Hier.* : « in eo loco, in quo LXX transtulerunt *ubi est causa tua* (scil. δίκη) ? et nos diximus *ero mors tua, Sym.* interpretatus est *ero plaga tua* ; quinta editio et *Aq. ubi sunt sermones tui?* quod hebr. scribitur *dabarach* (דְּבָרֶיךָ), legentes *dabar* hoc est *verbum*, pro *deber* quod interpretatur *mors*... pro aculeo quoque quem nos *morsum* transtulimus, *Sym.* ἀπάντημα id est *occursum, Theod.* et quinta editio *plagam* et *conclusionem* interpretati sunt ». *Syrus* vertit : *ubi iam est victoria tua, mors? ubi stimulus tuus, inferne?* Etiam in aliquibus exemplaribus graecis νίκη legi : ποῦ σου, θάνατε, ἡ νίκη ; pro δίκη *Theoph.* adnotat ; ita legisse etiam *S. Cyr.* censendus est [1], explicat enim : (ἡ ἁμαρτία) αὕτη γάρ ἐστιν ἡ τοῦ θανάτου νίκη καὶ τὸ κέντρον τοῦ ᾅδου. Et ad hanc lectionem proxime accedit textus allatus a S. Paulo : ποῦ σου θάνατε τὸ νῖκος; (1 Cor. 15, 55). Haec translatio derivanda est ex notione chaldaica דְּבַר ducem esse, regere, imperio subiicere, gubernare ; cf דַּבְּרָא *ductus, gubernatio* (cf. *Buxtorf, Levy,* Chald. Woerterb.), quare nulla alia lectio in hebr. statui potest. — *Chald.* totum versum magna cum libertate ita periphrastice declarat : « domum Israel de manu occisoris redemi et de exterminio erui eos ; tunc erit verbum meum iis in occisionem et effatum meum in exitium ; eo quod transgressi sunt legem meam, auferam gloriam meam (habitationem meam) e medio eorum ».

Promissionem hanc manere immutatam, sollemni assertione Deus confirmat immutabilitatem sui consilii proponens : *poenitudo abscondita*

---

1. In editione, qua utor, *Migne* Patrol. gr. *textus* fert δίκη ; at interpretatio adiecta quae est P. Iacobi Pontani S. I., habet : ubi victoria tua, mors? — Versio coptica : ubi est iudicium tuum, mors? ergo δίκη legit interpres.

est ab oculis meis (hebr. cf. *Mar. Scholz*) [1] i. e. promissionem se nunquam retractaturum spondet, uti Ps. 109, 4 : « iuravit Dominus et non poenitebit eum », praedictionem igitur esse *absolutam,* neque ulla hominum impietate fieri posse irritam. Idque Deus statim alio modo affirmat, asserens ex ipso nomine *Ephraim* fore, ut populus electus denuo ad statum florentem pertingat : *quia ipse inter fratres effloresce*t (fructum feret). Aperte alludit יַפְרִיא ad vocem אֶפְרַיִם (cf. Gen. 41, 52), uti *Sanct. Lap. Mar.* iam monent. Nomen igitur optimis auspiciis inditum non carebit effectu, in ipso nomine adest pignus instaurationis, quia *nomina* in sacris literis, praesertim si a Deo dantur, non inania sunt rerum simulacra, verum vel beneficiorum praesentium documenta vel vaticinia et omina futurorum.

Textus lat. vero vocem נֹחַם quae hoc solum loco invenitur alia significatione exprimit : « *consolatio abscondita est ab oculis meis* » ; — consentiunt LXX (παράκλησις) et *Syrus.* In explicatione autem interpretes multum variant. *S. Hier.* in ambiguo relinquit, utrum Dei an prophetae verba sint ; item *Haimo. S. Cyr.* per interrogationem legi vult. *Ps. Ruf.* causam ibi cernit expressam, quae indignationem illam et mortis punitionem commoverit. *Lap.* dici censet in hunc sensum : auferam ab illis omnem consolationem, auferendo meam praesentiam et consequenter omne bonum ; sim. *Men.* Isti igitur verba a Deo dici putant et prophetam post laetam promissionem ad tristia sui temporis fata redeuntem describere, per quas calamitates ad illam liberationem enitendum sit. Alii verba ibi agnoscunt prophetae ; vel hanc consolationem melioris spei et resurrectionis exspectationem Iudaeis fuisse occultam et generatim hominibus ignotam (*Theod. Theoph.*), vel quia ipse vates illam non sit visurus (*Alb.*), vel generatim prophetam lugere, quia sciat populum suum devotum esse cladi atque exsilio (*Rup. Rib. Sanct. Sa*). Idque ad verba latina optime congruere videtur. Revertitur igitur propheta ad populi cladem considerandam, bene gnarus, quam longe absint a salute et per quot quantasque tribulationes ad spem illam tendere debeant. Et addit causam moeroris v. 15 « *quia ipse inter fratres dividet* » ; i. e. — Deus disperdet Israel tribusque cognatas inter se separabit (*Theod. M. Mar.*) ; vel quia ipse Ephraim se separavit et regnum dissecat (*Sanct.*), vel quod aliis placet, quia mors et infernus dividet inter fratres et stragem edet (cf. *Alb. Rup. Men. Tir.*). Uti textus latinus est, etiam referri potest ad

1. נֹחַם ; נִחַם habere significationem *poenitendi* certum est in forma *niphal* ; generatim animi commotionem misericordia et miseratione plenam significat, quare etiam consolandi notio verbo inest ; cf. 11, 8 נִחוּם.

sententiam sequentem : quia Ephraim fecit schisma et divisit se a fratribus et regnum dissecuit, idcirco adducet Deus ventum urentem (*Lap.*). Atque id versuum distinctione et interpunctione, quae in *vulg.* cernitur adoptata, commendatur.

LXX vertunt : ἀνὰ μέσον ἀδελφῶν διαστελεῖ. Notionem *separandi* etiam *S. Cyr.* agnoscit [1]; eandem *Syrus* exprimit; unde versiones istae in hebr. יפריד legisse videntur *(Lap.)*.

IV. — QUARTA ANNUNTIATIO 13, 15 — 14-10.

ARG. — Breviter iudicium venturum imagine tempestatis proponit et ruinam Samariae et caedem commemorat futuram. Hisce adnectit adhortationem, ut ruinae causa remota ad Deum sese convertant, et modum docet conversionis : scil. Deus est humiliter exorandus et omnis spes ac fiducia humana abiicienda (13, 15 - 14, 4). Quodsi hoc modo ad Deum revertantur, pollicetur, Deum abundantissime eorum necessitatibus occursurum ; fore, ut Israel denuo efflorescat, ut dilatetur, ut aliis salutem afferat (14, 5-9). Concludit propheta monens, ut vaticinia attendant, inde erudiantur ; esse enim vias Domini rectas in se, iustis in salutem, in ruinam peccatoribus (v. 10).

Duo praeprimis in hac oratione eminent : a*)* modum inculcat propheta, quo ad Deum redire debeant v. 3, 4 ; b*)* salus messianica, gratia Dei salutisque laeta diffusio et fructus salutares egregie proponuntur (14, 5 et seq.).

a) In calamitate Deus est exorandus 13, 15 - 14, 4.

Vastitatem futuram et quae sint eius causae, in antecedentibus saepius docuit. Hic calamitatem sub symbolo venti urentis et exsiccantis omnia breviter ac nervose depingit, ut post eam demonstret viam ad instaurationem eiusque gloriam et laetitiam ex opposita ruina illustret. Unde v. 15 « *Adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, et siccabit venas eius et desolabit fontem eius, et ipse diripiet thesaurum*

---

1. *Scholz* ex usu verbi διαστέλλειν Lev. 5, 4 coniicit, hoc loco usurpari pro *vovere vota* ita ut preces et vota quasi *fructus* labiorum (cf. 14, 3. Is. 57, 9) dicantur et Ephraim declaret, qua ratione velit esse *fructum* afferens ; eo modo apud LXX eandem lectionem hebr. supponi debere. — At cum *graeci* interpretes tantum separandi notionem invenerint, eamque et *Syr.* et *Hier.* efferant, vix de lectione יפריד dubitari potest. Aeque certum tamen est, lectionem *mas.* meliorem et uberiorem suppeditare sensum ; פרא pro פרה vel adhibetur ut allusio sit manifestior vel est forma dialectica.

omnis vasis desiderabilis » ; — ventus [1] a Domino missus dicitur, quia tamquam Dei minister et iustitiae divinae administrator et regioni et hominibus perniciem affert [2] ; *de deserto ascendens* i. e. ex terra horribili, horrorem et mortem afferens (cf. Is. 21, 1. Iob 1, 19), et quia ventus orientalis ex regionibus aridis flabat et sole adustis, unde quam maxime noxius erat atque molestus et saepe arenae calidissimae copiam ingentem secum afferebat. Quare apte dicitur per hyperbolen ipsas aquarum venas, rivulos eorumque origines, fontes quibus perpetuo aluntur, *exsiccare,* ut omne prioris formae ac fertilitatis antiquae vestigium plane exstinguatur (cf. *Sanct.*). Terra ita exusta et aquarum scaturigine privata iam nullius plantae ferax est ; ita Ephraim *de se* reflorescere post cladem nullo modo poterit. Eadem eversio rerumque destructio altera imagine exhibetur *et diripiet...* quaecumque pretiosa sunt, a vastatore et raptore diripientur, conculcabuntur. Beneficiis enim et thesauris a Deo concessis abusi sunt (cf. 2, 8), quare ab hostibus auferentur. Quis symbolo venti urentis proponatur, ex 14, 1 elucet. Unde *Alb.* imminentem captivitatem eiusque mala in imagine descripta cernit, in fonte exsiccato metropolim, in venis villas et oppida explicans ; Assyrios intelligunt *Barh. Sanct. Mar. ;* regem vero Babylonis *Theod. M. ;* angelum, qui exercitum Sennacherib interfecit, *Ps. Ruf.* ; alii demum ventum urentem Christum esse volunt vel in primo vel in altero adventu (cf. *Hier. Cyr. Rib. Lap.*).

Imagini vastationis rem subiungit, et quidem in textu hebr. *poenas luet Samaria, quia rebellavit contra Deum suum, in gladio cadent...* אָשַׁם cf. 5, 15 est delinquere et delicti poenas dare ; rebellio in apostasia a Deo, in idololatria consistit. Eundem *sensum* fert textus lat. 14, 1 « *pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum ; in gladio pereant ; parvuli eorum elidantur, et foetae eius discindantur* » ; — ad rem notat *Lap. :* « τὸ *pereat* potest proprie accipi ut optativum, quasi propheta conformans se voluntati Dei vindicis ex zelo iustitiae iustaeque vindictae ad sarciendum Dei honorem a Samaria violatum, optet, ut ipsa dispereat » ; sim. *Ephr. ;* cf. 9, 14. Is. 2, 9 ; « licet autem hoc sanctis vel virtute divina imperare, vel etiam optare, quo peccatores resipiscant, aut eorum suppliciis alii corrigantur, aut certe Dei iustitia et potentia demonstretur, ut optime docet S. Thomas 2, 2, qu. 25 a. 6 ad 3, ubi breviter adnotat his modis intelligi in Scriptura im-

---

1. Cum *adducet* consentiunt LXX et Chald. ; textus hebr. et *Syrus* dicunt absolute : *veniet ventus orientalis* (eurus), *ventus Domini a deserto ascendens* cf. 12, 2 ; קָדִים ventus est adurens, vehementissimus, καύσων.

2. Cf. Ex. 10, 13 ; 14, 21. Ps. 48, 8 hebr. Is. 30, 28. Ez. 17, 10 ; 19, 12 etc.

precationes » (*Rib.*). Bellum ferocissimum et summa crudelitatis ac saevitiei genera describuntur, cum neque parvulis, neque mulieribus, immo ne infantibus quidem in utero parcatur; ita ipsi quasi *fontes* vitae exstinguuntur cf. 13, 15; et similia revera quandoque ferociter esse patrata, iam *Alb. Sanct.* aliique ex 4 Reg. 8, 12; 15, 16. Amos 1, 13 probant.

At spes est pro populo Dei, ut surgat a ruina. Unde v. 2 « *convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua* »; — nomine consalutatur honorifico quasi spei salutisque pignore. Bene *Haimo* : « corruisti per idololatriam, consurge per cultum et religionem Dei tui adimplendam ». Hebr. proprie *revertere*; locutio hebr. deprompta est ex Deut. 4, 30; 30, 2; *corruere* cf. 4, 5; 5, 5; 14, 10; *iniquitas* עָוֹן cf. 4, 8; 7, 1; 8, 13; 9, 7. 9; 12, 9; 13, 12. Uti *iniquitas* sola causa est ruinae, ita pietas sola spem et salutem conciliabit; neque enim prophetae calamitates armis et furori hostium attribuunt, verum ex una norma theocratica omnia dimetiuntur, quemadmodum Lev. 26. Deut. 28 regula traditur.

Adhortationi generali addit modum, quo reverti debeant ad Dominum : docet scil. supplicationem humilem, qua a peccatis sanari exoptent; v. 3 « *tollite vobiscum verba et convertimini ad Dominum et dicite ei : omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum* »! — modum docet verae poenitentiae : *tollite* i. e. preces et delictorum confessionem [1] exhibentes Dominum adeant (cf. *Hier.*); non opus esse, ut divitias, vasa pretiosa, sacrificia multa Deo offerant, verum id unum a Domino postulari, ut animis sinceris ad Dominum loquantur (cf. *Cyr. Rup.*) : proinde quam *facilis* sit verus ad Dominum reditus, declarat. Unde explicat, quae verba afferentes apparere debeant coram Domino, qua animorum dispositione opus sit : desiderium scil. ut a peccatis sanentur; « nihil languoris in nobis et ruinae pristinae derelinquas, ne rursum mali seminis pullulent rediviva plantaria, et *accipe*, inquit, *bonum :* nisi enim tuleris mala nostra, bonum quod tibi offeramus habere non possumus » (*Hier.*). Quale vero bonum ut Deus bene accipiat gratumque habeat efflagitent, declarant : *et reddemus* (hebr. *reddamus* cum exhortatione *vitulos labiorum nostrorum* i. e. laudes et gratiarum actiones; « sic enim carmina quoque sancta docuerunt, ut immolemus Deo sacrificium laudis, quia grata sit ei oblata ex puro corde laudatio super vitulum novellum, ungulas et cornua producentem » (*Ps. Ruf.* sim. *Hier. Lap.*); sacrificium enim Deo est spiritus contribula-

1. Ita Chald. : « afferte vobiscum verba confessionis (peccatorum) » et Ephr. : « verba poenitentiae ».

tus; unde spirituales oblationes quae fiunt precibus ac supplicationibus, *vituli labiorum* dici possunt, quamquam iste loquendi modus alias non invenitur. Neque LXX neque *Syrus* eum exprimunt, sed pro פרים textus *mas.* legentes פרי *fructum labiorum* efferunt; quae lectio facilis est, apta, a *S. Paulo* (Hebr. 13, 15) adoptata.

Cum textu mas. consentit *Chald.*: « sint verba labiorum nostrorum coram te accepta sicuti boves ad beneplacitum super altari ». — Certe quod in hebr. adest: *reddamus iuvencos labia nostra* vel *solvamus* (tamquam) *iuvencos labia nostra*, non una ex causa satis mirum videtur. Quare פרים alii explicant a verbo פָּרַם *scindere* Lev. 10, 6; 13, 45 — apertionem labiorum i. e. inconsideratam et culpae obnoxiam locutionem se expiaturos esse illos profiteri (cf. *Hitz. Fürst L.*). At ea vox פרים non modo alibi non occurit, verum etiam haec notio non est ad rem apta, neque ullo pacto cernitur, quomodo « apertio vel scissio labiorum » sit veluti summa et ratio praecipua peccatorum Israel, quam se velle expiare spondeant. Unde hoc commento relicto commodissima videtur lectio LXX et *Syri*, quam etiam sequitur *S. Paulus* (Hebr. 13, 15). Mihi quidem ex paraphrasi chaldaica suspicio orta est, ne Iudaei consulto textum prophetae in praesentem formam una litera addita mutaverint, ut habeant oraculum divinum, quo defectum sacrificiorum *verbis labiorum* suppleri posse ac debere doceant. Id enim Iudaeos docuisse certum est (cf. *Rib. Sanct.)*. — נָשָׂא עָוֹן hoc loco non est: *portare iniquitatem*, vel eam expiare, poenam tolerando, verum, uti sensus requirit, *auferre, ignoscere iniquitatem*, neque haec notio adeo est aliena, uti *Scholz* censet. Nam נָשָׂא saepe significat *auferre* (cf. 1 Sam. 17, 34; 2 Sam. 14, 14. Gen. 40, 19. Eccl. 5, 14 etc. — lexica multa suppeditant exempla) et speciatim Gen. 50, 17 נ' פֶּשַׁע — *ignoscere delictum*, illud remittere, condonare et Ex. 34, 7 Deus vocatur נֹשֵׂא עָוֹן — auferens iniquitatem; quae locutio aliter prorsus intelligi nequit. LXX non legerunt כָּל, verum אַל; vertunt enim ὅπως μὴ λάβητε ἀδικίαν. Sed apud *Theod.* alia cernitur lectio: δύνασαι πᾶσαν ἀφαιρεῖν ἁμαρτίαν et *Theod. M.* utramque simul exhibet. *Syrus* et *Chald.* quoque exprimunt *dimittere iniquitatem*; hebr. כָּל vero non legisse videntur, et revera כָּל dubium movere potest singulari sua collocatione; *Aq.* tamen etiam illud expressit (cf. Middeldorpf, cod. syriaco-hexaplaris ad h. l.): πᾶσαν ἀνομίαν ἄρατε. — Hebr. קַח טוֹב aliqui reddunt: *sume bonitatem* i. e. sis benignus; alii *cape bonum*, ut scil. illud nobis des *(Lap. Scholz)*; alii versionem vulg. retinent et approbant *(Keil, Schegg)* idque iure; habet enim לָקַח sine ullo dubio etiam *accipiendi* notionem cf. Iud. 13, 3; Ps. 6, 10 *Dominus orationem meam suscepit*; Ps. 15, 5. Prov. 2, 1; 4, 10; 10, 8; 24, 32. Iob 22, 22.

Alterum, quod in sincera ad Deum conversione praestandum est, in eo consistit ut abiecta omni humana confidentia in uno Deo qui pauperum et supplicum misereretur totam spem collocent. Hac enim spe neglecta et abiecta quam maxime a vera theocratiae indole recesserunt. Unde propheta illam mentis ad meliora innovationem clare describit v. 4 « *Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultra: dii nostri opera manuum nostrarum, quia eius qui in te est misereberis*

pupilli » ; — antea enim ad Assur et Aegyptum confugere soliti erant 5, 13 ; 7, 11 ; 8, 9 ; *super equum* . . cf. Is. 30, 16 ; potest esse allusio ad auxilium, quod ab Aegyptiis equitatu nobilibus exspectarunt (cf. *Hier. Cyr. Alb. Sa*), sed generatim edicitur, spem non esse reponendam in subsidiis humanis (cf. *Sanct. Schegg, Scholz*), uti Ps. 19, 8 : « hi in curribus et hi in equis ; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus » ; Ps. 32, 17. Prov. 21, 31 et supra 1, 7. Foedera cum exteris idololatriam inducebant, fovebant. Quare illis repudiatis etiam profitentur se iam non opera manuum suarum *deos* esse vocaturos, neque in idolis speraturos, verum se confidere aiunt in solo Deo : *quia in te misericordiam inveniet pupillus* (hebr.) ; nunc enim sciunt, Deum esse unicum salvatorem et utentes voce יְרֻחַם tempus instaurationis tamquam tempus gratiae et miserationis designant cf. 1, 6 ; 2, 1. 23. « Ne dubites, Israel, inquit, te optata consecuturum, si te prius ad poenitentiam dederis ; qui enim in te est Deus misereri et miserari pupillos novit » (*Cyr.* sim. *Schegg, Scholz*) ; alii *pupillum* intelligunt populum Israel, qui a Deo, a patre relictus, a filii felici conditione in pupilli sortem delapsus sit ; idque bene ; cf. Lam. 5, 3 : « pupilli facti sumus absque patre » (cf. *Hier. Alb. Rib. Sanct. Lap.*). Textus latinus eiusdem est sensus ; *in te est* i. e. tuus est, tuae curae ac providentiae relictus et creditus, a te foedere tuo tibi ipsi consociatus tibique commissus.

LXX ὁ ἐν σοὶ ἐλεήσει ὀρφανόν i. e. ut ait *Theod.* ὁ ἐν σοὶ συνεχῶς φαινόμενος Κύριος ; legerunt itaque formam verbi activam יְרַחֵם ; *Syrus* vertit sicut Hier. *misereberis* 'תּ ; *Chald.* effert formam passivam [1], sed refert ad tempus praeteritum : « eo quod coram te misericordia praestita sit patribus nostris, quando erant in Aegypto sicut pupilli ».

Notatu dignum est, in hac instaurationis descriptione indolem adeo efferri *spiritualem*, veram *animorum* innovationem, quae in pietate, spe divina, in remissione peccatorum, in laude et gratiarum actione consistat.

b) **Salus describitur futura** 14, 5 - 9.

Supplicanti populo et pietatis vota reddenti Deus profusissima caritate et liberalitate occurrit ; enarrat enim qualem instaurationem sit effecturus. Et primo quidem damna a peccatis et apostasia illata resarcit et conversos ad se tenero amore complectitur. Ita v. 5 « *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab*

---

1. Illa etiam apud *Theodotionem* habetur, saltem ut *Holmesius* fragmentum illud affert. Codex syr. hexapl. vero praebet ἐλεήσουσι (cf. *Middeldorpf* l. c. p. 179. 521).

eis » ; — in hebr. *sanabo aversionem eorum*, apostasiam ; cf. 7, 11. LXX τὰς κατοικίας αὐτῶν [1], « *habitacula eorum* in quibus fuerant vulnerati, sive confracti » (*Hier.*). Sensus in hebr. est optimus : populus corruit, quia a Deo recessit ; quare instauratione *fons* et origo omnis mali *sanari* dicitur i. e. tolli ; sanatur autem aversio, si animi firma fide et pietate constanti imbuti Domino adhaerere edocentur ; unde pro instauratione promittit gratiam internam, stabilem, potentem cf. 2, 19. Hanc autem promissionem confirmat et auget professione profusissimae suae in eos caritatis ; *spontanee*, נְדָבָה id quod motu et impulsu proprio ac liberali fit, ex intima animi propensione et indole sponte et ubertim erumpit (cf. Num. 15, 3. Deut. 23, 24 etc.) ; LXX ὁμολόγως, quod *Theod.* γνησίως explicat et *Cyr.* ὁμολογουμένως καὶ ἀκρύπτως et *S. Hier.* [2] : « perspicue atque aperte vel absque ulla dubitatione, qui enim prius irascebar eis propter peccata quae fecerant, nunc miserebor propter clementiam meam » ; *furor aversus est* cf. Is. 12, 1 ; tempus instaurationis est tempus gratiae, clementiae, foedus amoris inviolabile, caritatis aeternae (cf. 2, 19). Exposuit propheta Dei benignitatem *in affectu* ; iam subdit eandem *in effectu* (*Alb.*) ; ea scil. enumerat, quae Dei amor operaturus sit ; v. 6 « *ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium et erumpet radix eius ut Libani* » ; — in hebr. et apud LXX, *Syrum* et *Chald. et ero quasi ros Israeli.*

Herba enim in agro sitiente marcescens rore reviviscit et revirescit (*Sanct. Lap.*), terrae viror ac fecunditas rore promovetur, quia germina latentia foventur, humectantur, fecundantur. Ros placide illabitur — ita Dei gratia (cf. Is. 26, 19 et quae ad eum locum adnotantur apud *Hier. Cyr. Eusebium*). Deus igitur gratiae suae rorem promittit, *ipse* cordibus illabitur, *ipse* ad vitam et vigorem animos intima sua communicatione et aspersione excitat et fecundat, ipse quasi vita est vitae nostrae ; unde vitae fructus enasci oportet uberrimos. « Cum autem nos Dominus suo rore resperserit et siccitatem pectoris nostri suis pluviis irrigarit, germinabimus, immo florebimus ut lilium, imitantes Dominum Salvatorem, qui dicit : ego flos campi et lilium convallium » (*Hier.*) ; germinabit sicut lilium i. e. celerrime, abundantissime et cum maxima venustate, suaveolentia, fragrantia, splendore novus Dei populus florebit coram Domino ; laudant enim *lilium* ab augmenti celeritate et propagatio-

---

1. Cf. מוֹשָׁב *habitaculum* et מְשׁוּבָה *aversio* ; hanc vocem *S. Hier.* rite reddidit *aversionem* Prov. 1, 32 — praeterea cf. Ier. 2, 19 ; 3, 6. 8. 11. 12. 22 ; 5, 6. Cur h. l. *contritiones* reddiderit, incertum est ; an a verbo שָׁבַב שׁוֹבָב (cf. 8, 6) ? sed verbum hoc in notione *confringendi* non noscit *S. Hier.* uti ex Ez. 38, 4. 8 ; 39, 2. Mich. 2, 4 patet ; an a שָׁבַר ?

2. In editione fertur textus LXX ὁμολογουμένως.

nis amplitudine, a florum excelsitate, a candore et fragrantia (cf. *Cyr. Theod. Lap.*) et simul a maiestate quadam et splendore, quo prae Salomonis gloria vestitum est (cf. Matth. 6, 28. Luc. 12, 27). Unde saepe ad amoenitatis et fecunditatis laudem *lilia* celebrantur cf. Is. 35, 1. Cant. 2, 1. 2. 16; 4, 5; 5, 13; 6, 1. 2; 7, 2. *Chald.* « et splendebunt ». — Ad pulchritudinem illam et ubertatem accedit plantationis firmitas, soliditas inconcussa; hebr. *et agit* (incutit) *radices sicut Libanon*. LXX καὶ βαλεῖ τὰς ῥίζας αὐτοῦ ὡς Λίβανος i. e. uti mons altus firmis radicibus terrae inhaeret immobilis, ita firmiter altis radicibus actis consistet florens populi conditio. In textu lat. explanando generatim supplent *arbores,* vel *cedros :* « cumque creverimus in Domino, mittemus radices nostras sicut arbores Libani, quae quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant » (*Hier.*).

Haec Dei plantatio pulcherrima et firma in se longe lateque diffundetur et omnia sua amoenitate et ubertate complebit v. 7 « *ibunt rami eius et erit quasi oliva gloria eius et odor eius ut Libani* ». — Nam instaurationi proprium est, ut arctis limitibus veteris theocratiae remotis ad Dei regnum omnes gentes convocentur et colligantur; unde *ibunt* i. e. longe lateque protendentur cf. Is. 16, 8; et cum Dei plantatio adeo spatiis proficit, etiam virtute, fecunditate, ubertate augescit : *quasi oliva gloria eius;* oliva enim fructus fert gratissimos et ad varios usus pernecessarios; est arbor in Palaestina una ex praeclarissimis, quibus terrae fertilitas ac divitiae quasi continentur; cf. Ier. 11, 16 : « olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocabit Dominus nomen tuum »; gloria, ornatus, amoenitas plantationis erit sicut olivae i. e. fructus afferet suavissimos. Atque ne quid desit, ex iis exhalabitur odor gratissimus ac fragrantia : *et odor eius ut Libani,* i. e. montis variis aromatibus et odoriferis arboribus consiti; insuper etiam cedri gratum spirabant odorem secundum illud poetae : urit odoratam nocturna in lumina cedrum (*Sanct.*); cf. Cant. 4, 11 et Eccli. 39, 18 : « quasi Libanus odorem suavitatis habete ». Excellit igitur fragrantia virtutum, est *bonus odor Christi,* et odore suo ad Dei laudem et amorem virtutum provocat et animos omnium oblectatione delectat, sicut Isaac statim ut sensit vestimentorum Iacob fragrantiam, ei benedixit : « ecce odor filii mei, ut odor agri pleni » (Gen. 27, 27). Cum Libanus herbarum odoriferarum ferax fuerit, non opus est cum interpretibus graecis et *Chald.* comparationem speciatim in odore *thuris* (לְבֹנָה) reponere. — Plantatio Dei describitur ita, ut in se sit pulcherrima, firma, inconcussa, frugum feracissima et omnes in sui admirationem rapiat et undique odorem aromatum spiret; praeclarum sane cernitur symbolum sponsae Christi, Ec-

clesiae, quae non habet rugam vel maculam, sed perpetua sanctitate Sponso servit et placet et continuo quoque novis propaginibus dilatatur.

Iam a symbolo ad rem significatam deflectit propheta, vel potius exsequitur, *quales* in hac Dei plantatione victuri sint; v. 8 « *convertentur sedentes in umbra eius, vivent tritico et germinabunt quasi vinea; memoriale eius sicut vinum Libani* »; — i. e. qui in eius plantationis vel arboris (cf. v. 7) umbra sedent, eius protectione laetantur et frugibus vescuntur, ii animos habent ab errore veteri alienissimos, ii sunt ad Deum *conversi*, et a vetusta consuetudine penitus redierunt (cf. v. 4); bonis fruuntur; fructus uberes et laetos afferunt, sicut *vinea*, divites igitur sunt bonis operibus, uti antea malis abundabant (cf. 4, 2), et nunc vera Domini *vinea* (Is. 5, 1; 27, 3) effecti sunt, quare nomen, memoria, gloria eorum est *sicut vinum Libani*, quod mixtum et conditum thymiamate odorem habuit suavissimum (*Hier.*), « gloriae vestrae erit tanta fragrantia, quanta vini quod optimum in monte Libanon generatur » (*Ps. Ruf.*).

Alii hebr. יָשֻׁבוּ *adverbialiter* reddunt: *iterum vivent* (cf. *Keil*, *Schegg*); LXX vero habent ἐπιστρέψουσι καὶ καθιοῦνται, et *Chald.*: congregabuntur de medio captivitatis; *Syrus*: aedificabuntur et sedebunt .. et haec veterum acceptio est praeferenda (cf. *Scholz*). Hebr. יְחַיּוּ דָגָן proprie est *vivificare triticum*, id quod explanant *plantare triticum* (cf. *Keil*), sed haec locutio est nimis singularis, neque ullum habet veterum versionum testimonium; LXX ζήσονται καὶ μεθυσθήσονται σίτῳ [1]; *Syrus* vertit uti *S. Hier.*, *Chald.* vocem omnino non exprimit, verum locum hunc interpretatur quasi ex Is. 26, 19: « habitabunt in umbra Christi sui, vivent mortui et accrescet bonum in terra ». *Vivere tritico* dici potest ad bonorum copiam designandam cf. Ps. 71, 16. Zach. 9, 17 et supra 2, 22, sicuti frumenti copia pars est benedictionis patriarcharum Gen. 27, 28; 49, 20. Aliis praeplacet tacitam ibi agnoscere comparationem, uti adest in membro parallelo: *vivent quasi triticum* (neglecta punctatione mas.); at inaudita est talis comparatio neque quid sibi velit *vivere* tritici instar perspicitur. Unde textus mas. ad veterum versionum normam erit emendandus.

Descripsit novi coetus sanctitatem et gloriam. Ex hac salute demum propheta, qui vaticinia etiam longo post tempore opera implenda in popularium et aequalium utilitatem et adhortationem convertere solet, admonitionem colligit, ut Ephraim iam toto ex corde abiiciat idola, cum Deus talem ac tantam donare velit salutem. Hunc nexum bene perspexit *Ps. Ruf.*: « quae cum ita sint, inquit, ut dispositio nostra perdocuit, id est unam hanc esse viam salutis, quam cultus nostri numinis religioque patefecit, ponite profanitati saltem modum, et uni, qui verus est, Do-

1. Etiam στηριχθήσονται, quam vocem codex syr. hexapl. quoque cum signis criticis exhibet.

mino tota fide ac devotione cohaerescite »; ita v. 9 « *Ephraim, quid mihi ultra idola? ego exaudiam et dirigam eum ego ut abietem virentem; ex me fructus tuus inventus est* »; — quasi admirabundus et stupefactus quaerit : quomodo potestis mihi abire ad idola et illa ultra colere auditis tot ac tantis promissis? vel, ut latini interpretes frequenter supplent: quid mihi ultra idola opponitis, vel potius : quid sibi vult, ut ultra idola mihi colatis? *mihi* ethicus est dativus et rem Deo esse cordi significat.

Neque ab hoc sensu multum recedunt LXX τῷ Ἐφραῒμ τί ἔτι αὐτῷ καὶ εἰδώλοις (cf. *Cyr.*); *Syrus* vero et *Chald.* haec ab Ephraim dici volunt, ita ut Ephraim edoctus iam ex animo idolis renuntiet eaque abiiciat indignabundus, quasi praeoccupans conclusionem a propheta propositam. — Aliter *Rup.* nexum concipit : numquid *spiritualem* Israel avertere poterunt simulacra vel figmenta mendacii, sicut carnalem averterunt vituli aurei? quasi dicat, num idola impedire poterunt, ne salutis consilium exsequar et attingam? Alio quoque modo *Scholz* coniungit : cultus idololatrici recordatio subito Domino obversatur et Ephraim tanto scelere onustum et Dei gratia indignum ostendit; at Dominus sceleris memoriam se penitus depositurum spondet, ne in caritatis suae profusione quasi coerceatur; unde : quid ultra mihi idola? i. e. abeat et pereat penitus scelerum memoria! Attamen dubito, an haec Dei cum seipso disceptatio ex verbis adeo simplicibus colligi possit; insuper mihi valde dubium est, an Deus in bonorum largitione unquam haesitet vel quasi dubius haereat propter praeterita scelera eorum, quos denuo ad gratiae suae amplexum admisit; id scio *in poena infligenda* Deum recordatione miserationis commoveri et quasi coerceri cf. Ier. 31, 20. Quare in priore explicatione sistendum esse censeo, quae ad prophetae munus facta ommino est et nata.

Cur autem idolis nuntius sit remittendus, rationem affert ex Dei consilio salutari : *ego exaudiam et respiciam eum, ego, sicuti cypressum virentem* (hebr.); ipsa populi calamitas est postulatio quaedam Deo facta, ut generi electo decus restituat ac gratiam : unde *ego,* inquit, *exaudiam* et e miseria eripiam, ereptumque diligenter, omni cura respiciam et fovebo, ut sit quasi *cypressus perpetuo virens,* ne unquam a novo illo vigore excidat, sed « ut habeat viriditatem fidei et operationis » (*Haimo*); erat enim, ait *Sanct.* populus antea quasi lignum aridum, aut quales in hieme rigente atque aspera apparere solent plantae sic squalentes et horridae, ut nihil differre videantur a mortuis; at ubi spirante gratia mitior tempestas et quasi vernus tepor advenit, mutata est rerum species et pro hiemali siccitate successit viriditatis vernae suavis amoenitas[1].

---

1. LXX comparationem de Deo intelligunt : ἐγὼ ὡς ἄρκευθος πυκάζουσα i. e. Deo subiectos habere tutam obumbrationem sive auxilium (*Cyr.* sim. *Theod.*); similiter alii pauci (cf. apud *Sanct.* et *Scholz*); at certo praestat prior explicatio, quam etiam *Chald.* exhibet.

Demum concludit, totum virorem, profectum, fructum in una Dei gratia residere : *ex me fructus tuus inventus est* (cf. v. 6. 7) ; i. e. exsistit ; nam *sine me nihil potestis facere* (*Cyr. Rib*). Vinea illa iam non est de vinea Sodomorum (Deut. 32, 32), verum vinea Domino afferens fructus suavissimos tamquam vinea electa (cf. Ier. 2, 21. Is. 27, 3).

CONCLUSIO

Proposuit propheta populo suo Dei consilium pro tempore calamitatis et instaurationis, viam ostendit, qua imminentia mala avertere possint, ea docuit, quibus mediis in miseriis se solentur, et praeprimis salutare Dei omnibus offerri praeclarissimum, omnes a Deo invitari, ut sincere ad ipsum redeant, multis significavit. Iam quis est successus adhortationis propheticae? Duae in eo cernuntur normae divinae : multi vocati, sed pauci electi et Dei iudicia iustificata sunt in semetipsis.

Cum dolore quodam propheta munere suo functus conqueritur, paucissimos esse ex Israel, qui prophetae verba perpendant v. 10 « *Quis sapiens et intelliget ista? intelligens et sciet haec? quia rectae sunt viae Domini et iusti ambulabunt in eis, praevaricatores vero corruent in eis* ». — Propheta enim qui peccata punit et veram morum emendationem postulat, non est ille, quem turbae sequuntur (cf. Mich. 2, 11) ; et *pauci* prudentia humana relicta et mundi sapientia spreta ad unam theocratiae normam omnia exigunt ; hos demum paucos vere esse sapientes dicit. Et quid pauci solum rite percipiunt? *quia rectae* ... merito notat ad haec verba *Theoph.* : « paucis universa complectitur » ; summa enim in eis vaticiniorum continetur. Viae Domini eius sunt dispositiones, rationes, modi, quibus utitur ad consilia sua exsequenda ; illae viae sanctae sunt et ordinem divinae rectitudinis constituunt et in opus externum deducunt, unde ita sunt conformatae, ut iusti erigantur, salventur, peccatores vero pereant culparum suarum pondere. Has Domini vias promissionibus et minis propheta explicavit (*Sanct.*) ; sunt hae ipsae annuntiationes illis in ruinam maiorem, si fuerint contumaces — quia qui scit Dei voluntatem et non fecerit, durius vapulabit — vel in salutem, si obedierint. Dei normam in rerum Israelitarum administratione et in salutis praeparatione et largitione propheta exposuit ; iam cum emphasi interrogans *quis sapiens* ... et quater notionem sapientiae ac scientiae efferens, et rei gravitatem demonstrat et desiderium pandit, quo optat, ut ad eam animos advertant (cf. *Sanct.*).

IOEL

PROLEGOMENA

I. — Quo tempore Ioel vaticinatus sit.

Ioel, cuius nomen magna probabilitate interpretantur : Iahve est Deus [1] in Iuda vaticinatus est. Iudaeam enim et Ierusalem ea indicant (uti iam advertunt *Rib. Sanct. Lap. Sa*) quae de sacrificiis, de tuba in Sion, de coetu sacro in templo celebrando etc. profert (1, 9. 13 ; 2, 1. 15-18) ; eum sacerdotem fuisse aliqui ex repetita mentione sacrificiorum et caerimoniarum sacrarum probabile censent ; sed quam debili fundamento coniectura haec innitatur, liquido patet. Eum esse ortum ex tribu Ruben (*S. Ephr.*), ex vico Bethom (al. Theboran ; cf. *Ps. Epiph.* de vitis proph. c. 14 ; *M.* 43, 408) aliqui tradunt.

Quo tempore vixerit, certo definiri nequit. At nihil obstare videtur, quominus ipsam eius libelli in serie prophetarum minorum collocationem [2] testimonium traditionis antiquissimae et verae habeamus etiam de vitae eius tempore, ita saltem, ut eum ante exsilium vaticinatum esse certo asseramus ; ordine enim quodam temporis series prophetarum minorum collocata et ordinata esse videtur ; id quod ex iis prophetis colligi potest qui reges habent in titulo adscriptos. Immo cum Amos 1, 2 versum pro-

1. Eam interpretationem iam novit *S. Hier.* : « appellatur Ioel, quod apud nos sonat *incipiens* vel *est Deus* . . . humilitate succrescens cum Moyse meretur audire : *qui est misit me* » (*M.* 25, 949) ; alias *S. Hier.* vocem solum ἀρχόμενος explicat (l. c. 947) ; hanc enim notionem *incipiendi* LXX et vulg. quandoque tribuunt verbo יאל in hiphil. *S. Ephraem* explicat vocem *robur Domini.* In aliquo codice Theodoreti legitur interpretatio ἀγαπητὸς κυρίου ἢ ἀρχή (*M.* 81, 1633). Uti *Scholz* advertit, posset forma explicari : *consilium capiat* vel *incipiat* scil. Dominus opus suum. Verum ipse aliique, inter quos *Wünsche* (Weissagungen d. Proph. Ioel, 1872), omnino explicandum censent : Iahve est Deus יו-אל.

2. *Scholz* quidem censet, eum post Oseo esse collocatum, quia interrogatione simili incipiat, qua Oseo finiatur ; sed difficile est, ut alia omittam, in Ioel 1, 2 et Os. 14, 10 cum *Scholz* eundem deprehendere sensum.

ferat *ex abrupto,* quem *suo in contextu* apud Ioel legimus [1] ac deprehendimus 3, 16, saltem probabile est, Ioel prophetasse ante Amos.

Maxima est sententiarum varietas de tempore quo Ioel munere prophetico functus sit, et ea quidem quae ab anno 885 a. Ch. usque ad tempora post Nehemiam extenditur. Multi enim eum habent prophetarum qui scripta reliquerint antiquissimum, aliqui vero omnium recentissimum. In tanta opinionum discordia rationibus quae vel pro antiquitate illa maiore vel pro tempore post exsilium afferuntur diligenter expensis dici potest, nihil adhuc allatum esse quo vetus illa traditio evertatur, de qua *S. Hier.*, in quibus tempus non praefertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi qui ante eos habent titulum prophetaverunt (cf. *M.* 28, 1016; 25, 950).

Multi eum iam tempori Ioas regis adscribunt; ita *Credner, Movers, Williams, Hitzig, Winer, Ewald, Meier, Keil, Delitzsch, Fürst, Danko, Wünsche, Schrader, Vigouroux, Trochon,* idque probabile etiam censet *Kaulen* — de qua re vide *Fürst,* Canon des alten Test. p. 29; libros introductionis in V. T. editos a *Keil, Schrader, Kaulen; Danko,* historia revel. V. T. p. 378; *Reinke,* Mess. Weissag. III p. 128; *Wünsche* l. c. p. 9; *Merx,* Prophetie des Ioel p. 1; *Trochon* etc. —. Atque ad illud tempus eum communiter referunt, quo rex iuvenis sub tutela Ioiadae sacerdotis fuerit; sic enim facile explicari, cur in ordinum (?) enumeratione cp. 1 et 2 facta regis [2] mentio fiat nulla. Generatim autem epocham sub Ioas designari his rationibus opinantur : inter hostes Iudaeorum non recenseri Syros, qui tamen versus finem regni Ioas iam Iudaeam invaserint (4 Reg. 12, 17. 2 Par. 24, 23), ergo sane non omittendos fuisse a propheta qui post regem Ioas vaticinatus fuisset; porro ne Assyriorum quidem mentionem ingeri, verum solum Phoenices, Philisthaeos, Aegyptios, Edomitas inter hostes recenseri; ergo epocham declarari, in qua Assyrii nondum periculum afferre viderentur, Philisthaei autem irruptione facta nondum poenas scelerum dedissent; invasisse Philisthaeos sub Ioram, punitos autem esse sub Ozia (Azaria — cf. 2 Par. 21, 10. 16. 17-22; 26, 6); similiter Edomitas stragem intulisse Iudaeis, idque probabiliter cum tempore Ioram regis iugum regni iudaici excuterent, verum eos ab Amasia filio Ioas esse victos (cf. 4 Reg. 8, 20. 2 Par. 21, 8; 25, 11) et demum ab Ozia subiectos (4 Reg. 12, 22. 2 Par. 26, 2); proinde minas Ioel collocari debere inter Ioram et Amasiam (cf. *Wünsche* l. c. *De Wette-Schrader,* Lehrb. d. Einl. §. 285. *Vigouroux,* Manuel bibl. II p. 624).

---

1. Hanc rationem non satis recte ac logice proponi, *Scholz* contendit. — At immerito (vide ad Am. 1, 2). Versus enim apud Ioel suo in contextu legitur et ex rerum serie quasi nascitur, dum apud Amos subito ac si aliunde iam notus sit profertur. Unde merito statuitur dependentia. Aliter res se habet Ioel 1, 15 qui versus non arguit dependentiam ab Is. 13, 6 neque vice versa, cum talis locutio in modum proverbii iam diu ante utrumque usurpari potuerit. Idem dic de Ioel 2, 6 et Nah. 2, 10.

2. *Syrus* habet 1, 9 : sederunt in luctu reges.

Verum hisce rationibus non efficitur, eum ante Osee prophetasse. Nam in generali omnium adhortatione ad poenitentiam mentionem regis non fieri specialem, non sane est res tanti momenti; dein cum Ioel 3, 2 de omnibus gentibus loquatur, quae iniurias populo Dei intulerint, certo plures intelligit quam solas illas, quas mox exempli causa subdit. Neque quia Assyrios non nominat, sequitur eum ante Osee floruisse. Assyrios enim periculo esse regnis palaestinensibus, iam tempore Achab cognitum erat; est enim Achab iam anno sexto Salmanassar II in pugna ad Karkar facta ab Assyriis devictus et Iehu rex Israel qui eodem tempore quo Ioas regnavit, tributum solvit Assyriis (cf. *Schrader*, Keilinschriften u. A. T. 2 ed. p. 199. *Vigouroux*, la Bible et les découvertes mod. 3 ed. IV p. 35. 41). Ergo si ratio allata valeret, debuit Ioel iam ante Achab prophetasse. Quae autem Ioel affert contra Phoenices, Philisthaeos, Edomitas, iam propterea non valent ad magnam illam antiquitatem demonstrandam, quia prorsus similia iisdem etiam apud Amos exprobrantur (Am. 1, 6-15).

Alii ex ipsa serie in qua liber Ioel collocatur — qui tamen ordo, ut iam notat *S. Hier.* non est idem apud LXX quippe qui secundum ponant Amos, Michaeam tertium, quartum Ioel — eum aequalem faciunt Osee prophetae et tempore Oziae (Azariae) prophetasse dicunt. Ita *S. Hier.* (cf. etiam in Ionam proph. 1, 16, ubi Osee, Amos, Isaiam, Ioel eodem tempore prophetasse ait) *Cyr. Theod. Theod. M. Rib. Sanct. Sa, Calm. Scholz* (Einleitung in die h. Schr. III p. 543) *Ros. Hengstenberg, Haevernick, Allioli, Loch, Pusey, Reinke, Schegg, Zschokke* (hist. sacra ant. Test. 2 ed. p. 261; plures eius sententiae patronos invenies enumeratos apud *Danko, Reinke* l. c.). Alii tempus assignant Ezechiae regis: ita *Ps. Ruf.* (ad 3, 30; *M.* 21, 1049), *Bertholdt* (Einl. p. 1604), *Theiner* (die kl. Proph.); alii tempus Manasse: ita alia Iudaeorum traditio asservata in Seder olam et Halachot geduloth (cf. apud *Lap. Fürst*), *Genebrardus, Arias Montanus, a Castro* (apud *Lap.* qui eam sententiam valde probabilem dicit), *Iahn* (Einl. II p. 502). Tempus Iosiae regis ei assignant *Tarnovius, Eckermann* (cf. *Reinke*, l. c.); saltem ante exsilium c. 590 eum collocat *Schroeder* (cf. *Merx* l. c. p. 2). Demum post exsilium eum floruisse volunt *Hilgenfeld, Merx, Scholz*; immo Machabaeorum tempus ei aliquando assignavit *I. D. Michaelis*, dum e contra *Bunsen* (Gott in der Geschichte I p. 231) e 3, 19 eruere voluerit, prophetam nostrum munus obiisse annis 15-20 post invasionem Sesac regis Aegypti quinto anno Roboam factam (cf. *Bleek*, Einl. 3 ed. p. 531. *Wünsche* l. c. p. 18).

Sententia, qua Ioel tempori post exsilium attribuitur, recentioribus compluribus arrisit.[1] Ita statuunt *Merx* et *Scholz*, quorum opiniones paucis erunt diiudicandae. Atque *Merx* quidem nuper multis contendit, Ioel esse ultimum prophetarum, qui post instaurationem a Nehemia factam c. an. 430 a. Ch. ex aliorum prophetarum, praecipue Ezechielis, studio ac lectione libellum suum composuerit (*Merx*, die Prophetie des Ioel, Halle 1879). Rationibus innititur potissimum hisce:

---

1. *Ed. Reuss* tamen perpensis utrimque rationibus magis inclinat in veterum sententiam de tempore Ioas (cf. Geschichte der h. Schr. Alt. Test. — Stud. u. Krit. 1883 p. 832).

a) respublica supponitur *adeo parva*, ut tuba canente in Sion omnes audiant, omnes convocari ad coetum sacrum et ieiunium possint, ut una locustarum vastatione iam vinum et frumentum plane deficiat; in ea vero republica *seniores* et *sacerdotes* primas gerunt partes; atqui ea omnia revera non contigerunt nisi post exsilium (cf. p. 9. 29);

b) supponitur stricta legis observatio et rituum sacrorum *externorum* magna religio atque reverentia; idololatria plane abest a populo; neque scelera populi reprehenduntur, neque ad Deum conversio vera et sincera, uti apud priscos prophetas, magno fervore postulatur; talis vero rerum conditio cogitari nequit nisi post exsilium (cf. p. 7. 9);

c) propheta ipse non internam animorum habitudinem, verum ritus externos, ordinem scil. et locum, quo stare debeant in templo, ieiunium, fletum et similia curat et commendat; omnia « carnalia » sunt, arctis limitibus praeiudiciorum iudaicorum circumscripta; solos Iudaeos salvos fieri, gentes omnes perdi docetur: brevi mens cernitur expressa viri, qui ipse totus est immersus et constrictus « elementis mundi »; sed talis animi indoles non incipit praevalere, nisi post exsilium; aliud in prophetis priscis cernitur (cf. p. 12. 21);

d) totum vaticinii argumentum ex aliis prophetis est concoctum (p. 17. 22. 23);

e) nullus adest ordo, nulla certa cogitationum series et apta explicatio (p. 9 et seq. p. 15); id vero ex eo fit, quia Ioel sua oratione non rerum temporumque certae necessitati consulit, verum ex lectione et studio aliorum prophetarum aliquid sermonis congessit, quo sibi « aedificium eschatologicum » (p. 43) et instaurationem in fine saeculorum post Dei iudicia futuram construeret.

Verum ex his rationibus aliquae prorsus falsae sunt atque frivolae, aliae ad rem plane infirmae. Atque certe in *a)* quae afferuntur ad rempublicam *parvam* demonstrandam non possunt ita urgeri, ut sonus tubae revera *in toto ambitu* audiatur, ut ad unum omnes congregentur; tunc enim ipsa illa respublica ex anno 430 a. Ch. est amplior nec tali locutioni apta. Ad ea explananda sufficit, ut Ioel, propheta in regno Iuda, Ierusalem constitutus populum urbis alloquatur. Neque verum est, seniores et sacerdotes primas in rebus administrandis obire partes; nam 1, 2 senum *memoria et recordatio,* utpote qui diu vixerint multumque sint experti, a propheta inducitur, ut testentur, nunquam talem evenisse calamitatem, et 2, 16 senes uti reliqui omnes ad coetum sacrum convocantur. Sacerdotes autem solum ut *ministri altaris* describuntur 1, 13 et 2, 17 inter vestibulum et altare preces fundunt. Si isti, quia sunt magistratus rerumque civilium ministri, a propheta proferuntur, eadem dignitas etiam « ebriis » 1, 5 erit concedenda. Sed cur regis regiaeque domus et principum et regni israelitici non fit mentio? Mira quaestio a *Merx* proposita! Dispiciamus, cur fieri *debeat?* Eorum testimonio explicito non est opus, ut calamitas praesens tamquam eousque inaudita agnoscatur et si *tota* respublica 1, 8 ad luctum provocatur, omnes ordines includuntur. Adhortatio 2, 12 pariter *omnes* spectat, in coetu sacro convocando et celebrando pariter *omnes* adesse possunt; calamitas est non *bellica,* quae regem, principes, duces requirat, sed *ad agriculturam* pertinens, in qua regibus et militibus carere possumus. Praeterea regis mentio fortasse desi-

deraretur, si ipsius culpa et peccatis ea plaga fuisset immissa, vel si ipse, insignis peccator, admonitioni prophetae impedimenta obiecisset. Quodsi neutrum contigit, possumus sane omissionem explicare. Deinde unicuique scriptori, etiam prophetae, talis concedi debet libertas, ut non omnia quae dici possint dicat; quis enim alias esset finis dicendi et scribendi?

Id quod modo dixi, etiam partim valet pro altera ratione sub *b*) adducta. Praeterea *Merx* prorsus non attendit, ex indole V. T. ipsam calamitatem immissam testimonium dicere contra populum et esse accusationem peccatorum; accedit, quod propheta *bis* conversionem ad Deum *ex toto corde* postulet (2, 12. 13). Iam quid est *converti ad Deum* ex usu biblico et prophetico? est converti, i. e. *averti a peccatis, a viis malis, ab impietate, ab idolis et abominationibus* et tota mente ad Dei legem observandam reverti. Ex locis plurimis vide 3 Reg. 8, 35. 47. 48. 2 Par. 6, 24. 26. 37; 7, 24. Is. 6, 10; 10, 21; 31, 6. Ier. 3, 14. 22; 4, 1; 15, 19; 26, 3; 35, 15. Ez. 3, 19; 14, 6; 18, 23. 30; 33, 9. Os. 11, 5; 12, 7; 14, 2. Ion. 3, 8. 10. Zach. 1, 4 et ubique deprehendes, ea ipsa admonitione conditionem populi supponi a Dei lege alienam, peccatis et idololatriae implicitam. Dein adverte, quantum dolorem, quantam peccatorum detestationem Ioel postulet; vult, ut dolor iste publico testimonio edatur *in ieiunio et in fletu et in planctu*. At, inquit *Merx*, externa haec sunt, carnalia, pharisaica, merae caerimoniae! Num ita? Nam *scindite corda vestra et non vestimenta vestra* 2, 13; en, quomodo *meras caerimonias* prohibet, abiicit, conculcat, cordis vero et animi compunctionem, scissionem, dolorem unice inculcat eaque absolvi velit *et convertimini ad Dominum Deum vestrum* reditu ad Dominum Deum foederis; vide quas rationes doloris, spei veniae concipiendae, dilectionis Dei commendet: *quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae et praestabilis super malitia!* Equidem puto, *Merx* posse ea omnia tuto etiam hodiedum e suggestu ad populum suae religionis pronuntiare neque ullum fore, qui propterea « doctorem theologiae, *Ad. Merx* » vocet hominem « carnalem, pharisaicum, ritibus mere externis superstitiose inhaerentem ».

Inde quoque elucet, quam falso alia sub *c*) iactentur. Utique locum et stationem sacerdotibus indicat, sed, ut quam proxime licet ad Dei sanctuarium accedentes ipso habitu externo *fervorem* precationum exprimant modo ad hominum mores apto. Si enim aliquid instanter petimus ab amico, non e longinquo clamamus, verum ad eum quam proxime possumus supplices accedimus. Praeterea spatium occupare eos iubet *sacerdotale* (2, 17), ut tamquam *sacerdotes* in dignitate theocratica coram Deo apparentes et pro muneris ratione intercedentes pro populo, facilius vi muneris Deum foederis ad misericordiam flectant, cum ipse Deus *sacerdotium* ad expiationem et reconciliationem efficiendam instituerit. Solos vero Iudaeos a Ioele saluti adscribi, prorsus falsum est; vide 2, 28 *effundam spiritum meum super omnem carnem*.. et *super servos et ancillas effundam* (vide explan.); v. 32 *omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Atque vaticinii argumentum *(d)* minime est ex aliorum prophetarum locis contextum. Ioel ea ex populi historia, institutione, ex promissis datis novit et supponit, quae in Pentateucho continentur; praeterea quia erat propheta, etiam illa de periodo messianica non opus est, ut ab Isaia vel Ieremia vel Ezechiele

mutuatus sit. Quodsi *Merx* censet, ex una illa comparatione cum horto *Eden* (2, 3) indubie iam constare, Ioelem lectioni Ezechielis (31, 9. 16. 18; 28, 13) operam navasse, hominis subtilem argumentationem iure miraberis. Etenim *Eden* in Gen. habetur 2, 8. 10. 15; 3, 23. 24; 4, 16. In comparationis locum adhibetur Is. 51, 3 : *ponet desertum eius quasi Eden* (hebr.); et si eum loquendi modum alter ab altero mutuatus esse necessario censendus sit, cur non potius Ezechiel (36, 35) a Ioel mutuatus dicatur vel saltem dici possit, non apparet.

Libellum Ioel denique minime carere ordine et certa serie cogitationum, statim demonstrabimus. Qualia vero quandoque sint exempla a *Merx* prolata, quibus ordinem deficere probat, ex uno disce : spiritus effusionem fieri ante iudicium ineptum est : debuit Ioel, uti Ez. antea iudicium describere et dein de spiritus effusione loqui; praeterea pariter reprehenditur a *Merx*, quod spiritus effusione non sanctitas, verum somnia, visiones et prophetiae efficiantur. — Sed si Ioel talis est, qualem *Merx* vult, cur *Merx* in explicando tam vili libello operam suam collocare voluit?

Nuperrime ex interpretibus catholicis *Scholz* ut sententiam certam proposuit, vatem nostrum post exsilium exstitisse et probabilissime inter eos fuisse qui cum Esdra in patriam redierint. Eius rei argumenta depromit ex allegationibus a Ioel factis, ex dicendi genere et indole linguae, ex argumento et fine libri. Singula paucis sunt discutienda.

Nihil obstat quominus concedamus Ioel 2, 32 : quia in monte Sion et in Ierusalem erit salvatio, *sicut dixit Dominus*, allegari locum ex Is. 37, 32. Ea enim concessione nondum efficitur quod vult *Scholz*, scil. prophetam nostrum eo quod unum locum explicite citat eo ipso prodere se in omnibus rebus in quibus aliqua cogitationum similitudo inter ipsum et Ieremiam et Ezechielem et Danielem intercedat, dependere a prioribus eorumque vestigia premere et vaticinia recolere, ergo illis esse posteriorem. Nam quae Ioel profert de divino iudicio, de tempore messianico, de salute fidelibus concedenda nequaquam ita sunt conformata, ut *Scholz* vult, qui in eis non cernit nisi compendium quoddam doctrinae ex antecedentibus prophetis collectae et modo satis aenigmatico propositae. Id ex libri analysi et explicatione patebit. Praeterea nota, normas Dei iam proponi in Pentateucho; ipsa fide communi effici, ut certus quidam idearum ambitus omnibus prophetis sit communis; *Scholz* quidem fere in unoquoque versu vatem nostrum ab alio dependere, ab alio mutuatum esse rem vel vocem deprehendit; at si singula lustraveris, videbis id partim proficisci ab artificiosa explicatione quam *Scholz* non semel adhibet, partim autem rem ita esse conformatam, ut iure quaeras, cur non potius Ieremias et Ezechiel a Ioel hausisse dicantur, vel saepe etiam mireris, cur in rebus valde obviis alterius ab altero dependentia omnino statuatur. Cur v. g. Ioel 1, 11 depromptum sit ex Ier. 14, 1-5; vel 1, 13 ex Ier. 4, 8; vel 1, 16 supponat Dan. 9, 27; vel 1, 20 efformatum sit secundum Ier. 14, 5. 6; vel 2, 3 originem ducat ex Ier. 12, 10; vel 2, 4 alludat ad Ez. 1, 2. 3; vel 2, 5. 6 ex Ier. 6, 23. 24 prodierit; vel 2, 9 ex Ier. 5, 10 et 9, 20 etc. etc. valde dubito an *Scholz* multis sit persuasurus. Si Ioel in schemate locustarum inter alia dicit « per fenestras intrabunt », res certe nulla difficultate obsepta est; nam, ut *S. Hier.* advertit : « nihil locustis invium est, cum et agros et sata et

arbores et urbes et domos et cubiculorum secreta penetrent ». Apud Ieremiam 9, 21 legimus: « ascendit mors per fenestras nostras » ; milites per fenestras intrare certe est insolitum ; sed ea locutio plana fit, si statuimus Ieremiam illum Ioelis locum respicere simulque advertimus apud Ioelem schemate locustarum hostem depingi. Si ergo dependentia est assumenda, locutio Ieremiae ex Ioele declaratur, minime vero vice versa.

Aliud temporis posterioris indicium *Scholz* repetit ex dicendi genere : sermonem esse valde prosaicum, parallelismum vix adesse, ornatum oratorium desiderari, dicendi genus saepe esse quaesitum, aenigmaticum ; quae omnia sint totidem argumenta indubia temporis posterioris. Sed contra hanc argumentationem duo liceat advertere : a) mirum est alios interpretes omnes genus dicendi vatis nostri haud exiguis celebrare laudibus ; ex multis pauca accipe. De eo ita iudicat *Lowth* (de sacra poesi Hebr. prael. 21. ed. *Ros.* p. 245) : « Ioel ab Hoseae stilo multum discrepat ; sed aeque poeticus est quamquam in genere diverso dictionis et compositionis character. Imprimis est elegans, clarus, fusus fluensque ; valde etiam sublimis, acer, fervidus ; ostendit capite primo et secundo, quid valet in descriptionibus poesis prophetica . . nec minus clara est rerum connexio, quam dictionis color ». Et *Ros.* : « est sublimis ingenii poeta, cui praeter Iesaiam et Habacucum in omni vatum hebraicorum numero vix invenias parem » ; similia legere est apud *Credner, Iahn, Ewald, Wünsche, Kaulen ; Zschokke* in eo laudat tamquam antiqui temporis notas dictionis puritatem, stili nitiditatem et orationis poeticae vim, et *Vigouroux* non dubitat asserere : « presque chaque verset de Ioel montre en lui un maître dans l'art de la parole ; sa langue est aussi pure qu'énergique, aussi vive que claire ; nous pouvons bien l'appeler classique, et, en fait, il servit de modèle aux prophètes qui le suivirent . . . Son style s'élève, par la sublimité, au-dessus de celui des autres prophètes, excepté Isaïe et Habacuc. Il unit la force de Michée à la tendresse de Jérémie et à la vivacité de couleurs de Nahum. Sa description de l'invasion des sauterelles est un admirable morceau littéraire » (Manuel bibl. II, 625).

Et etiam *Merx* vati nostro dictionem concedit elegantem, fluentem, sublimem (l. c. p. 78). Quae cum ita sint, iudicium illud adeo severum quod *Scholz* protulit, merito in dubium vocatur. Sed si etiam ei subscriberemus, nondum tempus post exsilium necessario esset assumendum. Nam b) non intelligitur, cur prophetae antiquiores quia sint antiquiores etiam stili elegantia et nitore debeant excellere, ita quidem ut si quis ab eo nitore vel illa sublimitate recedat, iam exsistat temporis indicium posterioris. Neque enim antiquitas, ut puto, dictionis vim et maiestatem confert, sed is fructus est ingenii felicis. Et quam infirmum tale sit argumentum, facile perspicies, si Osee dictionem comparaveris cum dicendi genere Isaiae; sub iisdem regibus uterque vaticinatus est; sed quanta stili differentia ! Osee haud immerito dicitur concisus, commaticus, ita brevis, ut saepe sit obscurus stilus, impeditus et obvolutus ; in Isaia vero iure laudatur elegantia, maiestas, ubertas dicendi et copia, perspicuitas ac compositionis dulcedo (cf. *Lowth* l. c. p. 241. 244)

Tertio in ipso vatis sermone *Scholz* posterioris temporis vestigia impressa

cernit. Praecipua quae affert, haec sunt: adhiberi 4, 3 פלשת; sed vox eadem iam legitur Is. 14, 29. 31; immo iam Ex. 15, 14; legi 2, 2 niphal verbi היה; sed eadem forma iam etiam legitur Ex. 11, 6. Deut. 4, 32; 27, 9; legitur saepius in libro Iudicum (19, 30; 20, 3. 12), Prov. 13, 19 et apud Ieremiam (5, 30; 48, 19), ergo non perspicitur, quomodo possit esse nota temporis post exsilium. Neque locutio נשא פרי certum est eius temporis indicium, cum similiter vox adhibeatur Ps. 72, 3; porro in medium profert *Scholz* poni 1, 9 hophal verbi כרת; verum utique est alias adhiberi *niphal*; at hanc formam hophalicam solum pertinere ad aetatem posteriorem, valde audacter asseritur. Dein linguam chaldaizantem ideoque posteriorem *Scholz* deprehendit in punctis voci עָרוּךְ 2,5 additis, in פתואל 1, 1; in אלי 1, 8; עבט 2, 7; in ἅπαξ λεγγ. 1, 17; in השיק 2, 24; in אל 4, 3; in עוש 4, 11. Sed haec rem non demonstrant. Nam ex punctis adscriptis ad tempus prophetae concludere audacius est; ceterum eadem punctatio etiam habetur Ps. 12, 2. Nomen *Phatuel* explicat *Scholz* ex chaldaico (cf. Dan. 3, 2. 3): *El est iudex;* sed etymologia est incerta; radix פתי etiam simili notione in arabico invenitur (cf. *Ges.* Thes. p. 1138); alii etymologiam ac significationem ex hebr. פתח proponunt (cf. *Ros. Keil*). Ad tertium exemplum noto: uti in usu erat נדד et נדה et sim. ita quoque אלה et אלל — ילל; ceterum talia verba dialectis semiticis sunt communia. Ad 2, 7 adverte notionem ex hebr. petitam *mutare, permutare* posse omnino retineri (cf. *Ges. Fürst, Wünsche, Hitz.*). Illa autem ἅπαξ λεγγ. 1, 17 ad rem agrariam designandam ex Mesopotamia repetere superfluum est, cum agriculturam Iudaei etiam in Palaestina exercuerint et certe nomen urbis *Migron* Is. 10, 28 iam ostendat, tale verbum etiam antiquis temporibus in Palaestina notum fuisse. Ad 2, 24 valet idem quod dictum est ad 1, 8. Cum praepositio אל usurpetur cum verbis loquendi, narrandi, plorandi, ridendi, precandi *de* aliqua re, cum etiam notionem saepius induat *adversus, contra,* non apparet ratio, cur 4, 3 usus temporis posterioris statui debeat vel possit. Demum עוש 4, 11 est ἅπαξ λεγ. Sed multum absumus in fragmentis adeo paucis sermonis hebr. nobis servatis, ut possimus asserere, hanc vel illam vocem tali vel tali saeculo non fuisse in usu positam [1]. Denique formam chaldaicam in הנחת 4, 11 perperam statui, vide in commentario ad h. l.

Quarto *Scholz* arguit pro tempore posteriore ex argumento et fine libri. Sed de ea re commodius sermo habebitur in subseq. et in commentario.

---

1. Talem assertionem non possum non vehementer semper mirari. Quis enim credibile censebit, nos in paucis illis scriptis Isaiae v. g. et Oseeet Amos et Michaeae omnia habere collecta verba hebr. quae saeculo 8 a. Ch. per Palaestinam usurpabantur? Quis scriptor omnia gentis suae vocabula novit, nedum adhibeat?

II. — Quale sit libelli argumentum

A plaga locustarum, cuius effectus etiamtum ingravescentes sentiuntur, sacer vates incipit. Vivide horrorem illius et calamitatem describit, qua vineae et ficus perierint et ipsa iam desit sacrificiorum materia et omnes ordines luctu et moerore afficiantur. Verum ea castigatione omnes vult ad poenitentiam invitari; quia nisi poenitentiam ea punitione eruditi egerint, iudicium Dei multo magis tremendum et horrendum ingruet; est enim plaga illa, quam iam experiuntur, initium quoddam et indicium gravissimi Dei in rebelles iudicii: *quia prope est dies Domini et quasi vastitas a potente veniet* (1, 15). Quod Dei iudicium ut avertant vel effugiant, poenitentiam suadet eamque adhortationem longiore fulcit descriptione, quibus et quam horrendis vindictae ministris Deus in contumaces sit usurus. Dein verae poenitentiae modum docet, spem excitat veniae ac misericordiae, quam ut revera consequantur, coetum sacrum indicit et preces supplicationesque ad Deum fundere iubet. Atque haec est *prima* libelli *pars* 1-2, 17, quae apte inter se cohaeret et claram sensuum seriem praebet, dummodo ad 1, 15 attendatur, scil. plagam praesentem esse maioris et gravioris iudicii quasi praeambulum, quod tamen facta poenitentia avertere possint.

Uti ex 2, 18 patet, populus eam adhortationem secutus vera poenitentia et sincero ad Deum reditu ulteriores Dei plagas avertit. Deus enim misericordia motus et recordatus amoris sui et electionis populi factae verba consolatoria ad populum loquitur: promittit rerum abundantiam, periculi amotionem, salutarem iustitiae institutionem; unde populus Deum laudibus prosequatur et eius potentiam expertus iam ab ulteriore opprobrio sit immunis. Insuper ea maioribus etiam donis excipientur: spiritus sui dona large effundet in omnes, et cum demum mundi machina in die iudicii ultimi erit concutienda, quicumque Dei nomen regnantis in Sion invocaverint, salvi evadent. Haec *altera parte* proponuntur (2, 18-32). Uti ipsa rerum serie cernitur, Ioel Dei *normas generales* amplissimis lineamentis adumbrat: Deus hereditatem suam non abiicit, verum postquam eam castigavit, ipsos ultionis ministros destruet et suos donis temporalibus et spiritualibus concessis ad maiora bona i. e. messianica praeparat. Haec bona spiritus Dei effusione larga constitui docet et demum periodum messianicam magno Dei iudicio esse concludendam ostendit una salutis tessera in Dei nomine invocato proposita.

Normam salutis exhibuerat invocatione Dei regnantis in Sion. Iam in

tertia parte ratio redditur, cur in Ierusalem salvatio sit futura. Deus enim hanc urbem regni sui sedem elegit, quare ultionem capiet de omnibus, qui ei iniuriam intulerint. Vindictam eam vicinis populis primum denuntiat, dein ex particulari illa punitione transit ad cladem universalem omnibus regni Dei oppugnatoribus inferendam. Sacro enim bello, cui Dei cultores omnes et ipsos angelos auxilium ferentes adesse docet, erit dimicandum, eo quidem eventu, ut demum rebelles omnes Deo iudici sistantur proterendi, dum Deus suis futurus sit spes ac fortitudo. Tali vero rerum omnium exitu proposito omnes iam nunc agnoscere debent: Dominum habitare in Sion, Sionem i. e. regnum a Deo fundatum sanctitate et protectione divina exornari, atque in eo solo benedictionem et salutem concedi (3, 1 - 21).

Ita in tertia quoque parte sacer vates ex rebus particularibus, quas initio tangit, mox ad *normas* regni Dei *generales* ascendit sacramque militiam in eo regno esse alacriter obeundam docet, quam superno angelorum subsidio (ex textu hebr.) iuvari declarat; eius militiae finem et exitum in saeculorum consummatione futurum proponit. Sed si talis est rerum omnium finis, una salutis norma, i. e. Dei nominis invocatio atque religio sancta erit usurpanda.

Ex hac argumenti consideratione patet certam rerum seriem apud Ioelem deprehendi. Plaga locustarum regionem saepius iam esse percussam aperte docetur; coniungi cum hac vastatione qua fruges deletae sint etiam magnam ariditatem, qua *futurae* quoque messis spes seminibus granisque in humo emortuis funditus tollatur, ex 1, 17-20 pariter elucet. Duas plagas ita inter se coniungi, ut tempore veris et aestatis agmina grassentur locustarum, tempore autumni vero siccitate spes messis futurae tollatur, nihil habet quod in se sit improbabile. Propheta igitur calamitates quas experti sunt et quibus etiam tum affliguntur adhibet, ut ad poenitentiam eos excitet. Qua in explicatione sermo propheticus cp. 1 clarus est ac lucidus, cui tenebras offundis, si cum *Merx* et *Scholz* statim confugeris ad explicationem eschatologicam. Calamitates praesentes indicia esse et praesagia maioris iudicii pro impoenitentibus, ipsa verba 1, 15 edicunt; quod si attenditur id ad quod verba prorsus cogunt: *prope est dies et vastitas veniet,* aptus habetur rerum progressus et quomodo descriptio cp. 2 sit explicanda via sternitur, et insuper adhortationi ratio adiungitur valentissima. In tali acceptione Ioel minime est accusandus cum *Scholz,* quod aenigmata proponat, quod nolit certum gigni sensum in legentium vel audientium animis. Dein reliqua quoque libelli pars apte subsequitur: Deus populum resipiscentem gratia donat novisque beneficiis et demum bona largitur messianica.

Ex eo quod Ioel hostes populi externos non nominat, *Merx* et *Scholz* colligunt, tales omnino non adfuisse, atque inde, cum ante exsilium semper hostes imminerent, tempus fluere post exsilium volunt. Sed illatio haec pluribus peccat. Nam 3, 4-8. 19 hostes designantur Phoenices, Philisthiim, Edomitae i. e. iidem quos Amos quoque enumerat (1, 6-12), et arbitraria est explicatio a *Scholz* proposita hisce omnibus non intelligi nisi hostem regni Dei ultimum et eos versus iam delineare ultimum iudicium. Neque facile ei concesseris, temporis posterioris notam cerni in eo quod apud Ioel servi dicuntur vendi et in terras *occidentales* mitti, dum tempore Amos in plagas missi sint *orientales* (1, 9). An fortasse tempore Amos Phoenices solum orientem versus mercaturam exercebant? Porro illatio illa etiam eo peccat, quod supponit in libello prophetico exprimi debere imaginem *adaequatam* temporis. Sed e sacris literis etiam discimus, prophetas a Deo quandoque excitatos et missos esse, ut in *una* aliqua calamitate populo opem et subsidium ferrent (cf. 2 Par. 20, 14 seq.). Potuit igitur fieri, ut Ioel solum spiritu Dei induceretur ad populi institutionem et adhortationem in illa calamitate faciendam; unde sermo eius adaequatam conditionum temporum eius descriptionem minime postulasse censendus erit.

LIBER IOEL

PRIMA PARS 1-2, 17.

Arg. — Describit sacer vates ingentem locustarum plagam nuper factam, cuius effectus etiamtunc sentiuntur. Talem eam esse ait, ut ne senes quidem similem recordentur, ut digna sit, quae longa generationum serie hominum memoriae prodatur; plaga enim ingens erat diuque protracta, qua vineae et ficus perierunt, fruges et fructus interierunt, ita ut ipsa sacrificiorum materia iam deesset, et agricolae summa penuria laborarent, et sacerdotes maximo luctu prosternerentur (1, 2-13). Hac vero plaga ad poenitentiam omnes provocari necesse est. Est enim initium et indicium gravissimi Dei in rebelles iudicii; cuius terrorem ut incutiat, iterato depingit, quantum illud quasi iudicii praeludium iam intulerit hominibus, animalibus, agris horroris et calamitatis (1, 14-20). Quod Dei iudicium iamiam contumacibus imminens ut avertant, poenitentiam suadet eamque adhortationem descriptione horribilis Dei iudicii fulcit; diem scil. ingruere miseriae summae, horroris infandi; Deumque usurum ministris vindictae fortissimis, horridis, quos vincere vel effugere nemo possit, quos Dominus ipse quasi dux belli fortitudine et horrore induat (2, 1-11). Minis istis propositis ad poenitentiam sacer vates adhortatur, verae poenitentiae modum docet, spem excitat veniae ac misericordiae, quam ut consequantur, omnes ordines sacro coetu vult congregari et preces atque obsecrationes ad Dominum fundi, quarum exemplum proponit a sacerdotibus nomine omnium recitandum (2, 12-17).

a) **Plaga locustarum 1, 1 - 13.**

Libri inscriptione « *Verbum Domini, quod factum est ad Ioel, filium Phatuel* », — propheta missionem a Deo acceptam manifestat, seque non sua auctoritate, sed Dei mandato loqui ostendit. Similiter v. g. in

epistolis Apostoli hunc suum titulum iuris et auctoritatis praefigunt, ut non nomine suo se loqui sed Dei legatione fungi perhibeant (cf. *Cyr.*).

Ut in plaga praesenti Dei manum vindicem agnoscere ne detractent, « arte rhetorica ex rerum magnitudine attentum auditorem facit : nulla haec, inquit, aetas meminit, quae dicturus sum, nec vestro nec patrum vestrorum atque maiorum facta sunt tempore » (*Hier.*); v. 2 « *audite hoc, senes, et auribus percipite, habitatores terrae! si factum est istud in diebus vestris aut in diebus patrum vestrorum* »? — i. e. ut haud ineleganter *Ps. Ruf.* exponit : « omnes ergo iam ad audiendum incolae convenite; vel vos, qui senio vitae istius plurima pericula collegistis [1], vel vos qui minus licet habeatis annorum, tamen vigenti memoria potestis continere, si quid simile a parentibus accepistis, quale in praesentem confluxit aetatem. Immo quid dicam? solos consulamus annales, quasi exemplorum solatia requirentes, cum in eum cumulum miserias gentis nostrae ascendisse perpendam, ut nihil tale vel apud futuros possit exsistere ». Unde sicut nulla aetas tale tulerit, ita dignum esse, quod longa generationum serie cum admiratione narretur, ad rei magnitudinem animis imprimendam ait v. 3 « *super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alterae* » [2]; — cf. Ps. 77, 6 (*Theod.*) distincta enumeratione res efficacius proponitur. Uti alias liberationem ex Aegypto, maximum Dei beneficium, filiis narrare iubebantur (Ex. 10, 2; 13, 8; *Lap.*), sic iam eius calamitatis enormitatem ne committant e memoria elabi, [3] verum filiis praecipiant, ut eam quasi per manus filiis suis tradant (*Theod.*).

---

1. Cum agatur de ferendo testimonio, num scil. unquam tale quid acciderit, apte *senes* compellantur et solum *aetate* seniores h. l. intelliguntur, non uti *Merx* vult, *primores* populi. Ex eadem ratione spernenda est lectio varians *sacerdotes* (vide *de Rossi* ad h. l.). Etiam vox syriaca קשישא quae in versione syr. h. l. habetur, proprie *senem* dicit et saepe ea notione adhibetur (cf. *Bernstein*, lex syr. Chrestom. Kirsch.), quamvis etiam, uti apud Graecos πρεσβύτερος, de *sacerdote* dicatur. Nostro autem loco eo magis de grandaevo explicari debet (contra id quod *Wünsche* statuit, Die Weissagungen d. Proph. Ioel, Leipzig 1872), quia *sacerdotes* voce כהנא designantur in versione syriaca; vide 1, 9. 13; 2, 17.

2. Erat *alterae* pro *alteri* in usu linguae vulgaris; immo alias quoque invenitur; cf. *Terent.* Heaut. II. 2, 30. Phorm. V. 7, 35. *Cornel. Nep.* 18, 1. 6 (*Roensch*, Itala und Vulgata, p. 275) *Caes.* B. g. 5, 27, 5 (*Kaulen*, Handb. z. Vulg. p. 147). Similiter *illo* pro *illi* apud *Terent.* Eun. V. 1, 21 (cf. *Roensch* l. c.).

3. Unus interpres, *Scholz*, in v. 2 et 3 *contradictionem* et *aenigma* adesse censet; vult scil. dici rem eam quam debeant narrare non esse factam tempore eorum qui tamen narrare iubeantur; intelligi igitur eventum qui illo tempore factus sit et simul non factus sit, qui *contradictoria* in se concludat; talem autem eventum esse *iudicium mundi* quippe quod totum rerum ambitum totamque seriem complectatur et in unaquaque generatione quidem fiat, at ita, ut integrum tamen non fiat. Sed subtiliora haec sunt; nam interrogatio illa : *num istud factum est in diebus vestris* plana est et psychologice ponitur et ex communi hominum sensu intelligitur de eventu quodam extraordinario, qui nunc quidem adsit men-

« Atque ita excitatis ad audiendum senioribus et aliis universis totam deinceps calamitatum seriem enarrat » (*Theod.*) v. 4 « *residuum erucae comedit locusta, et residuum locustae comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo* ». — Frugum et graminum vastationem quam maximam designat, quae per quattuor causarum genera serie non interrupta inter se excipientia effecta sit. Textus latinus et graecus praeter duo locustarum vel genera vel agmina et *erucas* (Raupe) et *rubiginem* (Mehlthau) effert, quibus virentia omnia stirpitus sint enecata. Mala arcte inter se subsequentia modus loquendi *residuum erucae...* indicat i. e. si qua priore calamitate intacta relicta fuerint, insequente certo certius absumpta et deleta sunt; cf. Is. 24, 17. Ier. 15, 2; 48, 43; id quod *Ps. Ruf.* innuit: « enuntio non vos uni videlicet alterisque subiacuisse verberibus, (verum) excitatas calamitates spumantium instar undarum novis semper praecedentes miserias depulisse ». Neque enim de quattuor annorum penuria sermo esse potest, quia quae subsequente anno nascuntur, non residua dicuntur anni praeteriti.

In textu hebr. quattuor nomina locustas significant. Sunt qui censeant designari quattuor species vel varias illas formas quas animalcula illa pro vitae tempore diverso induunt; ita, ut גָּזָם primum ex ovis exclusum foetum dicat, et reliqua nomina ceteras locustarum metamorphoses indicent. At vana est coniectura, cui iam 2, 25 obstat et ex Lev. 11, 22 אַרְבֶּה nomen est generale. Probabilius est ex nominum ratione, varia nocendi et plantas devorandi genera exprimi, ita ut locustarum agmina plura nominum etiam varietate distinguantur. גָּזָם cf. 2, 25. Am. 4, 9 proprie *abscindentem amputantem* dicit et aptum est ad dentes praeacutos. LXX et *Hier. erucam* (κάμπην) dixerunt; cui significationi זחלא quod *Chald.* habet, *repens* scil. congruit. Ex. 10, 12 Moyses אַרְבֶּה iubetur advocare; in Ps. 78, 46 (hebr.) mentio est in eodem eventu חָסִיל et אַרְבֶּה, dum Ps. 105, 34 praeter אַרְבֶּה etiam יֶלֶק nominatur. Si nomina consideraveris, יֶלֶק *linctorem* [1] dicit, qui scil. herbas et plantas lingendo devoret; חָסִיל *consumptorem, exesorem* significat; unde tria haec nomina haud immerito dixeris synonyma *poetica* pro אַרְבֶּה in sermone communi usitato. Ceterum יֶלֶק *S. Hier.* ubique *bruchum* interpretatur; LXX dicunt βροῦχον hic et 2, 25. Nah. 3, 16. Ps. 104, 34; dum ἀκρίδα vertunt Nah. 3, 15. Ier. 51, 14. 27. — Nomen חסיל *S. Hier.* reddit *rubiginem* (3 Reg. 8, 37), sed in loco parallelo 2 Par. 6, 28 *bruchum;* eadem ratione LXX ibi ἐρυσίβην hic βροῦχον; Is. 33, 4 *bruchum,* LXX ἀκρίδα; Ps. 77, 46 *aeruginem,* LXX ἐρυσίβην. Explicat vocem *Chald.* שְׁמוֹטָא decerpens.

Vastationem universalem per quattuor illa nomina expressam iam per

---

tesque percellat ita, ut similis cuiusdam eventus memoria non habeatur. Ita enim loqui solent homines in re inaudita, quam *inauditam* dicimus, quia *hucusque* non fuerit audita.

1. Cf. *Wünsche* ad h. l.; alii vocem ex arabico malunt explicare *properantem, salientem* (*Scholz*).

singula accuratius ob oculos ponere incipit, sed ita, ut ex calamitate ad Dei vindictam agnoscendam et ad doloris poenitentiaeque sensus concipiendos moveantur.

Quare primo eos alloquitur, qui sensuum voluptatibus immersi rerum penuria iam premuntur v. 5 « *expergiscimini, ebrii, et flete et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro* » ; — hebr. *ululate omnes potatores vini super mustum,* [1] *quia abscissum est ab ore vestro* i. e. hortatur, ut e temulentia et ebrietate emergant, serio recogitent, luctum, fletum, dolorem induant. Hic quasi primus est ad resipiscentiam gressus : malis afflictum dolere. « Quos ergo nihil docuit disciplina iustitiae, incipiat saltem timoris stimulus experiri, quique nunquam doluistis sauciatam innocentiam, flete demum temulentiam destitutam » (*Ps. Ruf.*) ; « assumite tristitiam, quae ducit ad vitam » (*Hier.*). Carentes igitur consueta vitae suavitate [2], ad eum qui mala inflixit oculos advertant. Cur mustum sit excisum ab ore eorum, i. e. cur subito spes omnis uvarum et musti, qua iam delectabantur, sit ablata, declarat v. 6 « *gens enim ascendit super terram meam, fortis et innumerabilis : dentes eius ut dentes leonis et molares eius ut catuli leonis* » ; — hebr. *et molares leaenae ei.* Apta et efficax locustarum descriptio ! gens (cf. Prov. 30, 25. 26. Soph. 2, 14) propter turbam innumerabilem vocatur et quia tamquam *exercitus* a longinquo veniens *ascendere contra terram* describitur ; fortitudine et numero exercitus iste excellit, arma gerit horrenda ; quis enim leonis dentibus obsistet ? « huius enim si *efficientiam* potius quam membra [3] consideres, videbis dentes eius praedandi peritis

---

1. Scribit *S. Hier.* in com. : « qui bibitis vinum in dulcedine vel in ebrietate » ; LXX εἰς μέθην. Vertunt עָסִים Am. 9, 13 γλυκασμός, sicut *vulg.* habet *dulcedinem.*

2. Vocantur *ebrii*, *potatores vini* non quia dum propheta loquitur talia, ebrietate correpti iacebant, sed quia quamdiu opportunitas aderat eiusmodi vitiis indulgebant et etiam tum saltem talem mentis habitum et vitiorum proclivitatem retinebant a poenitentia alieni. Ad sermonis vigorem pertinet spem illam qua uberem uvarum messem sibi promiserant, ita describere, ut nobis exhibeantur quasi ore aperto iamiam inhiare ad mustum quod mox fore exspectarent. Haec monenda erant, quia *Scholz* etiam in hoc versu miras invenit contradictiones : penuriam scil. iam adesse ; sed tunc non intelligi, quomodo adhuc ebrii sint et ad expergiscendum debeant admoneri ! Quare iterum vult sermonem esse de *iudicio mundi*, quippe quod aeque bene et recte tamquam praeteritum, praesens, futurum possit describi. — In textu hebr. *ebrii* שִׁכּוֹרִים ; est sicera, uti *S. Hier.* dicit, « omnis potio quae inebriare potest, sive illa quae frumento conficitur sive pomorum succo, aut cum palmarum fructus exprimuntur in liquorem coctisque frugibus aqua pinguior coloratur » (ep. ad Nepot. *M.* 22, 536).

3. Quibus verbis *Ps. Ruf.* iam removet explanationem a *Scholz* traditam : cum enim locustae non habeant dentes, vatem relinquere imaginem locustarum et hostem illum ultimum qui alias quoque tamquam leo describatur, delineare ; qua re documentum edatur perspicuum, hostem intelligi ultimum et vatem eos supponere lectores qui prophetas norint, apud quos quippe *leo* ea ratione adhibeatur (Ier. 2, 15 ; 4, 7 ; 25, 38 ; 50, 44. Dan. 7, 7).

leonibus conferendos » (*Ps. Ruf.*). Et revera subdit *efficientiam* eius : v. 7 « *posuit vineam meam in desertum et ficum meam decorticavit; nudans spoliavit eam et proiecit, albi facti sunt rami eius* » ; — uti Os. 2, 12, *vites* et *ficus* tamquam praecipua regionis emolumenta commemorantur ; hebr. *et ficum meam in confractionem* (LXX εἰς συγκλασμόν).... *albuerunt palmites eius ;* vites scil. cortice arroso et detracto interierunt ; flagella palmitum confracta sunt vel penitus aruerunt.

Porro miseriam deplorat totum populum ad luctum provocans v. 8 « *plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suae* » ; — i. e. virgo et sponsa, quae primos amores eosque ferventissimos iuveni [1] sponso consecravit, etiam sponso subito sublato acerrimis doloris stimulis exagitatur, dum laetam vitae spem et amoenitatem omnem, quam sibi mente iam finxerat, ruina irreparabili prostratam cernit ; quare luctus magnitudinem habitu squalido prae se fert ; est enim *saccus* cilicium, pannus crassus e pilis potissimum textus, dein lugentium vestis e tali panno confecta et lugubri asperitate corpus tegens, non ornans. Talis vero luctus maximi ratio habetur v. 9 « *periit sacrificium et libatio de domo Domini, luxerunt sacerdotes ministri Domini* » ; — cum enim in veteri testamento terrae fertilitas rerumque abundantia populi pietatem consequi soleret et Dei propitii esset documentum, maius numinis irati argumentum vix excogitari potest, quam si tanta vastatione hereditatem suam prosternat, ut ipsae oblationes sacrae cessare debeant ; proiectis autem et abolitis sacrificiis, quibus sacrum illud inter Deum et populum commercium constituitur, ipsum populum iam abiecisse et a sua gratia quasi resecuisse videri poterat. Ad sacrificia incruenta (cf. hebr. מִנְחָה) frumentum (simila, panes absque fermento, — Lev. 2, 4), oleum, vinum adhibebatur ; unde vastatis omnibus atque consumptis oblationes quae a privatis fieri consueverunt vel omnino cessarunt, vel raro saltem fiebant [2]. Licet sane dubitare, num sacrificia etiam publica lege praescripta

---

1. Hebr. *vir iuventutis* ; cf. Prov. 2, 17. Is. 54, 6. Ier. 3, 4. Mal. 2, 14. Designatur ergo a vate virgo recenter desponsata, quae sponso morte subito abrepto ab omni spe excidit. Neque obstat quod sermo sit de virgine *illibata* (בתולה) et de *viro*, marito (בעל) ; nam ipsa desponsatione iam matrimonium fixum ratumque habitum fuisse, elucet ex Deut. 22, 23. Quare verum non est quod *Scholz* vult, duas has voces non bene inter se congruere et Ioelem explicari debere ex Ier. 18, 13.

2. Res videtur satis perspicua et simplex. At *Scholz* miratur, in narratione de fame tempore Eliae (3 Reg. 17. 18) non fieri mentionem quoque de cessatione sacrificiorum ; unde censet de cessatione sacrificiorum tempore messianico a vate hic institui sermonem et alludi ad Dan. 9, 27 (?) i. e. ad tempora ultima et ad dies in quibus « vastator » grassatur.

Libatio ad sacrificia quotidiana adiungi debebat ex vino ; addebatur quoque simila oleo conspersa ; cf. Ex. 29, 40. 41. Num. 28, 3-8.

intermissa sint; nam lugentium et plorantium verba, qualia certe vates hic usurpat, nimis premenda non sunt et verum est, quod *Calm.* adnotat: « hyperbolicum aliquid in his verbis esse videtur; aegre enim crediderim, gravem adeo saeviisse famem, ut vel quotidianis sacrificiis nihil reliquerit; tametsi enim omnes praesentis anni fructus defecerint, vel superioris anni esse poterant, vel a finitimis emi ». Sacrificiorum cessatio etiam sacerdotes a functione sacra et oblationum perceptione cohibuit et regionis vastitas decimis spoliavit, unde ampla luctus materia iis aderat et sacra et profana.

Atra vero illa tristitia, qua populus est afflictus, etiam in ipso regionis agrorumque habitu cernitur impressa : nulla camporum amoenitas, prata virentia et ridentia iam non sunt : v. 10 « *depopulata est regio, luxit humus; quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum* » ; — ea scil. quibus regio palaestinensis celebris erat (cf. Ez. 27, 17), defecerunt; dicuntur poetice *erubescere, pudore suffundi*, quia a pristina gloria deiecta sunt et exterorum opinionem et exspectationem fefellerunt. Ex tali autem regionum desolatione etiam incolae irrisionem et ludibria aliorum incurrunt praeter dolorem et gemitum domesticum : v. 11 « *confusi sunt agricolae* [1], *ululaverunt vinitores super frumento et hordeo, quia periit messis agri ;* v. 12 *vinea confusa est et ficus elanguit ; malogranatum et palma et malum et omnia ligna agri aruerunt, quia confusum est gaudium a filiis hominum* ». — Notat *S. Hier.* : « non solum frumentum, sed hordeum quoque, quod vilius fertiliusque est, aruit. Et legumina, quae ego puto significari in eo quod ait *periit messis agri* i. e. cuncta, quae solet humus gignere. Quid loquar de frumento, vino, oleoque et hordeo, cum etiam arborum poma siccata sint, ficus elanguerit, et malogranatum et palma et malum et omnia ligna vel infructuosa vel frugifera locusta vastante consumpta sint » ? [2] *quia confusum est gaudium* ad sententiam primariam *ululaverunt* refertur ; confundi, erubescere gaudium *Rib.* ita explicat : « sicut qui incipit exhilarare alios, si explodatur aut tacere iubeatur, confunditur, ita gaudium sese ostentare coeperat, et repente succisum est ».

---

1. Si respexeris v. 5. 8. 13, haud invitus *imperativum* admiseris ex hebr. *confundimini* ; ita vertit *Aq.* αἰσχύνθητε (cf. cod. syr. hexapl.) ; ita proponunt *Mar. Wünsche, Keil* ; ita ut videtur *Chald.*, dum alii, ut *Sym. Theod. Schegg, Scholz*, tempus praeteritum exprimunt. LXX habent ἐξηράνθησαν ; sed in alio membro θρηνεῖτε.

2. Quanta in aestimatione fuerint *vinea* et *ficus*, ex locutione proverbiali elucet 3 Reg. 4, 25. Mich. 4, 4. Magno cum encomio de iis loquitur *Iosephus* (de bello iud. 3, 10, 8) : τὰ μὲν βασιλικώτατα σταφυλήν τε καὶ σῦκον δέκα μησὶν ἀδιαλείπτως χορηγεῖ (cf. *Wünsche, Scholz*). רִמּוֹן *arbor punica* frequens erat in Palaestina ; de eius laudibus cf. Cant. 4, 3 ; 6, 7 ; 8, 2. 8. תָּמָר *palma*, spec. phoenix dactylifera, arbor pulcherrima et utilissima, ad

Universalis lamentationis coronidem adiungit sacerdotum luctum *iterato,* quia cessatio sacrificiorum miseriae est culmen et gravissimae punitionis vel abiectionis quam Deus iamiam est inflicturus augurium; deinde quia sacerdotum est exemplo praeire et luctum communem poenitentia et placatione divina consecrare. Ita v. 13 et allocutio ad sacerdotes optime praeparat transitum ad poenitentiae exhortationem; v. 13 « *accingite vos et plangite*[1] *sacerdotes, ululate ministri altaris, ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio* »; — *accingite* i. e. saccis, habitu lugubri; hebr. *pernoctate in sacco* i. e. diu noctuque lugete et lamenta coram Deo effundite in templo (cf. 4 Reg. 19, 1. Ps. 87, 2; 133, 2). Sacrificiorum cessatio *sacerdotes,* quorum officium praecipuum et honorificentissimum est *offerre,* eosque *Dei ministros,* quorum est cultum Dei et adorationem exhibere et promovere, moerore afficere et de divina indignatione edocere debet. — Inceperat vates luctus descriptionem a profanis (v. 5), concludit ordine sacro, ut exhibeat, quomodo per omnes ordines eadem valeat lamentatio.

Explicavimus et explicandum esse cum *Trochon, Vigouroux* aliisque omnino censemus de locustarum plaga, cuius malis homines et regiones terrae Iudaeae tunc affligebantur. Hanc explanationem verba ipsa plane necessario exigunt. Nam adsunt nomina locustarum, describuntur vastationes, quales locustae inferunt v. 7. 10-12: vites et ficus, viridia, gramina, arbores, omnia depasta sunt; dein eadem claritate haec calamitas proponitur non *ut futura* sed ut *praesens*[2], quae nunc vastatione facta multiplici effectu sentiatur. Id indicat verborum forma temporis praeteriti, qua utitur vates; id nexus ipse et exhortationis ratio: nam effert v. g. v. 6 cur vinum perierit, vel ab ore et desiderio potatorum sit excisum: *quia* gens ascendit, *quia* vineam posuit in vastationem; vel v. 10 cur luxerit humus, causam affert, *quia* devastatum est triticum. Ipsa etiam ad luc-

---

praecipuas Palaestinae laudes adnumerabatur; « Iudaea inclyta est vel magis palmis » (*Plinius,* hist. nat. 13, 26 — cf. *Ges.* s. v. *Scholz*); adeo frequens erat, ut palma in nummis iudaicis et romanis tamquam Palaestinae symbolum cernatur (cf. *Schenkel* Bibellex. I p. 580). In hebr. legi notant *etiam palma* cum quadam gradatione, quia palma in magna quoque ariditate diu viridis maneat (cf. *Wünsche*); sed cum h. l. de ariditate probabiliter nondum inferatur sermo, particula גַּם solum enumerationis ambitum et nexum designare videtur (cf. *Ges.* Thes. p. 294).

1. Verbum varia luctus manifestandi genera designare potest; LXX κόπτεσθε; ea erant pectus tundere, vestem scindere, crines barbamque vellere, amictu vultum velare, humi sedere, ingemiscere etc. (cf. Is. 32, 11. 12. Ez. 24, 17. Esdr. 9, 3).

2. Quare calculum non adiicimus sententiae *Kaulen* censentis (Einl. p. 345), propter formam poeticam non discerni posse cum certitudine, utrum de praesenti an de futura calamitate sermo fiat.

tum provocatio et inde consequens exhortatio ad poenitentiam omnino exigit calamitatem, quae iam adsit et sentiatur. Praeterea prima verba, quibus Ioel orditur, idem necessario supponunt. Nam quomodo senes de *futura* calamitate testari possunt, nunquam exstitisse adeo gravem et horrendam? id testari possunt tum tandem, si per aliquod tempus illam experti sunt. Eadem explicatio demum v. 16 - 20 necessario subest; nam calamitatem *praesentem* ibi enarrari verbis tam propriis, quibus aptiora inveniri non possint, sola lectione manifestum fit. Praeterea perpende id quod 2, 25 dicitur; promittit enim Deus, se redditurum esse annos quos comederit locusta, *fortitudo mea magna quam misi in vos*; idque promittit, postquam *zelatus est terram suam et pepercit populo suo* 2, 18. Iam fieri nequit, ut talia dicantur, si ipsa locustarum plaga tamquam tempore futuro superveniens consideratur; cur enim Deus promitteret id se redditurum esse quod poenitentia peracta nunquam erit auferendum? Qui enim hoc iam caput de *futura* plaga explicant, fateri debent, eam nunquam accidisse vel saltem non evenisse, antequam propheta verba illa 2, 25 diceret. Sed tunc quis iam esse potest verborum illorum sensus congruus? Insuper adverte, Ioelem hoc capite, quando de *futura* calamitate loqui velit, vel de tali quae mox consequi et imminere possit, studiose et diligenter verba et verbi formam grammaticalem futuram seligere; ita in v. 15, quo calamitatem praesentem indicium esse ait maioris venturae: *quia* PROPE *est dies Domini, quia vastitas a potente* VENIET יָבוֹא.

Verum si *numero* interpretum, praecipue veterum, res esset diiudicanda, explicatio adeo plana et verbis prophetae consona relinquenda foret. Nam plerique non locustas, sed hostium exercitus, non praesentem calamitatem, at futuram interpretantur. Et *S. Hier.* quidem a Iudaeis utramque tradi refert et de hostibus venturis et de locustis; ipse priorem potissimum sequitur: « tantum dicimus, quod sub metaphora locustarum hostium describatur adventus, sive Assyriorum et Babyloniorum, qui tunc imminebant: sive Medorum atque Persarum, qui post futuri erant; sive Macedonum, quos multo tempore post fuisse cognovimus; sive ultimo Romanorum »; hanc explicationem antea ut Iudaeorum protulerat; *suam* ita effert: « licet nunc nobis magis de Babyloniis dici videatur atque Chaldaeis, quorum crudelitas in populum Dei feritasque describitur; et ni fallor, videor mihi in hoc propheta aliquid reperisse. Narratur impietas hostium sub figura locustarum; et rursum sic de ipsis locustis dicitur, quasi hostibus comparentur, ut cum locustas legeris, hostes cogites; cum hostes cogitaveris, redeas ad locustas ». In interpretatione tamen *S. Hier.* quandoque de locustis *vel* de hostibus explicat. *S. Ephraem* et locustarum et hostium adventum simul exprimi censet; hostes vero intelligit quattuor hos: Theglathphalasar, Salmanassar, Sennacherib, Nabuchodonosor; hos etiam *Barh.* exprimi censet. *S. Cyr.* dubius haeret, utrum de locustis an de hostibus sit sermo; at ultimum praefert

et praecipue de Salmanassar, Nabuchodonosor, Antiocho Epiphane, Romanis explicat. Praeterea, ut *S. Hier.* quoque, *moralem* etiam explanationem subiungit. *Theod. M.* hostes quattuor eos, quos S. Ephraem recenset, intelligit. *Rup. Alb.* illam proponunt, quam priore loco *S. Hier.* tamquam Iudaeorum explanationem adduxit. *Haimo* quattuor illos recenset, quos modo a *Cyr.* quoque nominari dixi. *Hugo de S. Victore* vult intelligi Assyrios, Babylonios, Persas Medosque, Macedonas. *Rib.* vero et *Sanct. Lap. Sa, Mar. Men. Gord.* quattuor expeditiones et irruptiones Chaldaeorum in quattuor locustarum pestibus cernunt; *Tir.* vero significari ait Pharaonem Nechao, Nabuchodonosor, turmas chaldaicas, quas Nabuchodonosor anno 8 regni effuderit in Iudaeam, et demum ultimam eius in Ierusalem expeditionem anno 11 Sedeciae.

Aliam interpretandi viam ingressus est *Scholz.* Non quidem negat, tempore Ioelis plagam locustarum exstitisse et ab hac vatem ansam capere et opportunitatem vaticinii; at simul cum *videatur* vates plagam hanc describere, proprie maius quid atque illustrius tractari scil. iudicium mundi et hostem regni Dei ultimum; esse scil. partem libelli priorem (1, 3-2, 32) plus minusve aenigmaticam, quae demum altera parte (cp. 3) omnino parallela plane declaretur. Intelligi a vate non locustas, verum designari hostem ultimum, iam eo innui censet, quia v. 6 de gente *forti* et *innumerabili* mentio fiat; talem autem exhiberi quoque hostem illum; et ita imaginem quidem retineri locustarum, at simul subobscure innui, ad quid oratio proprie tendat (cf. Deut. 28, 49. Is. 8, 7. Ier. 4, 13; 5, 16. Ez. 38, 16. 19). Et cum alibi populus Israel appelletur *vinea* Domini, etiam apud Ioelem vineam et ficum a locustis devastatam v. 7 de populo Dei qui ab hoste impugnetur explicari vult. Quare etiam non uno in loco asserit, Ioelem solere consulto ita aenigmatice loqui, ut quid proprie dicere intenderit, nolit deprehendi a lectoribus, donec tandem cap. 3 aenigma declaretur.

At haec subtiliora videntur et plane incredibilia. Iam in notis antecedentibus quam contortae explicationes quandoque proponantur, paucis declaravi. In locustarum agminibus metaphora gentis fortis et innumerabilis tam prope adiacet, ut si aliud voluerit vates designare, non subobscure et aenigmatice locutus sit, sed obscurissime. Atque si in *vinea* et *ficu* v. 7 Israel, populus Dei est cogitandus, quid deinde in v. 10 in regione, oleo, tritico, vino? quid in messe agri, in frumento, hordeo v. 11? quid in v. 12 in malogranato, palma? Nescio an exhortatio ad poenitentiam a vate facta valde sit efficax, si praeambula et rationes poenitentiae ita ab eo proferuntur, ut tamen quid proprie dicat, nolit ab auditoribus intelligi, sed aenigmata tantum et « contradictoria » iis proponat. Atque ut summatim dicam, prophetam per vaga et incerta incedere et rem planam involucris obvolvere minime mihi persuadetur.

In hac opinionum varietate, qua verba adeo plana in sensum improprium, metaphoricum detorquentur [1], verum solatium interpreti afferunt *Theod.* et *Ps.*

---

1. Talem Ioelis explanationem *S. Cyr.* commendare studet eo, quod apud Ez. 17, 3 nomine *aquilae grandis* rex designatur, *Rup.* eo quod apud Danielem symbolo bestiarum regna repraesentantur — sed magnum adest discrimen iam ex eo, quia utroque in loco explicatio

Ruf., quorum uterque propriam explicationem vindicat. Et ille quidem ita : « existimo autem etiam ut dicta sunt contigisse. Nam beatus Amos meminit etiam locustae et bruchi et combustionis et aeruginis; ficuum item, olearum et vinearum ab erucis consumptarum, squaloris praeterea et pluviarum inopiae. Pars enim una, inquit irrigabitur, et pars super quam non pluero, arefiet [1]. Huius vero etiam divinus Ieremias mentionem facit [2]. Non igitur figurate solum haec accipienda sunt, cum sacri prophetae ad unum omnes nos docuerint, supra dicta sicut narrantur accidisse ». Potest addi, Deum revera eiusmodi plagas rebellibus minatum esse cf. Lev. 26, 22. Deut. 28, 38 : *sementem multam iacies in terram et modicum congregabis, quia locustae devorabunt omnia* et seq. Et hoc argumento iam utitur *Ps. Ruf.* : « quae sane incommoda illis non semel sed plerisque accidisse temporibus vel ipso quem disserimus propheta vel Deuteronomio denuntiante colligimus. Unde et illorum opinionem qui haec omnia de hostibus dicta aestimant, refutamus », quam sententiam allusione facta ad *S. Hier.* expositionem in subsequentibus reiicit. Verum iure miraberis, etiam *Theod.* non de calamitate iam facta, sed de *futura* explicare et *Ps. Ruf.* quoque censere « impendentem magis calamitatem quam illatam » significari. In eadem opinione etiam sunt *Schegg*, *Loch*, *Merx*, *Kaulen*, *Zschokke* (Hist. s. p. 262) et quicumque de futuris hostium incursibus interpretantur. Sed certe textui violentia insignis ea acceptione infertur. Ii omnes non attenderunt, v. 15 ex calamitate praesente concludi *fore maiorem* Dei vindictam in rebelles devolvendam, nisi resipuerint.

Praeterea veram describi a propheta vastitatem a locustis invectam etiam agnoscit *Lyranus*, ita scribens ad h. l. : « in proposito secundum rem gestam fuerunt quattuor destructiones terrae nascentium et per haec significabantur vastationes maiores futurae per quattuor regna » ; agnoscunt *Clarius*, *Vatablus*, *Liveleus* (cf. in opere *Critici sacri*), *Calm.* Eius sententiae alios patronos recenset *Lap.* et alii recensentur in Synopsi Criticorum a Matth. *Polo* edita (Ultraiecti 1685 : vol 3 p. 1780) ; ea etiam explicatio propagnatur in opere biblico Parisiis 1739 edito (cf. praef. in Ioel). Hic et in Synopsi Criticorum simul exponitur, hanc vastationem per locustas invectam ita exhiberi, ut signum sit longe maioris futurae. Et eodem modo rem proponit *Vigouroux* (Manuel bibl. II p. 625).

b) Maioris calamitatis portentum 1, 14 - 20.

Verum id vult propheta, ut calamitas et miseria animos ad veram poenitentiam et pietatem praeparet. Quare sacerdotes [3] monet, « ut non

---

illa ab ipso propheta subditur et ibi metaphoram vel parabolam narrari, luce clarius est. Neutrum vero apud Ioelem.

1. Am. 4, 7.

2. Ier. 14, 1-6.

3. Eos enim vates alloquitur v. 13 ; ergo iidem etiam v. 14 intelliguntur, cum idem loquendi schema retineatur.

vacuis fletibus tempus absumant » (*Ps. Ruf.*), sed omnes ordines sacra observantia et pietatis exercitio excolant v. 14 « *Sanctificate ieiunium, vocate coetum, congregate senes, omnes habitatores terrae in domum Dei vestri et clamate ad Dominum* » ! — Dei *ministrorum* (v. 9. 13) est Dei cultum et veram pietatem in hominum animis fovere. *Sacrum* indici iubet et sanciri ieiunium (*Lap. Men.*), i. e. quod sancte, religiose, pie ad Dei misericordiam impetrandam et voluntaria sui castigatione peccata dolore expianda assumatur ; « aliud enim est esurire, aliud ieiunare » (*Ps. Ruf.*), illud propter rerum inopiam forte iam plerisque obtigit, ut *Ps. Ruf.* adnotat ; quare sacerdotibus curandum est, ut *sacrum* celebretur ieiunium, i. e. sancte et pure (*Theod.*) et religiosa mente suscipiatur (cf. Is. 58, 6 — *Hier. Cyr. Alb. Sanct.*). Dein *sacer coetus* convocandus est, ut cum ieiunio obsecrationes et preces coram Domino fundantur et publica nomine communi pietatis exercitia subeantur. Tempore calamitatis talia ab universo populo obiri solita saepius reperimus cf. Iud. 20, 26. 1 Reg. 7, 5. 6. Huic autem omnes intersint ; *senes* « quorum aetas vicina morte maturaeque sententiae, magis timorem et cultum suscipit Dei » (*Hier.*) ; vel potius (cum *Wünsche*) ex usu vocis זְקֵנִים frequentissimo *seniores populi,* qui ut auctoritate pollebant et personam publicam gerebant, ita et exemplo pietatis praeirent et omnium nomine pro republica Dei miserationem implorarent. « Simul autem, inquit, *omnes* pro magnitudine periculi ad communionem officii convocate ; est enim consequens, ut cunctorum repellat afflictio eam calamitatem, quae erat in omnes communiter saevitura » (*Ps. Ruf.*). Quam instanter Dei auxilium sit obsecrationibus efflagitandum, *clamate* satis innuit (cf. Ex. 2, 23 oppressi ab Aegyptiis *clamarunt* זעק et *clamorem* audivit Dominus 3, 7. 9 etc.). Ex templi mentione urbem Ierusalem et Iudaeam indicari, iam *Mar.* monuit.

Cur autem omni studio ad Dei placationem sit confugiendum, vates declarat v. 15 « *a a a diei ! quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet* » ; — i. e. heu, ah diem vel ut LXX οἴμοι ter repetunt εἰς ἡμέραν ; i. e. calamitas praesens *maioris futurae* est praesagium, quam vates iam non verbis exprimi, sed solis exclamationibus et gemitibus indicari posse censet. *Prope est* i. e. si istae Dei per minora mala monitiones fructum non tulerint, iam *dies Domini,* iudicium eius tremendum, dies irae et vindictae ingruet, dies ille quo omnia horrendis suppliciis a Deo sunt prosternenda (cf. Is. 2, 12 ; 13, 9 : « ecce dies Domini veniet, crudelis et indignatione plenus et irae furorisque ad ponendam terram in solitudinem et peccatores eius conterendos de ea » ; 34, 8. Ez. 7, 19 ; 30, 3. Am. 5, 18. 20. Soph. 1, 7. 14. 15 : « dies Domini dies irae, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et mise-

riae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis ».. Mal. 4, 5). Eum diem describit eleganti paronomasia in hebr. (*Sanct. Lap.*), quasi dicas in latino [1] : vastitas a vastatore veniet; vastitas scil. talis, qualis a *potentissimo* vastatore infligitur (cf. Is. 13, 6). — Haec verba non sunt verba clamantium ad Dominum (uti volunt *Syrus, Hier. Theod. Alb.*), verum « prophetae futura mala praevidentis et eorum terrore vehementius ad poenitentiam exhortantis » (*Rib.* sim. *Loch, Schegg, Keil, Wünsche*).

Quam horrendus vero dies Domini sit, quantopere igitur vera poenitentia sit avertendus, vates docet ex eo, quod illius diei quasi praefatio ac praeparatio iam tot mala in se contineat; si proinde praesentia mala exhorrent, caveant, ne futura eaque multo maiora sibi adsciscant, vel si initium et quasi sola comminatio vindictae iam tot miserias continet, quot afferre censendum ipsius vindictae culmen? Quare praesentes miserias oculis subiicit v. 16 « *numquid non coram oculis vestris* [2] *alimenta perierunt, de domo Dei nostri laetitia et exsultatio* »? — « ante oculos pereunt alimenta peccantium, quando iam speratae fruges e manibus auferuntur et praevenit locusta messorem » (*Hier.*). Messe autem deficiente oblationes quoque primitiarum aliaque sacrificia deficiunt et festivi conventus, unde etiam laetae illae epulae sacrificiales et festi dies in gratiarum actiones instituti cessant; ita festivus laetantium et canentium sonus perit de domo Domini [3]; « sacrificabant enim cum exsultatione de uberi frugum proventu tradebantque se hilaritati gratiarum munera dedicantes » (*Cyr.*); cf. Deut. 12, 6; 16, 10. 11. Delineare pergit miseriam v. 17 « *computruerunt iumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatae sunt apothecae, quoniam confusum est triticum* »; — i. e. iumenta macie et tabe confecta omni hominum utpote desperantium cura destituta misere perierunt et sordide; « dissipari dicitur aliquid aut everti, quando aut non servit illi usui ad quem destinatur ab artifice, aut otiosum est... cum igitur neque frumentum futurum sit neque vinum, quae in horreis et apothecis servari solent, cum illorum usus futurus sit nullus, dissipata dicuntur et eversa » (*Sanct.*); vel concidunt, fatiscunt, collabuntur illa aedificia, quia illorum utpote iam inutilium curam nemo gerit (cf. v. 9).

---

1. *Quasi vastitas*, כ veritatis, ut aiunt, ibi agnoscunt, qua particula non comparatio exprimitur, verum eam rem revera illi rerum ordini substare dicitur, i. e. est, sicut vastitas esse debet (cf. *Scholz.*)

2. *Nostris* hebr. LXX, *Syrus, Chald.* et praefert *Rib.*; at lectio *vulg.* certe est magis oratoria.

3. *S. Hier.* scribit in com. : « consequenter gaudium et laetitia tollitur de domo Dei », proinde ita est interpungendum, uti etiam sensus requirit et *Cyr. Rup. Alb. Sanct. Mar.* expo-

Ceterum *Rib.* hanc nominum distinctionem affert : « usus obtinuit, ut tritici et farris et rerum similium quae ad victum pertinent receptacula dicerentur horrea ; apothecae autem sunt, in quibus fruges et vinum reponuntur ». In hebr. generatim *thesauri* et *granaria* commemorantur. — Obscurum est membrum primum ; constat enim solum ex ἅπ. λεγ. Versio *S. Hier.* ita potest declarari : עבש explicat, uti rabbini עפש putrescere ; פרדות derivavit ex פִּרְדָּה 1 Reg. 1, 33 פֶּרֶד *mulus* et pro mulis nomen generale *iumentum* posuit ; מְגְרְפָה a גָּרַף *everrere*, abripere, unde substantivum explicaverit : id quod everrendum est (cf. *Schegg*). Ceterum veteres in varias partes abeunt et partim versionem exhibent, quae a lectione hodierna plus minusve recedit ; LXX ἐσκίρτησαν δαμάλεις ἐπὶ ταῖς φάτναις αὐτῶν, quod significare potest : iuvencas ad praesepia subsultasse, prae fame scil. sese agitasse ; igitur legerunt probabiliter, cum σκιρτᾶν sit פוש Ier. 50, 11. Mal. 3, 20 : פשו פרות *aliqua* similitudine literarum cum textu *mas.*; vel עבש, uti *Wünsche* censet, ex arabico explicarunt vel cum hebr. בעט commutarunt ; מגרפות forte explicarunt ex syriaco גרבא *vas, dolium* vel legerunt רפתים quam vocem Hab. 3, 17 φάτναι transtulerunt. Praesepia etiam vertit *Syrus*, cuius versio vix aliter intelligi potest quam : torrentur iuvencae (alii : incoenatae manserunt ?) super praesepia i. e. fame urgentur (cf. de verbo syriaco Luc. 24, 42 טוא *assare*). *Theod.* secundum cod. syr. hexapl. ita rem exprimit : confusi sunt propter dispersionem eorum pro horreis eorum (cf. cod. syr. hexapl. p. 204. *Merx* p. 104) ; igitur non עבשו legit, sed בשו. *Chald.* denique aliud profert : contabuerunt utres vini sub operculis eorum [1]. Recentiores vero aliam prorsus interpretationem proponunt : computruerunt grana sub glebis (cf. *Sanct. Mar. Ros. Ges.* s. v. גרף, *Bochart,* Hieroz. II, 4, 4. ed Francof. 1675 II p. 471; *Hitz. Schegg, Keil, Loch, Scholz)* i. e. prae ariditate etiam semina iam sparsa in terra emoriuntur, evanida redduntur, ita ut messis etiam futura in germine iam sit destructa. Sensus quidem certe non est ineptus et quadrat ad *horrea,* de quibus statim sermo fit, neque adest illa rerum commixtio, quae in LXX et *vulg.* cernitur : modo de iumentis, dein de horreis, dein iterum de iumentis mentionem fieri. — At *Merx* multis contendit (p. 101), hanc recentiorum versionem incertis, immo valde dubiis inniti rationibus et fundamentis neque deberi nisi subtilitati et sedulitati male feriatae rabbinorum saeculi XII. Ipse relicto textu *mas.* interpretationem LXX esse textui hebr. restituendam censet. Verum, ut dixi, ne haec quidem omnem scrupulum tollit, quia nullus enumerationis ordo adest, quamvis textus graecus minus sit offensioni, quam latinus, secundum quem v. 17 animalia foede mortua, v. 18 vero ingemiscentia proponuntur. Ergo quid proprie Ioel scripserit, in incerto erit relinquendum.

Rerum inopiam etiam animalia experiuntur : iumenta et armenta, insuper greges quoque ovium, caprarum, qui alias per montes et deserta vagantes etiam in locis sterilibus aliquid pascuae invenire solent ; quare in enumeratione hac gradatio quaedam et miseriae amplificatio adest ; v. 18 *quid ingemuit animal ! mugierunt* [2] *greges armenti, quia non est*

---

nunt ; *Theod.* et *Theod. M.* legerunt in textu καὶ ἐξ οἴκου Θεοῦ. *Vulg.* interpunctionem *alimenta perierunt de domo Dei, laetitia* . . sequuntur *Ps. Ruf. Rib. Lap. Tir.*

1. *Levy* (Chald. Woerterb. I p. 152 a) vertit : es zerfielen die Weinfaesser unter ihren Spunden (Pfropfen) et *Chald.* proinde פורות et מגופית explicasse censet.

2. Hebr. *perplexi sunt* i. e. angore perturbati. LXX ἔκλαυσαν βουκόλια βοῶν· ita *Syrus*

pascua eis : sed et greges pecorum disperierunt » ; — « valet plurimum ad pathos, cum animalia mansueta et rusticis attrita laboribus passim cadant... et ut famis cladisque amplificetur magnitudo... illa proponit, quae divinum animum possint ad misericordiam inflectere. Quod enim Dei in illos inflammetur furor, qui graviter in idolorum cultu peccaverunt, sane mirandum non est ; at quid commeruere irrationales animae, cur fame aut tabe macescere et perire debuerint » (*Sanct.*)? ea non sine causa proferri, vide Ion. 4, 11. Ier. 14, 5. 6.

Quid vero ex tali miseriae enumeratione et consideratione concludendum sit, propheta dicit v. 19 « *ad te, Domine, clamabo ; quia ignis comedit speciosa deserti et flamma succendit omnia ligna regionis ;* v. 20 *sed et bestiae agri quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te, quoniam exsiccati sunt fontes aquarum et ignis devoravit speciosa deserti* ». — « Speciosa deserti, quae hebraice dicuntur *naoth* (נאות) intelligamus aut plana camporum aut pratorum florentia, aut virentia herbis loca, quae pascua praebuere iumentis » (*Hier.*). *Ignis, flamma* certe (cum *Sanct.*) metaphora est pro ariditate et siccitate, uti v. 20 clare indicat ; advertunt, saepe cum locustarum vastatione magnam quandam coniungi ariditatem et pluviae inopiam. Ad misericordiam commovendam confert, quod ipsae bestiae afflictae et imbrem efflagitantes exhibentur et terra quoque multiplici vulnere foedata describitur,

In hebr. v. 18 *greges pecorum poenas luunt, damna subeunt*, aliqui recentiores vertunt. LXX ἠφανίσθη. Ad v. 20 adnotat *S. Hier.* : « bestiae suspexerunt ad Dominum, quasi areola sitiens imbrem. Hoc enim uno verbo significat Aquila dicens ἐπρασιώθη » [1] ; hebr. ערג Ps. 41, 2 *desiderare* redditur et a LXX ἐπιποθεῖ, *Sym.* σπεύδει ; h. l. LXX ἀνέβλεψαν. *S. Hier.* desiderium comparatione adiecta expressit, ad quam certe vox עֲרוּגָה *areola* cf. Ez. 17, 7. 10 multum valuit. — *Ignem* v. 19 et v. 20 varie concipiunt : bruchum ita dici censet *Cyr.*, vastationem locustarum *Ps. Ruf.*, vastationem hostium et locustarum *Theod.*, hostium vastationem *Alb.*, incendia ab hostibus inflicta *Rib. Lap. Sa, Men. Tir.* — Recte *Barh.* : semina in agro aruerunt.

c) Dei vindicis ministri 2, 1-11.

Dixerat v. 15 : *prope est dies Domini et quasi vastitas a potente veniet ;* quod iudicium gravius impendens ut effugiant, poenitentiam, quam 1, 14. 19 commendarat, iam iterato suadet, quare minas quoque repetit,

---

quoque ; proinde legerunt verbum נָבֹכָה, non niphal verbi בּוּךְ *vagari*, perplexum esse, cf. Ex. 14, 3. Esth. 3, 15. — *Houbig.* propter parallelismum ad *ingemiscere* rescribi vult נָבְבוּ, cf. Iud. 5, 28 *ululare.*

1. Ex quibus verbis patet, falso coniecisse *Grotium* in *vulg.* esse legendum h. l. *quasi*

easque auget descriptione horrendi iudicii imminentis. Iudicium hoc licet dicatur *prope esse*, posse tamen facta poenitentia vel differri vel penitus vitari et effugi, ex ratione vaticiniorum, quibus supplicia proponuntur, colligi potest. Exemplum talis dilationis habetur Ier. 26, 19; insuper esse vaticinia, quae etsi *absolute* enuntientur tamen *conditione quadam* affecta atque restricta sint, clare docetur in sacris literis : « repente loquar adversum gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud ; si poenitentiam egerit gens illa . . . agam et ego poenitentiam » Ier. 18, 7. 8. 9. 10. Ez. 33, 4. 13. Haec norma etiam pro hac Ioelis comminatione et adhortatione ob oculos habeatur oportet, et 2, 14. 17 aperte promulgatur ab ipso propheta.

Sermonis nexum atque progressum apte delineat *Hugo* : « post invocationem et infortunii multifariam expositionem redit propheta ad populi exhortationem ostendens magnitudinem venturae cladis, proximae captivitatis, excidii imminentis, ut scil. populum ad terrorem divini iudicii commoveat, ad dolorem compunctionis salubriter commoveat, ad amorem obedientiae utiliter accingat » 2, 1 « *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terrae, quia venit dies Domini, quia prope est* »! — Cum verba prophetae Dei sint verba (1,1), sermo propheticus facile per modum Dei loquentis proponitur ; ita hic Deus loquens inducitur ; dicitur enim : in monte sancto *meo* (cf. 1, 6. 7). Adhortatio est ad sacerdotes, ut tubis canant, sicuti fiebat ad sollemnitates denuntiandas, supplicationes indicendas (cf. Num. 10, 1 seq. Ps. 80, 4) ; iubentur clangorem fortem et strepitum edere (hebr.) in Sion, ut de monte *sancto*, in cuius uno cacumine, Moria, Dei sanctuarium longe lateque conspicuum constitutum est, sonus ille ad luctum et poenitentiam provocans sacro quodam horrore perstrepat. Ex loco quem Dominus sibi elegit, ut sint oculi eius et cor ibi in aeternum (cf. 3 Reg. 9, 3. 2 Par. 7, 16), fit invitatio iubente Deo, quae ipsa iam est propterea salutis promissio, dummodo invitati dicto audientes fuerint. Rem vero agi gravem et maximo poenitentiae dolore et fervore opus esse, eo indicatur, quia ad talem sonitum omnes, ut contremiscant, admonentur ; *quia venit*, quo sensu iam venerit, declaratur cum adiungatur, *quia prope est*. Iam scil. venit et adest praeambulum illud et pars vindictae Domini, iam manus Dei extenta punitionem inflixit, parata maiorem addere, nisi resipuerint. Ex variis enim iudicii divini manifestationibus unum iudicium generale coalescit.

Iam huius diei, qui prope sit, horrorem describit v. 2 « *dies tenebra-*

---

cerva, neque opus esse assumere cum *Wünsche* interpolationem in textu hebr. neque cum *Scholz* lectum fuisse pro verbo תערוג vocem כגרן verbo suppleto.

rum et caliginis, dies nubis et turbinis, quasi mane expansum super montes, populus multus et fortis; similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis ». — Deus tenebris immissis iudicium in Aegyptios contumaces exercuit (Ex. 10, 22), in monte Sinai ad Dei maiestatem adumbrandam erant *tenebrae, caligo, nubes densissima* (Ex. 19, 16. Deut. 4, 11); quare consonum prorsus est, ut dies Domini dies tenebrarum describatur; accedit, quod iudicium ultionis revera est « privans luce gaudii » (*Alb.*), nam « tanta in eo erunt mala, ut nemo lucis sensum percipiat, sed in tenebris et caligine se versari putet » (*Theod.*) et demum « ut in luce ac die felix exprimitur fortuna, sic in nocte ac tenebris luctuosus ac miser significatur eventus » (*Sanct.*); unde sollemne est, iudicium ultionis caligine adumbrari (cf. Is. 13, 10; 24, 23; 50, 3. Ier. 4, 23. Ez. 32, 7 etc.). Cumulatione vocum horror augetur; quasi dicat: « videntur mihi fore tales angorum tenebrae, quales si contingat atra geminari, ut cum noctem caligo et tenebrae faciunt densiorem; immo si his nubes densas turbinesque consocies... quae tamen imagines solam mali qualitatem laboraverunt indicare, cuius de quantitate in maiorem modum acerbitas augeatur » (*Ps. Ruf.*). *Ultores* dicit propheta *populum multum et fortem,* cuius horrorem, vastationes, impetum in sequentibus delineat. Iam quis est iste populus? Sunt, qui hic quoque locustas agnoscant (*Ps. Ruf. Calm. Schegg, Wünsche, Loch*). Eorum opinioni ipsa favet descriptio, quae ad locustas aptatur. At nihilominus alii merito dubitant, an de solis locustis hic sit cogitandum. Cum enim in plaga locustarum dies Domini *appropinquans* designetur (1, 15), quaeri potest, num probabile sit, prophetam nihil aliud velle hoc loco dicere, nisi *ipsum diem* Domini fore iterum plaga locustarum horribilem. Accedit, quod dies iste Domini mox v. 10. 11 tanta coeli terraeque commotione ac perturbatione exhibetur, praesertim si 2, 30. 31; 3, 15 comparaveris, ut si de sola locustarum calamitate vatem verba fecisse contenderis, tibi fatendum sit eum cum exaggeratione magna loqui. Unde mihi quidem videtur propheta sub schemate et symbolo locustarum alia hostium agmina intelligere, alia Dei iudicia eaque acerbiora. Neque ita sermonis unitas vel concinnitas destruitur. Cum enim locustarum plagam *praesentem* experiantur haecque sit venturi iudicii adumbratio quaedam ac praeparatio, inde fit, ut propheta alios illos iudicii Dei ministros schemate et symbolo priorum depingat; idque recte, nam vastationem et horrorem et punitionem, quam locustae quasi in typum et comminationem maiorum malorum exercent, isti in munus et officium locustarum tamquam vindictae plenae exactores ingressi complent atque perficiunt. Ita ii, quorum munus nexu interno sit coniunctum, etiam uno schemate unoque quasi conspectu proponuntur.

Quare hoc capite non locustarum, sed hostium agmina intelligo, ea scil. quibus Deus ad populum contumacem puniendum sit usurus. Generatim vero propheta magnum Dei iudicium denuntians eius exsecutores eo modo describit, quo iam Moyses minatus erat (Deut. 28, 49. 50 etc.). Utrum vero hoc Dei iudicium aut constanti populi pietate in aeternum avertatur, aut redeunte praevaricatione vel uno impetu devolvatur, vel per plures hostium invasiones excerceatur et paulatim per varias generationes perfecte et plene opere impleatur, a propheta minime definitur. Norma Dei generalis proponitur; quomodo et per quos gradus applicatio eventura sit, non ex ipso vaticinio disci potest.

Hisce positis de variis explicationibus iudicium facile fertur. Alii, uti *Cyr. Theod. Mar.*, haesitant, utrum locustas an hostes, aut utrumque explicent. Alii generatim *hostes* exponunt (*Theod. M. Lyranus*). *S. Ephraem Assyrios*, plerique Babylonios ibi cernunt expressos (*Hier. Hugo, Sanct. Rib. Lap. Men. Tir.*). Romanos *Rup.* adumbratos videt; *Alb.* vero vel Chaldaeos, vel daemones, vel angelos intelligi posse censet. Id sane facile concesseris, *partem* illius iudicii magni in populum et Assyrios exercuisse et Chaldaeos et Romanos, omnesque castigatione populi rebellis perfecta a Domino esse contritos, uti Ioel schemate generali 2, 20 Dei normam esse revera docet. Quare rem ita concipiendam esse puto, ut Ioel gentem determinatam non spectet, verum universalem quandam regulam, secundum quam Deus est acturus proponat.

Celeritatem ultorum imagine proponit: *quasi mane expansum super montes* i. e. « sicut mane et diluculum subito tenebras fugat et cunctos montes aurora collustrat, ita Babyloniorum super omnem terram vestram fundetur exercitus » (*Hier.* sim. *Ps. Ruf. Sanct. Rib. Lap. Mar.*); hebr. *sicut aurora expansa super montes;* in qua comparatione aliqui haud inepte ad locustarum agmina alludi censent, quorum adventus flavo quodam in aere splendore, quippe quem solis radii ex locustarum alis repercutiant, annuntiari fertur (cf. *Hitz. Credner, Schegg, Keil*). Aliter *Scholz*; quia ros mane cadat, posse nomine aurorae (posita causa pro effectu) *rorem* intelligi (cf. Os. 11, 1?), qua comparatione multitudo designetur, uti 2 Reg. 17, 12. Ultores hos omnibus quos Iudaea eo usque experta sit esse feriores et atrociores innuitur, uti Moyses de locustis aegyptiacis refert (cf. Ex. 10, 14). Qui canon si ad calamitatum quandam seriem vel repetitas clades applicatur, consequitur, stragem subsequentem antecedente esse atrociorem. Ita revera contigit, si iudicium per Assyrios, Chaldaeos, Romanos in gentem rebellem exercitum perpendas.

Iam diei Domini horrorem et ultores quid valeant efficiantque, Ioel declarat v. 3 « *ante faciem eius ignis vorans et post eum exurens flamma;*

quasi hortus voluptatis terra coram eo et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum » ; — hebr. *neque quidquam reliquum (salvatum) est ei* scil. terrae vel coram eo? i. e. ad unum omnia destructa sunt. Duplici metaphora praeclare maximam vastationem depingit : quid funestius, quam regio magnis incendiis exusta et eversa? quae rerum subitanea commutatio? antea paradisus, Eden (hebr.) aderat; irruptione facta iam solitudo horret deserti! Ultores describuntur, uti Dei vindicis manifestatio : « ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in circuitu inimicos eius » (Ps. 96, 3. *Alb.*), « ignis a facie eius exarsit » Ps. 17, 9; ignem quasi spirant eumque sui praecursorem et nuntium longe lateque spargunt, uti hostes incendiis cuncta devastare solebant.

Operi autem tali pares sunt ultores furore, fortitudine, celeritate : v. 4 « *quasi aspectus equorum aspectus eorum et quasi equites sic current* » ; — hebr. verte *et sicut equi* [1] *ita currunt ;* etiam hic locustarum figuram facile deprehendes, « nam si quis locustae caput diligenter consideret, illud capiti equino persimile inveniet » (*Theod.*). Comparatio vero cum equis « superbiam atque fortitudinem simulque proeliandi aviditatem illos habere innuit secundum gestus eiusmodi animalis naturaliter ferocis et superbi, dicente Domino ad beatum Iob : gloria narium eius terror. Terram ungula fodit, exsultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio » ... (Iob 39, 20 seq. *Rup.* sim. *Sanct.*); praecipue autem velocitas effertur h. l. Qua sunt multitudine, ingenti strepitu bellico iam terrorem incutiunt v. 5 « *sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsilient, sicut sonitus flammae ignis devorantis stipulam, velut populus fortis praeparatus ad proelium* » ; — etiam haec similitudo e locustis petita est; cf. Apoc. 9, 9 : « vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum » ; ita stridorem crepitantium alarum delineat; bene *Cyr* : « ferunt enim non citra strepitum eas in agros decidere et sonitum quendam acutum audiri, dum prostratas fruges dentibus commolunt, ceu flammis vento diffundente crepitantibus ». Strepitum adventantium hostium ad horrorem augendum conferre, prophetae saepe describunt : Is. 5, 29. 30; 13, 4. Ier. 4, 29; 46, 8 etc. Hebr. etiam vertere potes : *profecto populus fortis.* Quare v. 6 « *a facie eius cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam* » ; — dum enim strepitus ille ingens in montibus, quibus Iudaea circumdata est, auditur i. e. dum hostes perrupto omni obstaculo irruunt bellico fragore et tumultu, « tantus terror erit, ut omnes per circuitum nationes et corpore et animo perhorrescant, immo crucientur, et

1. פָּרָשׁ scil. cf. Ez. 27, 14. 3 Reg. 5, 6. Is. 28, 28 etc. ita facile offendiculum illud removetur, quo aliqui moventur, *hostes* scil. dici quasi equites vel cum equitibus comparari.

pavoris magnitudine vultus omnium in ollae similitudinem convertantur, quae igne combusta nigredinem et fuliginem foedi monstret aspectus » (*Hier.* sim. *Ps. Ruf. Rib. Lap.*); sed iam *Sanct.* miratur, quomodo facies terrore non pallescere vel albescere, quod fit, verum *nigrescere* dicantur. Quare potius de *aestu* intellige comparationem et de *ardore* [1], quo facies quasi succenduntur in maxima rerum anxietate (cf. Nah. 2, 10); neque absimile est illud Is. 13, 8 : « facies combustae vultus eorum ».

Neque deest ratio anxietatis summae; nam hostes maximo impetu, acie invicta, agmine non interrupto irruunt : v. 7 « *sicut fortes current, quasi viri bellatores ascendent murum; viri* [2] *in viis suis gradientur et non declinabunt a semitis suis* »; — i. e. cursu non fatigantur, omnia obstacula perrumpunt; non murorum sublimitate prohibentur; nulla re eorum cursus vel impeditur, vel alio declinari potest vel *immutari, perverti, complicari* (ut aliqui hebr. vertunt). Et quamvis populus sit multus et agmen densissimum, tamen ita ordine optime dispositi sunt, ut inter se non impediant, premant v. 8 « *unusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt; sed et per fenestras cadent et non demolientur*; v. 9 *urbem ingredientur, in muro current, domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur* ». — Etiam hoc ad locustarum schema ex occasione praesentis plagae, quae sit *futurae* [3] praefiguratio, exactum esse, res ipsa testatur, quam *S. Hier.* ita describit : « hoc nuper in hac provincia vidimus; cum enim locustarum agmina venirent et aerem qui inter coelum et terram est occuparent, tanto ordine ex dispositione iubentis Dei volitant, ut instar tesserularum quae in pavimentis artificis figuntur manu, suum locum teneant et ne puncto quidem et ut ita dicam, ungue transverso declinent ad alterum. Et ut apertam faceret metaphoram *et per fenestras*, ait, *cadent*; nihil enim locustis invium est.... hoc autem de locustis dicitur, ut de hostibus intelligatur »; cf. Prov. 30, 27.

---

1. Ita hebr. quoque intellige : *omnes facies colligunt* (augent) *colorem flammeum* (aestum, ruborem) cf. *Merx*; nam quod alii volunt; retrahunt (amittunt) nitorem vel perdunt ruborem (cf. *Wünsche*), cum notione verbi קבץ nullo modo conciliari potest; affingunt enim ei verbo notionem contrariam illi, qua in usu communi adhibetur. — Versiones veteres פּארוּר idem esse censuerunt quod פָּרוּר *olla* Num. 11, 8. Iud. 6, 19. 1 Sam. 2, 14; inde LXX πᾶν πρόσωπον ὡς πρόσκαυμα χύτρας. *Syrus* : omnes vultus nigrescent sicut nigredo ollae; *Chald.* : omnes facies operiuntur colore nigrorum, sicut olla. *Scholz* locutionem proverbialem esse censet pro *pallescere*, sed qua ratione, non explicatur, neque enim Is. 13, 8 de *pallore intelligi potest*.

2. Hebr. intellige : *unusquisque* in sua acie se tenet, recta incedit et ordine summo (cf. *Rib.*).

3. Quare in textu non adest mirum illud quod *Scholz* h. l. reperit : hostem scil. muros ascendere et domus invadere et nihilominus in eadem urbe iamiam expugnata coetus sacros celebrari imperturbate.

Mirum videri potest, v. 8 et 9 bis mentionem fieri ingressus per fenestras. Neque id adest in textu hebr. *S. Hier.* notat ad v. 8 : « quod nos interpretati sumus *per fenestras cadent*.. LXX transtulerunt : *aggravati in armis suis ibunt et in iaculis suis cadent et non consumentur;* quod nequaquam mihi videtur expositionis ordini convenire, sed in eo errorem esse generatum, quia *sala* (שלח) verbum hebraicum illi *iacula*, nos *fenestras* intelleximus ». Eam vocem *S. Hier.* alias nunquam *fenestram* explicat, sed *gladium* (Neh. 4, 11. Iob 33, 18; 36, 12), *pugionem* (2 Par. 23, 10), *armaturam* (2 Par. 32. 5).

Textum hebr. vertunt *pone gladios cadunt* i. e. multi quidem iaculis feriuntur et pereunt (*Wünsche*), vel secundum alios *pone ensem ruunt* vel *per enses ruunt* i. e. etsi armis impetuntur, eorum agmina et impetus non sistuntur, sed per iacula vel pone iacula catervatim irruere et properare pergunt (cf. *Keil, Schol*z). Ea notione נפל fere adhibetur Iob 1, 15. Ios. 11, 7 *irruere*. Utramlibet versionem elegeris, sensus est: etsi armis oppugnantur, non sistuntur: etiam oppositis telis eorum acies non turbantur, abrumpuntur. Id forte alterum membrum dicit : לא יבצעו *non scindunt* scil. aciem, aciem et seriem non dimittunt neque abrumpunt; alii : non se dissecant (*Keil*); alii : non vulnerantur (*Rib. Sanct. Calm.*). Sed prius ad verbi notionem potissimum convenit. Ita latinum *demolientur* quoque intelligi potest : aciem, seriem non demolientur (abbrechen), quamvis plerumque sensu *passivo* accipiant : non laedentur, destruentur (cf. *Alb. Lap. Mar. Men. Tir.*). Id habet *Theod.* καὶ οὐ μὴ συντριβήσονται; *Sym.* autem active accepit : οὐ διακόψουσιν (cf. cod. syr. hexapl. p. 205. 541. *Merx* p. 108). Alii vertunt : non lucrum (praedam) faciunt; ita *Chald.* : « eunt in locum quo mittuntur, trucidant nec recipiunt pecuniam », forte eo sensu, quo de Medis dicitur : *qui argentum non quaerant nec aurum velint* Is. 13, 17.

Postquam descripsit, quomodo hostes illi invicti omnia pervadant et horrore compleant, iam impetum illum hostilem talibus exhibet signis coelitus et divinitus vestitum, quibus ultimum ac universale iudicium et mundi conflagratio ac consummatio circumdabitur : v. 10 « *a facie eius contremuit terra, moti sunt coeli, sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum;* v. 11 *et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia et facientia verbum eius; magnus enim dies Domini et terribilis valde, et quis sustinebit eum* » ? — *a facie eius* i. e. « populi multi et fortis » (*Rup. Lap.*) uti v. 2. Hyperbolicam dictionem adesse volunt (*Theod. M. Sanct. Lap. Men.*) et ea certe esset agnoscenda quam maxime, si de uno impetu hostili res intelligeretur. At hoc loco idem videtur adesse, quod apud Is. 13, 9. 10; 24, 1 et seq. cernimus, iudicium scil. particulare iam proponi conditionibus et coloribus iudicii universalis, ad quod unumquodque particulare est quasi gradus quidam et praeparatio, cuius proinde typus et praeformatio dici potest. Et revera particularia ista iudicia *praeludunt* ad universale, tendunt suo modo ad illud et illo demum confirmantur, absolvuntur. Vel una est Dei iudicis potestas, quae variis modis manifestatur : per partes in singulis, sed istae partes ad unum totum coalescunt eoque perficiuntur. Praeterea vates ad augendam poeni-

tentiae adhortationem iure merito totam illam tremendam iudicis maiestatem ob oculos ponit, quam rebelles demum aliquando experturi sunt. Paucis : generatim iudicium Dei delineat et particulare iudicium quodammodo illi universali substans et in illud quasi resolvendum considerat et delineat. Inde igitur tremor terrae, commotio coelorum, solis, lunae, stellarum obtenebratio : inde magna Dei vox, qua iudex tamquam imperator exercitus suos ad vindictam capiendam ducit. Strepitus ille et terror, quo hostes non sine numine irruunt, adumbratio quaedam est horroris illius, de quo in N. T. edocemur : tunc plangent omnes tribus terrae, arescent prae timore, erit in terris pressura gentium (Matth. 24, 30. Luc. 21, 23. 24). « *Castra Dei* sunt creaturae omnes, quae divini Imperatoris voci parent » (*Sanct.*) ; cf. Sap. 5, 18. 21 : « armabit creaturam ad ultionem inimicorum... et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos ». Propheta apte descriptionem concludit triplici illa sententia *quia multa ; quia fortis est qui verbum eius complet, quia magnus dies Domini et terribilis valde* (hebr.), quae tria manifestant, quare eventus ille iudicii magna Dei voce, quasi tonitru, est inducendus. Cum talem iudicem nemo possit *sustinere,* via paratur, qua iratum iudicem quomodo placent, avide excipiant.

Signa illa v. 10 interpretes vario modo imminuere student. Alii de locustarum agminibus explicant, quorum strepitu terra dicatur contremiscere, et quae per altiores regiones volantia quasi coeli nubiumque commotionem inferre videantur, quae solis lucisque radios intercludant et densa quadam nube aerem obvolvant (cf. *Hier. Alb. Rib. Lap. Sa*) ; alii impetu Chaldaeorum talia fieri, pulvere excitato aerem v. g. obscurari volunt (cf. *Barh. Men.*) ; alii tonitrua, solis lunaeque defectionem contigisse in Chaldaeorum invasione opinantur (cf. *Theod. Sanct.*) ; praeterea illa ita concipi posse multis videtur, ut non ea fieri, verum moestis et afflictis eiusmodi fieri videri dicatur ; « apparet autem hoc etiam loco prophetam haud ita loqui quasi elementa confundantur et transferantur, sed quia mos est eorum qui malis exercentur, mentis ideas ad suas praesentes saepe angustias transferre. Dicit igitur fore, ut homines confusione repleantur . . videtur ergo illis, qui talia a Deo in terra patiuntur, et coelum concuti et sol et luna et sidera iam non relucere, malorum scil. gravitate patientibus eripiente lucis sensum » *Theod. M.* ; sim. *S. Hier.* praeter explicationem priorem etiam hanc effert : « non quod locustarum aut hostium vis tanta sit, ut possit movere coelos et terram concutere, sed quod adversa patientibus prae terroris magnitudine et coelum ruere et terra fluctuare videatur » ; cf. *Ps. Ruf. Cyr. Theod. Barh. Alb. Sanct. Rib. Lap. Tir.* ; ad quod demonstrandum exempla proferunt ex 1 Mach. 9, 12 et ex pugnarum descriptionibus, quas interdum poetae confingere solent (cf. *Rib. Sanct.*). [1]

---

1. *S. Ephr.* captivitatis miseriam delineari censet ; solem, lunam, stellas i. e. reges, principes, optimates a gloria et splendore iri deiectum.

Sed verba prophetae exigere nobis videntur, ut iudicium particulare saltem dicatur coloribus et habitu describi iudicii universalis, ita ut propheta occasione prioris ad alterum quoque oculos reflectat et terrore iudicis in universum ostenso exhortationem reddat efficaciorem. Neque a prophetarum consuetudine alienum est, ab eventu particulari ascendere ad normam Dei generalem (cf. quae scripsi in « Erklaerung des Propheten Isaias » p. 10. 195. 290. 291). Etiam *Rup.* iudicii universalis mentionem ingerit; alii saltem in « intelligentia spirituali » cf. *Hier.*

d) **Modus poenitentiae 2, 12-17.**

« Omnia quae sermone praeterito continentur, propterea sum locutus, ut vos comminatione mea terrerem » (*S. Hier.*), « ut ad poenitentiam vos adducerem » (*S. Cyr.*). Quare v. 12 « *Nunc ergo dicit Dominus : convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu* » ! — significantius habetur in hebr. *et etiam nunc;* i. e. cum iam prima vindictae Domini signa experimini, cum dies Domini iamiam imminet et ultionis annuntiatio iam est facta, nihilominus Deus ulteriorem vindictam est cohibiturus; quare monet, ut *toto corde* [1] ad eum redeatis. Veram igitur et sinceram poenitentiam exposcit, quae animos intime penetret dolore anteactorum, eosque a peccatis avulsos totos perfecta obedientia et integro amore Deo subiiciat et quae pro humanae naturae conformatione etiam *actionibus externis* se prodat. Iram scil. vindicis Dei, quam luxuria, intemperantia provocarant, iam voluntaria sui castigatione placent et hac sui *punitione* vere probent, se ex toto corde detestari et abiicere scelera. Nam si sibi ipsi iam poenas luendas imponunt, spes sane erit, ministros Dei vindicis a Deo iri cohibitum, cum ipsi vindictam Dei in se praeoccupent. Animi porro dolor et reditus ad Deum sincerus lacrimis et planctu exhibeatur, quibus pristina scelera defleant et vere abominari se testentur. Nam, ut *S. Cyr.* adnotat : « considerandum est diligenter, quantum valeat ieiunium. Dominum mansuefacit, iram sedat, poenam tollit. Nosmetipsos enim acriter accipientes ferocientem et furentem contra nos iram divinam commode flectimus, et manum percutientis non difficulter cohibemus ».

Veram poenitentiam ulterius delineat eiusque causam assignat v. 13 « *et scindite corda vestra et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et*

---

1. Cf. Deut. 4, 29; 6, 5; 10, 12; 11. 13; 13, 3; 26, 16; 30, 2. 10. Cum *cor* Hebraeis centrum sit totius vitae intellectualis, hominem omnibus suis potentiis et facultatibus plene se Deo subiicere debere dicitur.

multae misericordiae et praestabilis super malitia ». — Ne signis externis contenti sint, sed ut corda avellant a peccatis, dolore et contritione scindant! « Eleganter admonuit, ut quia mos plangentium est a pectoribus vestimenta diducere, quasi admotae pectoribus manus altius imprimerentur ac non solum videlicet indumenta, sed etiam viscera, si fieri posset, ipsa rumperent » (*Ps. Ruf.*). Est vero scissio quaedam separatio a flagitiis (*Ps. Ruf.*), qua « violentiam faciamus nobis, ut cor separetur a delectabilibus peccatorum praeteritorum » (*Alb.*), et sensu doloris et moeroris sulcetur. Haec cordium contritio coniuncta esse debet cum *conversione* ad Deum, ut qui eousque aversi erant a cultu, obedientia, amore Dei, ea omnia iam toto corde amplectantur. Causas vero subdit efficacissimas; quarum prima eo continetur, ut Dominum dicat *Deum vestrum,* qui scil. sui populi curam gerit perpetuam eiusque bonum supremum est; deinde, quo magis laeta spe et fiducia veniae erigantur, alias causas petit ex Dei gratia, misericordia, longanimitate, clementia maxima, qua paratus est punitionem differre et uberiore favore commutare. Verba fere sunt, quae Ex. 34, 6 leguntur, quibus Moyses maxime quae sit Dei natura et in alios habitudo expressit; cf. Ps. 85, 5. 15. *Patiens* est, i. e. longanimis, iram non statim infert, verum aegre potius, diu multumque indulgentia usus peccatores tolerat; *praestabilis super malitia* cf. Ion. 4, 2; explicat *S. Hier.* : « praestabilis sive poenitens super malitiis, ut si nos egerimus super peccatis poenitentiam, et ipsum poeniteat comminationis suae et mala quae comminatus est nobis non inferat, nostraeque mutatione sententiae et ipse mutetur. *Malitiam* autem in hoc loco non contrariam virtuti debemus accipere, sed afflictionem (Matth. 6, 34) »; vel, quod *Ps. Ruf.* habet : « qui eius calamitatis quam malitiam vocat remissionem, si compunctos viderit quos comminatione terruerat, libenter indulgeat ».

Dolorem igitur commendat, qui spe veniae ex Dei misericordia sit imbutus, qui Deum adeo misericordem et benignum respiciat et proinde ad talis Dei amorem proxime animos praeparet. Unde *veram* [1] poenitentiam hic a propheta delineari, merito advertunt (cf. *Hier. Ps. Ruf. Cyr. Theod. Lap. Calm.*). Poenitentiam *spe,* non *praesumptione* uti neque semper punitionis ablationem certo sibi posse promittere docet v. 14 « *quis scit, si convertatur et ignoscat et relinquat post se benedictionem, sacrificium et libamen Domino Deo vestro* »? — i. e. for-

1. Ex ipsa expositione elucet, quanta cum iniuria *Merx* Ioeli vertat vitio, quod solum rebus externis et carnali quadam observantia reditum ad Deum contineri describat. Verum sola iam *conversio in toto corde* longe aliud enuntiat et spiritum *internum* et *internam* mentis ad Deum conversionem (μετανοεῖν) clarissime significat.

tasse, qua est miseratione, ita ignoscet, ut miseriam qua premimur abundanti prosperitate statim commutet. « Ego, inquit, hortor, quod meum est, ad poenitentiam, et Deum ineffabiliter novi esse clementem (dicente David Ps. 50, 1. 2 : miserere mei secundum magnam misericordiam tuam et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam); sed quia profundum divitiarum et sapientiae et scientiae Dei nosse non possumus, sententiam tempero et opto potius quam praesumo » (*S. Hier.*); quare verum quoque est, id « pro reverentia iudicantis » esse insertum (*Ps. Ruf.*), et « ne forsitan magnitudo clementiae nos faceret negligentes » (*S. Hier.*) vel eos redderet in poenitentiae laboribus et fletu socordes. Timor enim salutaris et incertitudo haec mirum in modum iuvant et stimulant poenitentiae fervorem. Neque vero in dubium vocatur, utrum Deus operibus poenitentiae rependat veniam peccatorum necne, sed id solum, utrum a comminatione poenae et punitionis inflictione statim se sit cohibiturus (cf. *Tir.*) ; *relinquat post se* i. e. si tamquam iudex recesserit a populo; Deus enim ad iudicium exercendum de coelo dicitur in terram descendere et cum plaga locustarum sit initium quoddam iudicii, Deus vindex populo iam adesse censetur; sperat proinde propheta , placatum vindicem dum ad sedem coelestem redeat *post se* relicturum, i. e. largiturum benedictionem, terrae prosperitatem frugumque abundantiam, qua spoliati erant; *sacrificii* mentionem infert ex 1, 9 (cf. *Ps. Ruf. Calm.*). Gratis animis promittit propheta eos laudis sacrificia pro venia impetrata persoluturos; insuper sacrificii instauratio laetum est pignus commercii inter Deum et populum restituti.

Iam ut talis poenitentiae sensus omnium animos subeat et Deus sollemni et publica supplicatione ad misericordiam flectatur, commune ieiunium publicasque preces indicit v. 15 « *canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate coetum*, v. 16 *congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera*; *egrediatur sponsus de cubili suo et sponsa de thalamo suo* » ! — cf. 2, 1 ; *sanctificare ecclesiam* i. e. illos qui ad sacrum coetum in templo peragendum convocandi sint, oportet lustratos et expiatos ab omni immunditie levitica templum ingredi et sacris interesse (cf. *Sanct.*); exemplum lege 2 Par. 30, 17. 18. Omnibus omnino poenitentia indicitur : « uno verbo, omnis aetatis gradus accedat ad poenitentiam reliquo omni praetermisso negotio » (*Theod. M.*) ; quod ut efferat, senes nominat, ne aetas provecta vel infirma excusationem praetendat; et non solum parvulos sed ipsos sugentes quoque in templum Dei adduci iubet, ut omnium aetatum communi ploratu maior in singulis fieret emotio. Praeterea, « ut infantilis vagitus magnam vim habet apud homines ad flectendos animos quantum-

vis adamantinos, sic etiam apud Deum potens est infantilis clamor, et ipsa praeterea innocentia gratissima est. Sane adduci se Dominus dicebat Ion. 4, 11, ut Ninivitis ignosceret infantium causa » (*Sanct.*). Dein, quia est calamitas communis avertenda, vult ut omnes, ergo infantes vagiendo et plorando misericordiam et ipsi suo modo petant (*Rib.*). Eo tempore *luctui* est vacandum; idque ab omnibus, quare eos quoque quos lex ab oneribus publicis excipiebat (Deut. 20, 7; 24, 5) recenter desponsatos ad squalorem et moestitiam et abstinentiam vocat. Apposite *S. Hier.* aliique consilium illud Apostoli hoc loco referunt, recedendum esse interdum ab opere coniugali « *ut vacetis orationi* » (1 Cor. 7, 5).

Totius populi mediatores et interpretes apud Deum constituti sunt sacerdotes; quare ii nomine omnium preces fundunt et quae singuli animis conceperunt, verbis exprimunt v. 17 « *inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, et dicent : parce, Domine, parce populo tuo et ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes! quare dicunt in populis : ubi est Deus eorum* »? — Stant inter vestibulum (πρόναος) sanctuarii et altare holocaustorum (de illo cf. 3 Reg. 6, 3. 2 Par. 3, 4; 8, 12; 29, 7), ita ut ad sanctuarium templi versus preces fundant, in atrio igitur interiore vel sacerdotum. Oratio ad misericordiam impetrandam facta est; illi lacrimas adhibent, quibus quid efficacius est? *Dei causam agi* efferunt (cf. *Sanct.*), quare *parce populo tuo* illi scil. quem tibi elegisti, quem tot prodigiis tuum esse in perpetuum declarasti; quare Deo proponunt, hunc populum a se in *peculium* et hereditatem esse selectum (cf. Ex. 19, 5. 6); quid magis Deo iniuriosum quam talem populum gentibus esse ludibrio, ab iis tyrannide conculcari? Num Deus revera vult, ut gentes cum irrisione dicant : ubinam gentium tandem est Deus huius populi tutelaris, adeo olim potens? « si nihil aliud, nobis id saltem apud tuam clementiam suffragetur, quod absque tua contumelia perire non possumus... noli sinere, ut dicant gentes : *ubi est Deus eorum*? quo videlicet solebant propugnatore gaudere » (*Ps. Ruf.*). Cum *nationum* dominium a se averti precibus et fletu velint, *S. Hier.* advertit : « apertum est aenigma quod latebat; populus enim ille multus et fortis..... nunc manifestius qui sit ostenditur » (sim. *Cyr. Rib.*). Hoc utique valet ad probandum, quid descriptione 2, 2-11 propheta voluerit, minime vero, iam cp. 1 non locustas, sed hostium agmina intelligi.

Hebr. לִמְשָׁל־בָּם aliqui recentiores vertunt: *ut dicterio in eos utantur* (cf. *Ros. Hitz. Keil, Merx, Trochon, Scholz*); verum est verbum מָשַׁל eiusque derivativa hanc notionem saepe habere. Forte ex notione *dominandi pro arbitrio* altera illa *irrisione vel dicteriis uti* exorta est. — Veteres versiones vero omnes

dominandi significationem h. l. expresserunt; et haec etiam retinenda videtur, quia ב hanc omnino suadet. Est enim ב מָשַׁל *dominari in aliquem* locutio valde frequens per totum V. T. v. g. Gen. 1, 18; 3, 16; 4, 7; 24, 2; 37, 8; 45, 8. Deut. 15, 6. Ios. 12, 5. Iud. 8, 22. 23; 9, 2; 14, 4; 15, 11. 2 Sam. 23, 3. 1 Chron. 29, 12. 2 Chron. 9, 26; 23, 20. Ps. 8, 7; 19, 14; 22, 29; 59, 14; 89, 10; 105, 21; 106, 41. Prov. 19, 10. Is. 3, 12; 19, 4; 63, 19. Ier. 22, 30. Mich. 5, 1. Hab. 1, 14. Lament. 5, 8. Dan. 11, 39. In usu adeo frequenti certe non licet a consuetudine communi recedere; unde cum *Fürst C., Schegg, Wünsche* versio veterum est retinenda. Neque unquam certo occurrit ב in significatione *irridendi;* sed Ez. 12, 23; 18, 3 ad quos locos *Keil* provocat, solum dicitur proverbium tale esse in usu, usurpari *in Israel*; cf. 12, 24 *in medio filiorum Israel.* Atque haec significatio etiam optime convenit ad *opprobrium*, quod in membro parallelo habetur, nam *dominatio* gentium in Iuda est *maius* opprobrium, quam verbalis irrisio; demum locutio: *ubi est Deus eorum?* maius quid innuit, quam meram irrisionem; Deus enim protector tunc demum recessisse videri poterat a Iuda, si in Iuda nationes revera dominantur. Neque ad recentiorum explicationem commendandam referre iuvat Deut. 28, 37; 1 Reg. 9, 7. 8 (hebr.). Ier. 24, 9; hisce enim locis id solum ostenditur, de quo nemo dubitat, מָשָׁל significare *proverbium, dicterium*; sed pro nostro loco nihil efficitur. Unde versio veterum ex usu sermonis et gradatione ipsius precationis apta et sensui et contextui consona retineri potest.

SECUNDA PARS 2, 18-32.

ARG. — Poenitentiam et preces supplicantium Deus benigne suscepit. Recordatus amoris sui et electionis factae parcit populo et frugum abundantiam et opprobrii ablationem promittit; quem in finem agmina locustarum abigit (2, 18 - 20). Istis abactis nova et insigni benevolentia terram suam Dominus complectetur: fertilitatem concedet rerumque abundantiam simul cum iustitiae institutione salutari; unde populus Deum laudibus prosequetur, eius potentiam experietur et ab ulteriore ignominia immunis erit (2, 21 - 27). Haec vero dona (in periodo messianica) maioribus excipientur: spiritus sui dona amplissima in eos effundet; et cum mundi machina in die iudicii erit concutienda, ii qui Dei nomen in Sion regnantis invocaverint, salvi evadent (2, 28 - 32).

Etiam hac in parte *normae Dei generales* proponuntur. Deus scil. propter electionem semel factam populum suum non tradit interitui, verum *postquam* vindictam exercuit, ipsos *vindices* destruet, populum autem suum donis temporalibus et spiritualibus concessis ad maiora bona i. e. messianica praeparat. Haec bona largiore spiritus Dei effusione contineri docet periodumque messianicam magno Dei iudicio esse concluden-

dam praedicit tesseramque salutis assignat, qua salvabuntur, quicumque salvantur.

Quae Ioel generali adumbratione 2, 18 - 27 proponit, iterum iterumque in historia populi Dei expressa cernuntur. Populum rebellem non solum annonae caritate Dominus castigavit, verum etiam hostium incursionibus. Ita usus est Assyriis tempore Ezechiae ; verum cum rex pius simul cum populo ad Dominum supplices manus tenderet, Assyrios delevit et tempus pacis concessit ; postmodum vindicibus advocatis Chaldaeis regnum Iudae destruxit ; at populo per exsilii poenam castigato Chaldaeos destruxit, populum suum reduxit, eumque ad periodum messianicam praeparavit.

Quare in hoc vaticinio Ioelis manifestatur, populum rebellem quidem Dei iudicio iri punitum, at hostibus deletis Deum novo favore populum suum prosecuturum eumque ad pietatem eruditurum et tali praeparatione praemissa demum amplissima bona messianica concessurum.

a) **Orationis exauditio et liberatio concessa 2, 18-20.**

Prophetae admonitio fructus tulit. Sollemnis illa supplicatio fuit instituta et ea mentis peracta immutatione iisque sensibus quos propheta 2, 12-17 praescripserat. Quare id factum est, quod v. 14 indicatur ; unde v. 18 « *Zelatus est Dominus terram suam et pepercit populo suo* ; v. 19 *et respondit Dominus et dixit populo suo : ecce ego mittam vobis frumentum et vinum et oleum, et replebimini eis et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus* ». — Exauditio obsecrationibus respondet : Dei causam agi, hereditatem Dei opprobriis cumulari, coram Deo cum lacrimis conquesti sunt ; Deus *zelatus est :* studium, amorem, aemulationem pandit, ut propter suam gloriam *terram suam* vastationi eripiat, recordatus pristinorum magnalium et beneficiorum, quibus illam terram sibi peculiari ratione consecraverat [1].

Precati sunt ; *parce populo tuo ;* et ecce, occurit obsecrantibus voluntatem timentium se faciens (cf. Ps. 144, 19) *et pepercit populo suo ;* benigne respondet, *suum* agnoscens populum et venia concessa peccatorum temporalem quoque calamitatem se liberali ratione abundantia rerum esse levaturum, suisque usum bonorum eorumque laetam fruitionem concessurum pollicetur. In tali autem rerum prosperitate, quae post ingentem illam ruinam, vitibus arboribusque arescentibus vel plane destructis

---

1. De tali zelo Domini cf. Is. 9, 7; 37, 32 ; 42, 13 ; 59, 17 ; 63, 15. Ez. 39, 25 *assumam zelum pro nomine sancto meo ;* Zach. 1, 14 *zelatus sum Ierusalem et Sion zelo magno ;* 8, 2 etc.

et quasi stirpitus eversis (1, 7. 10. 12. 17. 19. 20) et agris summa ariditate enecatis eo magis et inexspectata et mira videri debebat, etiam gentes Iudaeae vicinae, quae testes afflictionis populum dicteriis prosecutae sunt, Domini manum protectricem potentissimam agnoscent et religiosa quadam veneratione populum Dei, cuius talem curam Dominus gerat, prosequentur; unde, prout petierunt, *non dabo vos ultra opprobrium in gentibus.* Iam aliqui veteres interpretes (cf. *Rib. Lap.*) quaerunt, quomodo haec steterit promissio, cum tamen Iudaei postmodum Chaldaeis et Romanis in opprobrium sint dati. Respondent illi quidem *ultra* non perpetuitatem, sed tempus aliquod longum significare et conferunt 3 Reg. 10, 10; 4 Reg. 6, 23; verum commodius veriusque eam promissionem ex indole legis Lev. 26. Deut. 28 ita intelligemus, ut quamdiu ipsi in ea mentis innovatione permanserint, tamdiu ab omni hostili incursu Dei protectione speciali immunes sint futuri. Valet enim canon ille, quem vaticiniis interpretandis ipsae sacrae literae praefigunt : « et subito loquar de gente et de regno, ut aedificem et plantem illud : si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam : poenitentiam agam super bono quod locutus sum, ut facerem eis » (Ier. 18, 9. 10. cf. Ez. 33, 13).

Hebr. וַיְקַנֵּא et וַיַּחְמֹל et וַיֹּאמֶר veteres versiones rite *tempore praeterito* expresserunt. LXX καὶ ἐζήλωσε, *Syrus* ומטן, *Chald.* וְחַס et pepercit, et ita forma quoque grammaticali exigitur, quae post orationem *narrationis* habitu denuo induitur. Solum *Theod.* secundum cod. syr. hexapl. tempus futurum expressit. Immerito igitur aliqui, ut *Theod. M. Sanct. Lap. Sa, Men.*, explicant : *zelabitur, parcet etc.* Verum propheta *narrat* quod factum est poenitentia peracta, eaque narratione opportune utitur ad ulteriores promissiones Dei adiungendas. Tempus perfectum rite agnoscunt *Hitz. Keil, Schegg, Wünsche, Scholz.* Perperam *Merx* precationem, quae v. 17 exhibetur, per integrum libellum usque ad ultimum versum incl. protendit; verum id ipso rerum argumento satis revincitur; revincitur iam forma grammaticali v. 18 (cf. *Hitz. Keil, Scholz*).

Ad promissiones modo datas praevium est, ut locustarum agminibus abactis calamitate praesente leventur v. 20 « *et eum qui ab aquilone est, procul faciam a vobis et expellam eum in terram inviam et desertam, faciem eius contra mare orientale et extremum eius ad mare novissimum ; et ascendet foetor eius et ascendet putredo eius, quia superbe egit* ». — Bene notat *Ps. Ruf.* : « secundum institutum ordinem locustas accipiamus et bruchos, quarum amolitionem placatus Dominus pollicetur ; qui hoc sane ad gratiam et dulcedinem liberationis adiecit, quod illa agmina in deserto iussit occumbere, ne foetoris magnitudo de cadaveribus excitati incolis morbum crearet » ; sim. *Mar.* Locustas etiam ex aquilone venisse, quippe quae hoc quoque vento impellantur (cf. *Cyr. Calm.*), iam ex eo certum esse debet, quia recentiorum testimoniis constat, ag-

mina ea alia ex aliis partibus ingruere (cf. *C. Ritter,* Erdkunde, 8. Theil, 3. Buch 789 — 814; et ad h. l. *Keil; Wünsche, Vigouroux,* la Bible et les découvertes modernes, 3. ed. II p. 305), id quod iam a *S. Hier.* adnotatur : « greges locustarum magis auster quam aquilo consuevit adducere ». Istos greges Deus expellit, ita ut media quasi pars in desertum proiiciatur, *facies* i. e. frons agminis in mare orientale, « illud intellige, in quo fuit quondam Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim, quod nunc mortuum nominatur eo quod nulla ibi vivant animantia » (*Hier.*); pars postrema mergatur in mari occidentali mediterraneo [1]; « mare novissimum, hoc quod ad occidentem est et quod ducit in Aegyptum, in cuius littore Gaza, et Ascalon, Azotusque et Ioppe et Caesarea et ceterae urbes maritimae sitae sunt ... etiam nostris temporibus vidimus agmina locustarum terram texisse Iudaeam, quae postea ... vento surgente in mare primum et novissimum praecipitatae sunt ». Dominus placatus punitionis instrumenta abiicit et foede perdit; *superbe* magnitudinem calamitatum exprimit (*Ps. Ruf.*), qua vehementer nocuerunt (*Mar.*). Ita hebr. potest verti *magna patravit* (cf. Ps. 126, 2).

Verum hoc loco plerique veteres non locustas intelligunt, sed *eum qui ab aquilone est* hostes ab aquilone qui venerint, explicant; ita Assyrios et Chaldaeos cernunt *Hier. Cyr. Theod. Theod. M. Alb. Barh.*; Assyrios *Ephr.*; Nabuchodonosorem *Sanct. Tir.*; Holofernem *Rib. Lap. Sa, Men.*; locustas agnoscunt *Ps. Ruf.*, partim *Mar.* et *Schegg, Keil, Loch, Trochon.* Hoc sane contextui et narrationi congruit et v. 25 confirmatur.

At minime opus est dicere hac amotione locustarum sensum promissionis esse exhaustum. Nam cum Ioel normas Dei generales proponat, cur non idem h. l. fecisse censendus sit? Cur nomen peculiare *aquilonaris* [2] usurpat? cur punitionis foedae rationem subdit, quia enormia patravit vel superbe, insolenter egit? Haec omnia facile patent, si assumimus, prophetam *in locustarum schemate* exprimere, qua ratione Deus, qui semper *zelatur* pro populo suo, vindictae ministros, postquam populum Dei castigaverint, alios atque alios sit abiecturus. Uti enim Deus ante Ioelis tempora et iam *iudicum* aetate hostium incursionibus populum

1. In hebr. proprie : *in mare posterum expellam* i. e. occidentale; regiones enim designantur facie versa ad orientem, ut anterior pars sit oriens, posterior occidens, dextera meridies, sinistra septemtrio.

2. Haec versio facilis, verbo צפון plane respondens et veteribus quoque versionibus probata omnino retineri debet. Frustra aliqui, uti *Ewald*, ad arabicum confugiunt, ut ἅπαξ λεγ. in hebr. fingentes *aciem, exercitum* interpretentur. Alii interpretari volunt *obscuratorem*, quia scil. locustarum agmina solem obtegant; *Hitz.* vocem hebr. cum graeca voce τύφων componens *destructorem* et *vastatorem* explicat.

rebellem visitavit, ita cum postea quoque invasione hostili esse erudiendum, vates iam 2, 2 et seq. docuerat. Sed propter Dei *zelum* et promissa iam data vates etiam scit, populum Dei non iri conculcatum, verum per iudicia ad instaurationem esse adducendum, hostes proin fore conterendos; hostes vero praecipue ab aquilone; imminere, pariter ex historia anteacta et aequali certum erat. Quae cum ita sint, uti in locustis 2, 4. 9 hostes adumbrantur, quia Deus utrisque tamquam vindictae ministris utitur, ita in locustarum expulsione omnium etiam hostium prostrationem praeformari et schemate quodam delineari facile concesseris. Neque te fugiet, eandem poenitentiae viam observari in quavis punitione: Assyrii cum ingruerent, Ezechias cum lacrimis Dominum obtestatur; ex babylonica calamitate ii demum salvati sunt et in patriam redierunt, qui sensus ab Isaia (48, 20; 52, 11; 59, 9 seq. 62, 10; 63, 7), a Ieremia (3, 21; 31, 19), ab Osee (2, 7. 13), a Sophonia (3, 18 hebr.), a Daniele (9, 4 seq.) expressos, i. e. verae poenitentiae sensus animis conceperunt. Pariter in epocha messianica ii ruinam effugerunt, qui corde contrito ad Dominum redierunt.

b) Liberalis bonorum promissio 2, 21-27.

« Omnibus, quae supra fuerat comminatus, nunc contraria pollicetur » (*Hier.*), et « per easdem species sermo decurrit, per quas etiam sub adversitate transierat » (*Ps. Ruf.*). Uti antea ad luctum vocavit, ita nunc populi conversionem et Dei beneficia faustis laetisque acclamationibus celebrat et magna omnium exsultatione laetandum esse praecipit. Per gradus quosdam a terra inanimata ad animalia, ad homines progreditur, ut per omnes rerum ordines novos Dei favores spargi, sentiri ac cum eximia laetitia consalutari innuat. Inde v. 21 « *Noli timere, terra, exsulta et laetare, quoniam magnificavit Dominus ut faceret* »! — cf. 1, 6. 10. 19. Terra impetum locustarum prima experta statim omni ornatu et fructu spoliata est; unde apte eam primo alloquitur, a qua ad animalia et homines vitae subsidia proveniunt. In hebr. alterum membrum *quia magnificavit* . . . eodem modo effertur, uti v. 20 in fine; pulchra sane et oratoria antithesi: illa magnifice fecerunt, sed foede pereunt: nunc Dominus magnificentiam suam et pompam exserit in beneficiis praestandis, quare immensa laetitia ut omnia exsultent, vates adhortatur; idque iure, nam si quando erit iubilandum, tunc certe, cum Dominus non modo quasi ordinario, sed *magnifico*, grandi amorem suum sit manifestaturus.

Quare animalia quoque, quae antea gemebant (1, 18. 20) ad laetitiae

participationem provocat v. 22 « *nolite timere, animalia regionis; quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam* » ; — plena sunt omnia alimentis; arborum et vinearum fertilitas, etsi ad animalia regionis (בהמות quadrupedia sunt mansueta et fera) vix immediate spectet, tamen generatim rerum prosperitatem omnium indicat et insuper, si homines uberem frugum messem colligunt, non parum utilitatis ad animalia domestica redundat; quare apta est sententiarum connexio, neque ullo pacto opus erit, cum *Cyr. Rup. Haim. Barh.* animalia *homines* interpretari, id quod iam 1, 18. 20 ne fiat cautum esse debet.

Promissiones faustae arcte adnectuntur ad v. 19 et Dei responsionis explicationem continent. Quare, uti in v. 19 cernitur, prius frugum ubertas declaratur. Altera v. 19 pars *et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus*, ita explicatur, ut populus erudiendus dicatur ad veram iustitiam v. 23 et v. 26 laudem Dei et gratiarum actiones celebraturus et v. 27 experimento cogniturus, Dominum in medio populo versari protectorem: quae tria egregie explicant, cur populus Dei iam non sit ludibrio aliis.

Post *terram* et *animalia* ratione praeditos alloquitur et ad sacram laetitiam invitat v. 23 « *et filii Sion, exsultate et laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum, sicut in principio* » ; — « ad filios quoque Sion loquitur, ut exsultent et gaudeant non in quacumque re levi, sed in Domino Deo suo, qui dedit eis alimenta iustitiae » *(Hier.)*; laetitiam commendat religione ac pietate plenam, quae in Deum auctorem beneficiorum referatur; *duo* beneficiorum genera declarantur: prius, quo calamitatum fons obstruatur i. e. peccata removeantur et quo populus ad vitam dignitate theocratica dignam erudiatur; alterum, quo prosperitas pietati adnexa promittatur uberrima. Alterum hoc per v. 24. 25. 26a magis prosequitur vates, dum prius (chiastica figura) a v. 26b. 27 explicatius proponit.

Et prius quidem *doctore ad iustitiam* (hebr.) potissimum continetur. Optime rem declarare videtur *Ps. Ruf.* « : tu, popule meus, in eo potissimum exsultare debes, quo ceteris nationibus antecellis: quia doctores videlicet iustae conversationis acceperis, quorum informatu et modestus ageres et beatus. Quale est illud: beati sumus Israel, quoniam quae Deo placent, nobis nota sunt » (Bar. 4, 4). Legis institutionem per munus propheticum continuo populo declaratam, qua vera ad iustitiam eruditio confertur, inter maxima Dei beneficia iure censeri oportet et populo gaudendum est, quia, quod Balaam olim iam inter magna Israelis commoda recensuit : « temporibus suis dicetur Iacob et Israeli, quid operatus

sit Deus » (Num. 23, 23) i. e. Deus opportuno tempore suos edocet, mittit prophetas; insuper adest officium sacerdotale, quo ad legitima observanda erudiendi sunt (cf. 2 Par. 19, 5-11). Accedit, quod praeter illa munera Deus saepius pios etiam reges excitavit, qui religionem et pietatem promoverent (cf. quae de Ezechia et Iosia traduntur 4 Reg. cp. 18 et seq. 2 Par. cp. 19 et seq.). Quam maxime similia sunt verba apud Is. 30, 20 : « et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum (hebr. doctores tuos) et erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum » (hebr. plur.).

Hebr. הַמּוֹרֶה *doctor* intelligi debet, uti *Sym.* et *Chald.* quoque habent [1]. Nam 1° haec est huius vocis significatio usitata cf. Is. 9, 14 ; 30, 20. Hab. 2, 18. Prov. 5, 13 ; 6, 13. 2 Reg. 17, 28. 2 Chron. 15, 3, dum *pluviae* notio saltem dubia est. Ea enim voce יוֹרֶה exprimitur cf. Deut. 11, 14 et *hanc* vocem in membro altero multi codd. habent (cf. *de Rossi*) ; quare scriptio מוֹרֶה in altero membro forte ex priore solum orta est, neque enim certum est, illam significationem inveniri Ps. 84, 7 ; — 2° hic vero notio *doctoris* eo magis exigitur, quia sequitur *ad iustitiam* לִצְדָקָה ; 'צ vero nunquam nisi *iustitiae*, rectitudinis, i. e. conditionis *moralis* sensum prae se fert ; illam ad sensum physicum : *pluvia ad mensuram, prout oportet et expedit* detorquere plane arbitrarium est ; — 3° si iam hoc membro de *pluvia* esset sermo, versus mira tautologia *quater* pluviae mentionem faceret et *bis* eandem vocem eadem significatione repeteret [2]. — LXX ἔδωκεν ὑμῖν τὰ βρώματα εἰς δικαιοσύνην ; sim. *Syrus*. Etiam *S. Hier.* in com. habet : « dedit eis alimenta iustitiae » et « dedit vobis doctorem iustitiae sive tribuit vobis alimenta iustitiae ». *Quis* sit ille doctor, interpretes non consentiunt. Qui a v. 21 iam de periodo messianica agi censent, *Christum* sine ulla haesitatione interpretantur (cf. *Rib. Sanct. Sa, Mar. Men. Scholz*). Coetum prophetarum et maxime Christum intelligit *Alb.*; *Hugo* vero *allegorice* de Christo interpretatur, *historice* refert explicationem Iudaeorum de Ezechia vel Iosia. *Lap.* et *Tir.* concedunt alludi ad prophetas post captivitatem eosque obiter perstringi, sed ita, « ut acies prophetae primario et directe figatur, finiatur et expleatur in Christo, sicut Moses Deut. 18, 18 promisit post se Prophetam i. e. prophetas et inter eos unum eximium et singularem, puta Christum ». A v. 21 non agi de periodo messianica et proinde *doctorem* non posse immediate *Christum* intelligi, in aperto est ; insuper accedit, quod v. 28 demum *et erit post haec* periodus messianica clare designatur tamquam post illa antecedentia (v. 21-27) futura.

Alteram promissionem temporalem subiungit, quae terrae fertilitatem spectat : imbrem dabit eumque secundum anni tempora congruum : *au-*

1. Sym. τὸν ὑποδεικνύοντα (fragm. Hexapl.),
2. Hisce refutatur sententia *Kaulen* statuentis, contextui nullam versionem adaptari posse, nisi illam *pluviam in debita copia*.

tumnalem, qui post iactam sementem terram irrigat et efficit, ut frumentum crescere incipiat; *vernum,* qui Martio et Aprili segetes ad maturitatem provehit (cf. Os. 6, 3. — Ier. 3, 3; 5, 24. Deut. 11, 14)— inde patet, cur *matutinus* et *serotinus* in *vulg.* dicantur. *Sicut in principio* i. e. uti in temporibus prosperis anteactis; cf. Mich. 7, 14 *iuxta dies antiquos;* et bene LXX καθὼς ἔμπροσθεν.

Textus mas. fert בָּרִאשׁוֹן, sed certe cum LXX, *Syro, vulg.* legi debet כְּ, uti unus cod. (cf. *de Rossi*) habet; nam pluviam vernam in mense Nisan dari, uti habet *Chald.* et *Wünsche* vult, nimis clarum adeoque valde superfluum est. Illud autem « in initio » referri ad v. 28 « et postea », id quod *Keil* vult, etiam incredibile est. Unde cum *Houbig. et Scholz* textus mas. emendandus est.

Temporalem benedictionem, quae ex pluviis opportunis consequitur, declarat v. 24 « *et implebuntur areae frumento et redundabunt torcularia vino et oleo* » . — Immo talis erit ubertas, ut proventus quem locustae perdiderunt quasi cum usura restituatur v. 25 « *et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus et rubigo et eruca, fortitudo mea magna quam misi in vos* ; v. 26 *et comedetis vescentes et saturabimini* » ; — *annos* volunt dici indeterminate (*Keil, Wünsche*) pro anno uno; at satius videtur obvia significatione retenta assumere, locustarum plagam illam cp. 1 saepius repetitam esse, donec miseriis attriti ad poenitentiam confugerint. De nominibus cf. 1, 4. Animalcula vocat *fortitudinem magnam suam,* qua usus est ad maximam stragem terrae inferendam. Deus variis exercitibus variisque administris ad sua consilia exsequenda accitis omnium Dominum se probat et omnia suo subesse nutui ostendit.

Iam ea tangit, quae ad beneficium prius *doctoris ad iustitiam* pertinent: « *et laudabitis nomen Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum et non confundetur populus meus in sempiternum;* v. 27 *et scietis, quia in medio Israel ego sum et ego Dominus Deus vester et non est amplius; et non confundetur populus meus in sempiternum* » ; — intime scil. agnoscent miram Dei benignitatem et liberationem concessam Deumque debitis laudibus prosequentur. Hac religione quamdiu animi imbuti sunt, in mandatis Dei et omni pietate sedulo versabuntur, et proinde ex lege Dei in V. T. ordinaria ab omni opprobrio, servitute erunt alieni et securi. Ad iustitiam eruditi et eam colentes *experimento percipient* (*Theod. Alb.*) Dominum potentia sua et amplissima benignitate inter se versari eumque solum esse *Deum,* neque unquam alias nationes cultu idolorum similia beneficia recepisse vel talia magnalia vidisse.

Quia a v. 28 periodus messianica sequitur, iure ea, quae a v. 21 dicuntur, etiam aliquatenus ad tempus illud referri possunt, quod post iudi-

cium in populum rebellem exercitum tamqum tempus praeparationis ad periodum messianicam consideratur. Uti Ioel rem exhibet, illud iudicium cp. 2 intentatum avertere possunt; quod si non averterint pietate vel poenitentia facta, ingruet; at Dominus propter zelum suum, quo promissionibus stat, populi ruinam sanabit et demum bona messianica adducet.

c) Periodus messianica 2, 28-32.

Bonis illis maiora addentur v. 28 « *Et erit post haec, effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae; senes vestri somnia somniabunt et iuvenes vestri visiones videbunt;* v. 29 *sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum* »; — cf. Act. 2, 16; i. e. *post* periodum praeparationis [1] nova epocha orietur conspicua effusione larga spiritus Dei eaque universali. Ipsum *effundere* « ostendit muneris largitatem » (*Hier. Alb. Rib. Sanct.*); spiritus Dei « principium vitae est et principium illuminationis et principium operis et sic operatur vitam in gratia, illuminationem in revelatione et virtutem in opere » (*Alb.*). Spiritus Dei initio creationis ferebatur super materiam informem, illam ad κόσμον educens; spiritus Dei induit prophetas eosque scientia Dei, fortitudine, prudentia ceterisque virtutibus exornavit. Larga ergo spiritus effusione nova vita eaque divina novaeque virtutes plane naturae ordinem supergredientes animis hominum induntur. Et cum spiritus Dei etiam olim daretur, haec epocha tamen duobus eminet: ampliore largitione et effusione super omnem carnem, ita ut non solum pauci ex stirpe electa, verum omnes omnino donorum fiant participes. Unde periodus haec copia donorum eorumque in omnes largitione erit a tempore anteacto distincta. Cum spiritus Dei exhibeatur infundendus spiritui hominis eumque intime repleturus et ad sublimioris vitae exercitium elevaturus, facile inde quoque fluit *regeneratio* quaedam, quae demum in N. T. plane explicatur.

Istam effusionem charismatis potissimum cerni ac manifestari, vaticinium docet. Varia eorum genera recensentur ita, ut Num. 12, 6 de modo communicationis divinae doctrina innuatur. *Prophetare* generatim est impulsu atque instinctu divino salutaria loqui vel speciatim abscondita et futura pandere; variae species, quibus Deus suorum animis illabitur resque communicat, in singulis ordinibus proponuntur, non quasi

1. *Scholz* illud *post haec* arbitrario ita explicat, ut non tempus subsequens sed idem cum praecedente significetur; vult v. 20-27 et v. 28. 29 duplicem esse seriem parallelam promissionum. Verum אחרי כן *post haec* nimis clare rem designat.

senibus unice somnia, iuvenibus visiones contingant, verum ut aequalitate quadam sermonis singula recenseantur. Nullus sexus, aetas nulla excluditur. Neque ad solos Iudaeos effusio haec spectat. Nam quod iam indicatur locutione prorsus illimitata *super omnem carnem,* id explicite effertur cum gradatione quadam v. 29 *et etiam super servos* [1] *et ancillas* (hebr.) i. e. praeter Iudaeos in alienigenas, qui tamquam servi populo Dei addicti inter eos vivunt (Is. 14, 2). Modus loquendi veteri foederi conditionique civili est adaptatus et *gentes* fore participes spiritus Dei indicat (cf. *Rup. Rib. Sanct. Sa, Mar. Men.*); id quod perperam negatur a *Wünsche.*

Vaticinium spectare ad periodum messianicam, certum est *a*) ex ipso argumento : nam divini spiritus effusionem, participationem ei epochae prophetae generatim attribuunt; cf. Is. 11, 9; 44, 3. Ier. 31, 33. Ez. 36, 25-28; 11, 19. Os. 2, 19. 20; *b*) ex ipsa formula *post haec* אַחֲרֵי־כֵן, quae sensu aequivalet h. l. ei, qua utitur S. Petrus Act. 2, 16 *in novissimis diebus* et quae ad tempus messianicum spectat, prout omnes fatentur; demum *c*) ex interpretatione authentica Act. 2, 16 seq. Magna illa Spiritus S. effusione Ecclesia die Pentecostes nata est.

Spiritus Dei in Apostolos effusus eorum ministerio ope sacramentorum reliquis quoque fidelibus datus est et habitat in cordibus iustorum; quare ea effusio manet in Ecclesia (cf. *Theod.*). Simul cum *inhabitatione* Spiritus S. quae pars est potissima, coniuncta erant *charismata* varia et gratiae gratis datae (cf. 1 Cor. 12, 8 etc. Gal. 3, 5), quae illius Spiritus effusi essent signa manifesta et suo modo per omnem Ecclesiae aetatem perseverant, tamquam argumenta aperta et vera ornamenta, quibus Christus suam distinguit, exornat notamque reddit Ecclesiam (cf. Marc. 16, 17 et seq.).

Ieiuna et falsa est veterum nonnullorum explicatio, vaticinium hoc iam spectare tempus Ezechiae regis vitaeque theocraticae et pietatis eo tempore instaurationem, vel divinam in reditu babylonico protectionem (cf. *Ephr. Theod. M. Ps. Ruf. Calm.*), ita quidem, ut quod *historice* valeat de ea aetate et de Ezechia, typologice et perfectius impletum sit tempore Christi. At contextus et verba talia sunt, quae sensum illum *historicum* non admittant, sed directe et unice periodum messianicam delineent. Ita intelligunt Patrum plerique (cf. *Rib. Sanct.*).

Spiritus Dei effusioni largae et universali vates immediate subiungit *iudicium universale*, quo Deus a genere humano tantis donis cumulato rationem exiget, quem in usum divina beneficia converterint. Iudicium signis tremendis in coelo et in terra praeparatur : v. 30 « *et dabo pro-*

---

1 *Meos* non habet *hebr. Syr. Chald.;* omittit quoque Ps. Ruf.

digia in coelo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi; v. 31 *sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis* »; — haec iudicii ultimi *praeambula* iis declarantur, quae in Evangeliis de die Domini leguntur Matth. 24, 29. Marc. 13, 24. 25. Luc. 21, 25. 26; hisce adde plagas illas, quae in Apocalypsi aperto sexto sigillo fiunt (6, 12 et seq.), quae aperto septimo sigillo per angelos cum tubis infliguntur (8, 7. 8. 10. 12; 9, 2. 18), quae effusione phialarum infliguntur (16, 2-21). Inde conficitur fore in terra bella, caedes, persecutiones, conflagrationes; elementa omnia perturbari et armari in punitionem peccatorum; in aere autem et in coelo quoque stellifero magnas fore perturbationes, seriem et ordinem machinae mundi quasi dissolutum iri. Iam in plagis aegyptiacis Deus usus est tenebris, sanguine, aeris intemperie ad rebelles castigandos; unde minime mirum erit, si in saeculorum consummatione et transmutatione simili rerum omnium perturbatione eos puniet, qui rebus omnibus abusi sunt ad peccata perpetranda. « Suadere festinat, quod cum dies Domini i. e. tempus ultimi iudicii cum tanta sit potentia et fragore venturum, ut trepidantibus perculsisque sideribus machina ista velut combusta dissiliat, sola fides sit quae agmina piorum mundo collabente tutetur » (*Ps. Ruf.*). Cur autem effusioni Spiritus Dei statim iudicium ultimum subiungatur, hanc affert rationem *Rib.*: « ut ostendat nullam legem post hanc esse exspectandam, sed hanc esse ab omnibus, qui salvi futuri sint, recipiendam, aut iudicium magnum et maxime formidabile esse subeundum » (sim. *Lap.*).

Quali autem norma *salus* dispensetur, docet v. 32 « *et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; quia in monte Sion et in Ierusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis quos Dominus vocaverit* »; — i. e. cultores Domini, qui tota mente et toto cordis affectu *nomen Domini invocant*, divinam maiestatem implorantes Deum talem esse confitentur et talem diligunt, qualem *nomine suo*, revelatione, beneficiis, promissis se hominibus manifestaverit. Dei nomen *essentiale* est Iahve, ὁ ὤν, *qui est* i. e. actus purissimus, infinita perfectio, aeterna, absoluta, immutabilis. Hoc vero nomen foederi suo cum hominibus praefixit, quo et foederis illius constantiam, immutabilitatem, sublimitatem designaret et ultimum eius terminum, ipsius essentiae divinae visionem et fruitionem innueret. Quare *nomen Iahve invocare* est: Deum foederis supernaturalis credere, confiteri, amplecti auctorem et sponsorem propter ipsius naturae divinae maiestatem et excellentiam. Unde in brevi illa formula totius fidei summa colligitur (cf. Os. 12, 5).

Nominis Iahve invocatio proinde una et *unica* est salutis adipiscendae

via ac ratio. Hanc autem salutarem invocationem docet a) contineri ac concludi in Sion et in Ierusalem — b) et iri concessum vocante et interne invitante ipso Domino. Prius externum, alterum internum aliquid indicat. Sion igitur et Ierusalem, uti sunt veteris theocratiae regnique Dei sedes omnibus conspicua et veri cultus divini domicilium, cui nomen dare debeat, quicumque veteris theocratiae bonorum ac promissionum se reddere voluerit participem, ita novae illius sublimiorisque theocratiae, quae effusione Spiritus Dei in universum genus humanum fundabitur, symbolum sunt ac repraesentatio, ita ut quicumque salvatur, animo ac mente illius urbis regnique Dei debeat esse civis et incola (cf. Ps. 86, 4-6). Quod Isaias et Michaeas symbolo *montis Domini* (Is. 2,'2. Mich. 4, 1), quod Isaias urbis aedificatione, ambitu, ornatu (Is. 49, 17 ; 54, 1 etc. cf. Zach. 2, 4) praeformat ac pro novo foedere docet, idem cernimus hoc loco expressum, dum in Sion fore *ereptionem*, liberationem, evasionem (hebr.) dicitur. Eam vero salvationem adnexam esse Sioni, res est, ait vates, iam nota et a Domino annuntiata : *sicut dixit Dominus* : id quod ad Isaiae vaticinia (cf. 2, 3; 4, 3 etc.) aliorumque referunt (cf. *Sanct. Rib. Lap. Men. Tir.*) ; sed *eadem* verba *et in monte Sion erit salvatio* apud Abdiam leguntur v. 17 et valde similia : *salvatio de monte Sion* Is. 37, 32.

Sed etiam ii, qui Sioni adscripti sunt, non sua virtute ac merito salvabuntur, sed : inter eos qui eousque relinquentur erunt, quos Dominus vocat (cf. hebr.); i. e. ii quoque qui iudicia Dei alia et praevia effugerint, salute potientur, dummodo a Domino vocentur. Deus est igitur, qui *interne* vocat, trahit, gratia iuvat et invitat, quicumque salvabuntur. Salutem esse *gratiam* et non attingi posse nisi interno Dei impulsu et adiuto rio praesente, aperte docet vates simulque *paucos* esse electos innuit *inter relictos erunt quos vocat Dominus* : Isaias quoque repetitis vicibus ingeminat : reliquiae salvabuntur (cf. 10, 21. 22).

De tempore messianico igitur Ioel haec potissimum docet : a) tempus quoddam praecedere praeparationis ; b) donorum Spiritus Dei effusione larga et universali insigniri ; c) concludi magno die Domini et horribili, quem mirae perturbationes terrestres et aethereae praecedant ; d) salvari eos qui fide ac dilectione Dominum amplectantur ; e) salutem illam reponi in Sion, ac deberi Deo interne vocanti ac iuvanti ; f) *paucos* fore electos. — Sanctitatem internam, de qua Osee plura explicavit, *Spiritus Dei effusione*, proinde ipsius Spiritus Dei communicatione, inhabitatione iri effectum et exornatum Ioel potissimum nos docet. Apud Isaiam Spiritus Dei plenitudo in ipsum Messiam descendit (Is. 11, 2) ; apud Ioelem clare dicitur, membra quoque Christi imbui atque ungi Spiritu Dei ; Ezechiel demum cum Spiritus effusione aquam mundam (quasi causam instrumentalem)

et utriusque effectum, internam innovationem et sacram quandam mutationem coniungit (cf. 36, 25-28). Populum Dei novum divina quadam generatione ex Deo esse oriundum Isaias innuit (66, 8. 9) et iam eo continetur, quod Sion mater sponsa sit Domini, eiusque filii nominentur filii Dei. Ita quae in N. T. clare apperteque docentur, in V. T. egregie adumbrantur atque praeformantur.

Iam tempore *S. Hier.* variae, ut ipse refert, ferebantur interpretationes. Ipse prodigia illa in morte Christi accidisse censet: « in coelo, quia sol est versus in tenebras et luna in sanguinem; in terra, quia tam vehementi et insolito motu terra contremuit, ut monumenta aperta et saxa disrupta sint ». *Sanguinem* explicat « quem percusso latere Salvatoris mixtis aquis romanus miles effudit »; et *ignem* esse ignem Spiritus S. in die Pentecostes descendentis de coelo. Similiter explicant *Theod. M. Haimo, Alb.* De morte Christi et eversione urbis Ierusalem (ibi signa in coelo, hic in terra facta esse, scil. calamitates Iudaeorum) explicat *S. Cyr.* Ea facta esse in Christi morte, resurrectione et primis Apostolorum temporibus *Sanct.* affirmat. Variam et multiplicem impletionem adstruit *S. Ephr.*, scil. ea fore in diebus Ezechiae [1], secundo in diebus Sedeciae et in diebus Gog et in plenitudine temporum perfecte in primo et ultimo Christi adventu. Similia saltem ex V. T. affert *Barh.* Varia indicari tempora et iudicia aliis placet: ita *Ps. Ruf. Tir.*: « coeperunt haec in passione Christi, creverunt in excidio ierosolymitano, sed perfecte complebuntur sub finem mundi » et *Reinke*, qui omnia iudicia in Dei inimicos per saeculorum decursum exercenda innui vult; id quod etiam *Trochon* amplectitur. Ultimum iudicium directe et immediate designari censent *Theod. Rup. Rib. Lap. Sa, Mar. Men.* Ad ultimam catastrophen Israelis signa haec refert *Schegg.* Denique *Calm.* ex iis quae Herodotus (3, 34) narrat, talia signa praecessisse contendit mortem Cambysis et eius exercitus caedem et eadem de re vaticinari Ez. 38, 22.

TERTIA PARS 3, 1-21.

ARG. — Haec pars arcte ad antecedentia adnectitur. Ratio enim redditur, cur *in monte Sion et in Ierusalem salvatio* sit futura. Nam Deus Sionem miseratus vindictam et ultionem capiet de omnibus, qui ei iniuriam intulerunt; prima eius ultionis exempla proponit in vicinis gentibus (3, 1-8). Ex hac punitione hostium transit ad cladem generalem omnibus Sionis oppugnatoribus denuntiandam; ad sacrum quoddam bellum omnes exstimulat; promittit auxilium Dei et gentes malitia com-

---

1. Tempore Ezechiae ea fuisse impleta *Ps. Ruf.* quoque censet, eamque explanationem vocat *tenorem quasi historicum*; at praeterea *prophetiam* agnoscit tempore passionis, resurrectionis, eversionis urbis Ierusalem et iudicii ultimi implendam.

pleta Deo iudici esse sistendas praedicit, quod iudicium solitis signis in coelo et terra vestitum Dominus ex Sion exercebit horrendum in hostes, dum suis est spes ac fortitudo (3, 9-16). Ita omnes agnoscere debent, Dominum habitare in Sion, Sionem sanctitate et protectione divina exornari, ibi divinam benedictionem, salutis efficaciam stabilitatemque concedi, dum hostes perditioni futuri sint obnoxii (3, 17-21).

Igitur Sionem et Ierusalem propheta proponit tamquam regni Dei i. e. theocratiae sedem et caput in V. T. (3, 1-8) et in periodo messianica a v. 9. Quia regnum Dei expugnari non potest, ideo quicumque contra Sionem dimicant, iudicio Dei prosternendi sunt. Deus vero theocratiam suam instituit, ut omnibus salutis fontem aperiat; haec autem theocratia ita exhibetur, ut Deus thronum suum habere dicatur in Sion, quare ex Sion omnis benedictio quasi ex fonte diffundetur. Et reipsa cum veteris theocratiae sedes sit Sion, facile fluit, novae theocratiae eiusque spiritualis figuram quasi et symbolum Sionem esse. A versu vero 9 sermonem fieri de periodo messianica, tum alia suadent, tum v. 15 et 16 commotione illa coeli et terrae signisque ostenditur, quae iam 2, 30. 31 periodum messianicam designarunt.

a) Ultio de hostibus Sionis capta 3, 1-8.

In Sion fore salvationem dixerat. Id iam illustratur et probatur divino illo consilio, quo Deus foederis initi et electionis semel factae memor hereditatem suam gratia et misericordia circumveniet ultione de hostibus capta. Quare 3, 1 « *Quia ecce in diebus illis et in tempore illo, cum convertero captivitatem Iuda et Ierusalem,* v . 2 *congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Iosaphat et disceptabo cum eis ibi super populo meo et hereditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus et terram meam diviserunt,* v. 3 *et super populum meum miserunt sortem et posuerunt puerum in prostibulo et puellam vendiderunt pro vino ut biberent* ». — Quod supra dixerat 2, 18 *zelatus est Dominus terram suam*... id etiam pro futuro tempore valere dicit propheta, etsi populus nova infidelitate ultionem Dei contra se provocaverit. Veniet scil. tempus, quo Sionem miseratus illam restituturus sit; locutio *convertere captivitatem* שׁוּב אֶת־שְׁבוּת non necessario captivitatem i. e. abductionem, exsilium dicit, verum generatim ex misera conditione restitutionem et ad pristinum florem revocationem significat; est igitur *miseriam avertere, sanare,* cf. Iob 42, 10 (hebr.); Ez. 16, 53. Os. 6, 11; vel etiam intelligi potest locutio inde hoc loco assumpta, quia revera multi ex populo bellis capti, in servitutem abacti ac venditi a gentibus finitimis fuerant, uti v. 3 dicitur. Haec Sionis restitutio *iudicio* in gentes continetur, a

quibus Deus rationem exiget de iniuriis illatis; cf. Is. 10, 5; 33, 1; 52, 4. 5. Vallem *Iosaphat* i. e. *Dominus est iudex* allegorice dici et locutionem esse tropicam ad Dei iudicium in gentes vario tempore variisque modis exercendum iam ex eo elucet, quod quomodo gentes in una valle congregari et puniri possint non apparet; insuper valde incertum est, utrum eius nominis vallis exstiterit et v. 14 alia appellatione selecta non nomen sed *rem* nomine expressam spectari propheta indicat. Neque unquam hostes in valle prope Ierusalem victi deletique sunt. Facile tamen concesseris cum *Rup.* et *Sanct.* praeter ipsius nominis significationem hostium devictionem a rege Iosaphat in *valle benedictionis* olim factam (2 Par. 20, 16-26) etiam huic designationi aptam praebuisse occasionem et felicem in ea contineri allusionem. — Dispersio Israel iam facta est a Theglathphalasar (4 Reg. 15, 29. 1 Par. 5, 26); unde non opus est de everso regno israelitico i. e. de tempore post an. 722 verba interpretari; certe etiam in bellis antecedentibus captivi Israelitae inter nationes dispersi sunt. Iam Iehu Assyriis tributum solvere debuit, et ante eum Achab ab Assyriis sub Salmanassar II devictus est; saepius in annalibus regum Assyriorum expeditiones militares Palaestinam versus recensentur; quare antiquis etiam temporibus de dispersione quadam Israelitarum sermo fieri potuit (cf. *Schrader*, Keilinschriften u. A. T. 2. ed. p. 199. 201. 207-210. *Vigouroux*, la Bible et les découvertes mod. 3. ed. IV p. 36 et seq.). De occupatione terrae israeliticae varia iam exstant exempla in bellis, quae inter Israel et Syros gerebantur (cf. 4 Reg. 10, 32. 33; 13, 3); eius mentio fit Am. 1, 13. 4 Reg. 14, 26; praecipue tamen divisio facta est translatis habitatoribus in Assyriam (4 Reg. 15, 29). In omnibus istis bellis multi Israelitae captivi ducti atque in servitutem venditi sunt. Quam indigne ab hostibus habiti sint, puerorum puellarumque sorte declaratur; hebr. *puerum dederunt pro meretrice* [1]. *S. Hier.* explicat: « posuerunt pueros in prostibulum, ut virilem cogerent mutare naturam... vendiderunt puellam pro vino ut biberent et libidini praeferrent gulam » (cf. *Rib. Sanct. Lap. Men. Tir. Sa, Calm.*; fornicationis pretium designari censet *Mar.*).

Quae in universum accusaverat, iam speciatim de quibus valeant exponit v. 4 « *verum quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palaesthinorum? numquid ultionem vos reddetis mihi? et si ulciscimini vos contra me? cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput*

---

1. *Syrus* et *Chald.*: « in pretium (mercedem) meretricis »; quod esse potest vel, ut meretricem sibi coemerent, vel potius ut scortationis pretium solverent. LXX ἔδωκαν τὰ παιδάρια πόρναις. *Merx* lectionem propter parallelismum mutat in בַּמָּזוֹן i. e. pro alimento, sed coniectura haec inutilis est.

vestrum »! — hebr. *et etiam quid vos mihi* [1] scil. quid rei vobis mecum est? quare mihi molestiam creatis populum meum infestantes? Dein duplicem ex hebr. ponit quaestionem, qua hostilem agendi modum sibi explicari postulat: *numquid retributionem redditis mihi vel committitis adversum me?* i. e. num iniuriam a me illatam rependere vultis vel sine tali causa in me facinus aliquod committere vobis in animo est? Si quid molimini, cito velociter debitam vicem rependam vobis, poenam facinoris in caput vestrum convertam. Nulla proin causa adest, cur populum Dei aggrediantur; nihil enim iniuriae iis illatum est neque impune lacessent ipsi priores clientem Dei. Nihilominus a vehementi infestatione non abstinuerunt: v. 5 « *argentum enim meum et aurum tulistis et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delubra vestra* »; — hebr. etiam explicari potest *in delubra et palatia vestra*. Diripuerunt thesauros templi et opes civium iisque idolorum templa et suas domos exornarunt in Domini contemptum. Quando haec facta sunt? Forte cum (4 Reg. 14, 13) Ioas rex Israel Ierusalem caperet et auferret omne argentum et aurum et omnia vasa ex Domini domo, etiam aliarum gentium copiae sub eo stipendia meruerunt. Antea, tempore Ioram, Philisthini et Arabes vastaverunt Iudam diripueruntque cunctam substantiam, quae inventa est in domo regis (2 Par. 21, 17). Eadem vel alia occasione — nam pauca solum fragmenta supersunt asservata in libris sacris de plurium saeculorum rebus gestis — etiam v. 6 « *et filios Iuda et filios Ierusalem vendidistis filiis Graecorum, ut longe faceretis eos de finibus eorum* »; — similium scelerum etiam Amos accusat Philisthaeos (1, 6), Tyrios (1, 9); variarum impugnationum mentio fit Ps. 82, uti iam *Rib.* monet. Peculiare crudelitatis genus in eo cernitur, ut populi Dei socios in remotissimas regiones vendiderint, quo magis omnis ad Dei templum redeundi spes iis adimatur. At Deus vigilat in suos: consilium hostium confundet illosque eadem poena castigabit v. 7 « *ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos et convertam retributionem vestram in caput vestrum,* v. 8 *et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum Iuda et venumdabunt eos Sabaeis, genti longinquae, quia Dominus locutus est* ». — Deus suorum curam se gerere promittit, etsi longe absint. Per iustam ultionem minatur, se traditurum esse filios eorum et filias Iudaeis, ut isti illos vendant Sabaeis in regionem remotam felicis Arabiae [2]. Philisthaei

1. Ita LXX καὶ τί ὑμεῖς ἐμοί; eodem modo *Sym.* et *Theod.* (cf. cod. syr. hexapl.). *Chald*: quid vos reputati estis coram me? Sim. *Syrus*.

2. In parte scil. septemtrionali regionis, cui hodie nomen *Jemen* est, ad mare rubrum. Habitabant Sabaei inter Minaeos et Katabanes, uti Strabo refert (16, 768). Regio erat aromaum abundantissima; cf. 3 Reg. 10, 2. Is. 60, 6. Ier. 6, 20. Ez. 27, 22. Ps. 71, 15. etc. Vide *Wi-*

iam per Azariam (2 Par. 26, 6) et Ezechiam devicti sunt (4 Reg. 18, 8), quorum multi certe etiam servitutem subierunt iure belli et captivitatis. Utrum et quomodo Phoenices poenas luerint per Iudaeos, dici non potest. Phoenices ab Assyriis et Chaldaeis fuisse expugnatos et victos, certum est; tempore Machabaeorum aliquae regiones Philisthaeorum et Phoenicum Iudaeis parebant (cf. 1 Mach. 10, 86. 89. 11, 59. 60). Notat *Ps. Ruf.* : « quod totum sane vel statim post Assyriorum exitum vel post reversionem de captivitate Machabaeorum temporibus videtur impletum ». Id factum esse fortasse capta per Alexandrum Magnum Tyro, *Calm.* censet; ceterum vide, quae Sophonias (2, 4-7) et Zacharias (9, 1-6) iisdem gentibus minentur, quae Ieremias (cp. 47) et Ezechiel (25, 15-29 cp.) vaticinentur.

Magna est in explicanda hac prophetae parte interpretum varietas. Congregationem gentium in valle Iosaphat *Ps. Ruf.* intelligit cladem Assyriorum sub Sennacherib, *S. Cyr.* cladem illorum, qui tempore Esdrae templi aedificationem prohibebant, *Theod. M.* invasionem Gog, *Theod.* vindictam post reditum e Babylone captam de iis, qui terram sanctam sibi diviserunt. Crimina in v. 2 et 3 enumerata *Rup.* cernit ab Assyriis et Chaldaeis, Persis, Graecis commissa; at *S. Hier.* ibi Titi et Vespasiani tempora deprehendit. *Reinke* generatim omnia vult iudicia in Dei hostes annuntiari, praesertim ea, quae tempore messianico fiunt. Alii omnia eschatologice de ultimo iudicio accipienda esse docent, et *S. Hier.* quidem « iuxta anagogen », alii immediate et sensu literali, cf. *Rup. Alb. Rib. Sanct.* (qui utramque expositionem et « de statu Iudaeorum et de extremo iudicio » proponit) *Lap. Sa, Mar. Men. Tir. Gord. Scholz;* quae sequuntur, explicant de persecutionibus et oppressionibus Ecclesiae, de variis peccatorum generibus etc.

Controversia quoque est de *valle Iosaphat.* Alii nomen esse allegoricum contendunt (*Sanct. Calm.*), alii vallem eius nominis prope Ierusalem esse censent (*Hier.* : « ad orientalem partem templi sita est »; sim. *Cyr. Rib. Lap.* etc); *Schegg* agnoscit ibi *vallem Cedron*, quae hodiedum nomine illo vocetur. Sed verum est, nomen istud a Iosepho Flavio, qui regionem urbis clare et distincte describit, penitus ignorari, neque unquam in sacris literis eius vallis Iosaphat fieri mentionem. Alii, ut *Eusebius* (Onomast.), quem *Beda* sequitur (de locis sanctis — cf. *Rib.*) vallem Hinnom eo nomine appellari opinantur (cf. *Merx* p. 197). — Ultimum iudicium fore celebrandum prope Ierusalem in valle Iosaphat, ad quam Christus descendat cum angelis, sententia est apud multos recepta (cf. *Rib. Sanct. Sa, Lap. Mar. Men. Tir. Gord.*; theologorum sententias refert *Franc. Suarez* in 3. p. qu. 59 disp. 53, sect. 2), sed non ita apud veteres. Audi *S. Cyr.* : « frivola et anilia sunt, quae apud Iudaeos circumferuntur, olim

---

ner s. v: Scheba; et Bibellexicon (ed. *Schenkel*) V p. 213. LXX nomen appellativum (cf. שְׁבִי) legerunt; unde εἰς αἰχμαλωσίαν verterunt. Simile vide ad Iob 1, 15.

in valle Iosaphat, ubi mortui in vitam redierint, Deum de omnibus iudicium habiturum et quotquot sub coelo sunt de his quae adversum ipsos perpetraverint, rationem reddituros. Quae cogitatio fieri nequit, quin ridicula sit, quandoquidem divinitus inspirata Scriptura prophetiam completam esse dicit et pugna commissa in valle Iosaphat a vicinis gentibus poenas exactas ». *Scholz* nomen hoc a vate efformatum esse censet secundum Os. 1, 5 (vallis Iezrahel) ad designandam urbem messianicam, Ierusalem novi foederis, contra quam hostes expeditionem suscipiunt.

b) Ultio de omnibus hostibus Dei capta 3, 9-16.

Ex iudicio particulari propheta progreditur ad sacrum quoddam et universale bellum, quo tempore messianico erit dimicandum. Periodum nempe spectari messianicam, elucet ex v. 15. 16 i. e. ex signis illis, quae supra 2, 30. 31 illi periodo aperte adscripserat. A v. 9 usque ad v. 15. 16 *una* quasi scena describitur, quare iam v. 9 et seq. eidem periodo attribui debent.

Bellum indicit, ad quod omnes omni conatu vires conferant : v. 9 « *Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos* ; *accedant, ascendant omnes viri bellatores* » ! — prophetae vel praecones admonentur, ut *in gentibus* i. e. longe lateque per gentes, ubique annuntient et exhortentur : consecrate vos sacro bello ; « mihi consecrate, ego enim bellabo et ad meam gloriam res agetur... omne autem quod sanctificari dicitur, semper cum divina gloria coniunctum est » (*Cyr.*). Quare sermo fit ad Dei cultores, ad omnes qui sub signis Dei militant (*Cyr. Rup. Alb.*), non, ut compluribus placet, ad impios et hostes (*Rib. Lap. Sa, Mar. Keil, Scholz*) ; hostes v. 11 alloquitur propheta, quare iam ad totius sermonis conformationem apte v. 9. 10 bellatores Dei intelliguntur, qui arma arripiant et in certamen descendant.

Indicat igitur propheta, in ipsa periodo messianica fore certamina subeunda, fore incursus hostiles, quibus omni vi sit obviandum. Repetita enim adhortatio rem agi gravissimam et strenue esse adlaborandum ostendit. Omnem quoque conatum esse exserendum et cuncta quasi in bellica instrumenta esse vertenda — tantae molis pugna instat ! — declaratur v. 10 « *concidite aratra vestra in gladios et ligones vestros in lanceas* ; *infirmus dicat : quia fortis ego sum* » ! — ne infirmi quidem a pugna excipiuntur ; sed tale aderit adiutorium, ut ipsi imbecilles confidenter suam possint iactare fortitudinem. Cur, declaratur v. 12. 13. Instat igitur concertatio generalis, cui nemo se subducere possit ; vel in universali illa oppugnatione quam hostes Dei contra regnum Dei suscipiunt, unusquisque suas agere debebit partes, idque strenue ac fortiter.

Si igitur periodus messianica aliis in vaticiniis tamquam tempus *pacis* describitur, haec quidem verissima sunt, attamen indolem illam pacis talem esse, quae infestatione minime careat et quae strenuo adversus inimicos conatu et forti certamine et acquirenda sit et conservanda et defendenda, hoc oraculo edocemur. Complent enim inter se vaticinia neque doctrina *integra* in uno loco traditur, verum ex pluribus sedibus est colligenda et varia oracula ita inter se sunt concilianda, ut sua cuique stet veritas.

Uti v. 9. 10 bellatores Dei ad arma capessenda adhortatus est, ita nunc hostes Dei ironice exstimulat, ut vires colligant, manus conserant v. 11 « *erumpite et venite omnes gentes de circuitu et congregamini; ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos* »; — admonentur scil. uti apud Isaiam: « congregamini populi et vincimini . . confortamini et vincimini » (8, 9. 10). In altero membro textus latinus [1] statim indicat, irritos fore conatus, insigni clade per Dei potentiam omnes prostratum iri. Haec igitur ratio est, cur etiam infirmus animos sumat et dicat: *quia fortis ego sum*. Verum in textu hebr., uti iam *Lap. Mar.* agnoverunt, precatio fit ad Dominum, ut contra agmina hostilia in certamen deducat heroes suos i. e. angelos: *eo fac descendere, Domine, robustos tuos* (*angelos tuos*) cf. *Lap. Mar. Keil, Wünsche, Merx.* Sunt igitur *angeli* certaminis comites, socii, adiutores et propheta efflagitat, ut agmina illa coelestia bellatoribus Dei opem ferant; optima sane ratio, cur infirmus quoque tali subsidio munitus dicat et confidat se fortem esse. Uti Deus angelos misit ad Aegyptios prosternendos, ad Assyrios vincendos, ad victorias Machabaeorum ducibus conciliandas, ita in universali illo conflictu inter Dei pugnatores et agmina hostium Deus suos roborat et iuvat acie illa coelesti. Nam quemadmodum diabolus suos instigat ad regnum Dei oppugnandum, eodem modo angeli Dei militibus assistunt.

Propheta igitur acie instructa utraque Dei auxilium coeleste et angelos commilitones et victores innuit. Textus ita intellectus sensum praebet et verissimum et pulcherrimum planeque conformem cum oeconomia Dei in T. V. et N. conspicua. Et h. l. eo magis aptus est [2], quia v. 13 *mittite*

---

1. Ei consentiunt *Syrus*: ibi frangit Dominus fortitudinem vestram, et *Chald.*: ibi franget D. robur fortium eorum. LXX ὁ πραΰς ἔστω μαχητής. Verum textus hebr. verti debet, *eo fac descendere D. fortes tuos*; id indicat הַנְחַת imperat. hiph. a נחת descendere; id innuit שַׁמָּה *eo, illuc*; non שָׁם *ibi, illic*, quod statim v. 12 ea notione usurpatur: *quia ibi sedebo*. Cf. *Ges.* s. v. נחת. *Syrus et Chald.* verbum חתת ob oculos habuisse videntur; *S. Hier.* autem *descendere faciet* accepit sicut הוריד *prosternere, deiicere* etc. adhibetur. — Alii mutatis punctis הֻנְחַת legi volunt.

2. Quare mirum est *Scholz* asserere, ea explicatione minime aptum, sed prorsus alienum

falces ipsi admonentur angeli, ut messem colligant. Est scil. ista admonitio et parabola messis praeformatio quaedam illius parabolae, quam Christus enucleatius proponit Matth. 13, 38-42; v. g. v. 41 : « mittet filius hominis angelos suos et colligent de regno eius omnia scandala », et v. 30 : « dicam messoribus : colligite *primum zizania* » . . ; insuper iste sensus apte illustratur Ap. 14, 15-20, prout etiam advertunt *Rib. Men. Tir. Gord.*

Huius certaminis exitum colligi docet in iudicio universali et ultimo, quo omnes coram Dei tribunali gentes sistuntur; quare dimicationis illius progressum ita delineat, ut gentes demum ad *vallem iudicis Domini* propellantur v. 12 « *consurgant et ascendant gentes in vallem Iosaphat*; *quia ibi sedebo ut iudicem omnes gentes in circuitu* » ; — de Iosaphat valle vide ad v. 2. Exitus hic alia est ratio, cur in ea dimicatione ne infirmus quidem animo cadere debeat (cf. v. 10).

Tale autem iudicium erit, cum hostium malitia creverit et magnam quandam mensuram impleverit. Hanc messem ut colligant, angeli mittuntur v. 13 « *mittite falces, quoniam maturavit messis*; *venite et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia*; *quia multiplicata est malitia eorum* ». — Imaginem hanc Christus parabola sua egregie illustrat cf. Matth. 13, 29. 30. 40-42. In hebr. aptius: *venite et calcate* [1] scil. uvas. Iudicium imagine *messis* (cf. Is. 17, 5. Os. 6, 11) et *vindemiae* (cf. Is. 63, 1) proponitur; qua comparatione innuitur malitiam suis incrementis quasi maturescere et augeri multum in modum. Concordant Christi verba : « sinite utraque crescere usque ad messem » et S. Pauli doctrina de apostasia magna futura (2 Thess. 2, 3). « Exspectavit Dominus, ut calcaret torcular, donec ille racemorum adveniret cumulus, qui lacum i. e. praevisam a Deo mensuram impleret » (*Sanct.*).

Hanc gentium messem angeli colligunt, comportant, Deo iudici sistunt : v. 14 « *populi populi in valle concisionis*: *quia iuxta est dies Domini in valle concisionis* » ; — vallis « Dominus iudicat » iam ex effectu in Dei hostes appellatur *vallis concisionis* [2] nomine symbolico. Adnotat *S.*

---

exhiberi sensum. Ipse vertit : ibi confundit Deus fortes tuos, et formam *aphelicam* esse vult litera *n* inserta. Sed cur tales fingere anomalias? Imperativum rite agnoscunt *Ewald*, *Hitz. Olshausen* (Lehrb. d. hebr. Spr. p. 567) aliique. Sed si allocutio fit ad Deum, sensus nequit esse : Deus fac occumbere fortes tuos !

1. cf. רְדָה Is. 14, 6. Ez. 34, 4. Ita rite LXX πατεῖτε; ita *Syr.* et *Chald.* vocem hebr. intellexerunt. Vidit etiam *Houbig.* hanc notionem requiri, et ideo textum hebr. mutat; at textus immutatione minime indiget. *S. Hier.* illam saltem commentario inserit : « descendant calcentque torcularia ».

2. חָרוּץ Is. 28, 27; a verbo חָרַץ *decidere, firmiter constituere, definire, incidere*; cf. Is. 10, 22. 1 Reg. 20, 40. Iob 14, 5.

Hier. : « in eo loco, ubi nos posuimus *populi populi* et Septuaginta transtulerunt : *sonitus exauditi sunt*, in hebr. scriptum est *amonim, amonim* (המנים), quod utique multitudinem et turbas eorum qui iudicandi sunt et strepitum sonitumque significat. Rursum ubi nos diximus *in valle concisionis* sequentes translationem Aquilae et Symmachi et quintae editionis, Septuaginta et Theodotio τῆς δίκης καὶ τῆς κρίσεως i. e. *causae et iudicii* transtulerunt... idcirco autem gentium, de quibus supra diximus, in valle iudicii sive concisionis populi congregantur, ut interficiantur et corruant et a Domino iudicentur ». Igitur *secundum ipsum S. Hier.* hebr. verte *tumultus, tumultus in valle decisionis* (vel *tribuli*?) !

Hic vero *dies Domini* solitis vestitur in rerum natura perturbationibus v. 15 « *sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum* » ; — cf. 2, 10. 31. In ista vero universae mundi machinae commotione et omnium terrore (cf. Luc. 21, 26) Dominus e medio regno suo quasi ex sua propria sede vocem suam emittet i. e. omnes ad iudicium colligit sententiam poenamque promulgat cf. Ioan. 5, 28 : quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei ; ita similiter v. 16 « *et Dominus de Sion rugiet et de Ierusalem dabit vocem suam, et movebuntur coeli et terra ; et Dominus spes populi sui et fortitudo filiorum Israel* » ; — dum omnia contremiscunt, Dominus suis se praebet certam spem ; pii animis non cadent, firmiter fiduciam retinent neque unquam confundentur ; mediis in angustiis et totius mundi ruina Dominus illis est *fortitudo* ; cf. Luc. 21, 28 : « his autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra ».

Etiam hac in parte sententiarum varietas satis est magna. Ad v. 9 iam notat *S. Hier.* : « locus iste dupliciter intelligitur : quidam enim arbitrantur, haec sanctis gentibus praedicari, ut praeparentur ad bellum et pro populo Dei dimicent . . . nobis autem Hebraeorum opinionem sequentibus videtur esse contrarium. Ideo enim gentes adversariae Israeli parantur ad pugnam, ut occumbere faciat Deus robustos eorum » ; proinde censet iam v. 9. 10 ad hostes fieri sermonem. Idem opinatur *Ps. Ruf.* qui de Assyriis, *Theod.* qui de gentibus scythicis [1], *Theod. M.* qui de hostibus explicat. Hoc itaque iudicium intelligunt *Cyr. Theod. Theod. M.* idem quod iam antea 3, 1 et seq. erat propositum ; *Tir.* explicat v. 9-11 de Nabuchodonosor, v. 12 seq. de ultimo iudicio ; *Calm.* omnia de Cambyse, eiusque pugnis et interitu. *Hugo de S. V.* docet : « de triplici adventu potest litera accipi et de unoquoque competenter quod dicitur intelligi » i. e. de adventu Christi in carne, in mentem hominis, ad ultimum iudicium. Ultimum iudicium a v. 12 delineari et ad id omnia convergere rite vide-

1. De Gog et Magog explicat *Barh.*

runt *Haimo, Rup. Alb. Rib. Sanct. Lap. Sa, Men. Mar.* At ne isti quidem in solis et lunae obtenebrationis explicatione consentiunt; dum enim aliis ea vere sint signa, quae fiant in sideribus (cf. *Sanct. Mar. Gord.*), aliis praeplacet rem explicare ex affectu moerentium : « videtur enim tunc hominibus prae afflictione animi sol obscurari; unde apud nos vehemens comminatio est : efficiam ut stellas medio in die videas » (*Rib.* sim. *Lap. Sa, Men. Tir.*). Eandem viam, ut patet, ingrediuntur, qui totam prophetiam de iudicio contra hostes Assyrios etc. exponunt; unde ipsis non sol obtenebratur, sed victi caligine offunduntur (cf. *Cyr.*), non mundo, sed timentibus ingruunt tenebrae (*Ps. Ruf.*), non sideribus, sed occisis deerit lumen (*Theod. M.*) etc.

c) Dominus salvator in Sion 3, 17-21.

Ex tali rerum exitu, quem prophetia docet, duo discuntur : Dominum Sioni adesse et illam reddere sanctam depulsa omni iniquitate. Bene nexum *Theod.* exponit : « haec autem omnia Dominus facturus est misericordia in populum suum utens, ut hac fruens providentia cognoscat, inquit, quod ego sum Deus.. » (sim. *Cyr.*); ita v. 17 « *Et scietis, quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo*; *et erit Ierusalem sancta et alieni non transibunt per eam amplius* »; — i. e. in Sion sedem quasi suam fixit, hoc regni sui domicilium est; quare oppugnatores omnes deiiciet, et ibi se ut *Deum foederis* qui promissis stet, manifestabit et cum ipse sit sanctus, etiam regnum suum sanctitate florere vult. Nunc ratio est explicata, cur in Sion sit salvatio (3, 32) et cur in omnes hostes animadvertat : ibi enim thronum elegit, haec est illa hereditas, quam sibi acquisivit. Sion igitur consideratur tamquam theocratiae sedes et est ipsum theocratiae symbolum ac repraesentatio eo magis apta, quia vetus theocratia ibi consistebat.

Deus sanctus recedere iubet omnes qui operantur iniquitatem eosque a suo regno arcebit i. e. *alieni non transibunt*; in suos vero effudit spiritum suum (2, 28); huius effusionis et sanctitatis inde consequentis benedictionem et copiam imagine fertilitatis uberrimae ac felicissimae describit v. 18 « *et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lacte et per omnes rivos Iuda ibunt aquae, et fons de domo Domini egredietur et irrigabit torrentem spinarum* »; — hebr. *stillabunt montes musto...* i. e. vineae in montibus plantatae tantam copiam uvarum musto plenarum afferent, pecudes in collibus pascentes tantam lactis abundantiam ministrabunt, ut ipsi montes et colles videantur non iam aquarum fontes effundere, verum musti lactisque scaturigines. Tota vero regio et campi universi rivis nunquam deficientibus irrigabuntur. Haec aquarum profluentia agrorum fertilitatem summam efficiet.

Sanctitas per Dei spiritum effusa hac rerum omnium abundantia apte delineatur; nam, uti peccatum maledictionem etiam in res creatas induxit (cf. Gen. 3, 16), uti ipsa etiam terra vastatione, incendiis, inundatione, sterilitate etc. propter hominum peccata saepe puniebatur, ita consequens est, ut ex hominum sanctitate instaurata ad res etiam creatas splendor quidam redundet, vel ut ipsa natura pulchrior effecta et fecundior suo modo testimonium ferat sanctitati hominum. Idque eo magis, quia in lege certus quidam nexus statuitur inter hominum pietatem et regionis ubertatem; unde pro indole veteris foederis eo ipso regio uberrima omnibusque bonis abundans testimonium reddit religioni et sanctitati incolarum. Quare, si propheta inauditum quendam abundantiae et amoenitatis gradum describit, ex eo facile concludunt ii, qui normae mosaicae memores sunt (cf. Lev. 26. Deut. 28), adfuturum esse ingens quoddam sanctitatis incrementum. Ceterum vide, quae ad Os. 2, 21 et ad Amos 9, 13 adnotavimus.

Haec autem revera symbolice dici, ipse propheta intuit, cum *fontem de domo Domini egredientem* exhibeat; fons enim e templo non egrediebatur alius, nisi fons metaphorice dictus, fons benedictionis etc.; cf. Ez. 47, 1. Zach. 13, 1. Ap. 22, 1. Isto fonte ait ipsum desertum irrigari et proinde ad fertilitatem adduci. In hebr. est *vallis schittim* i. e. vallis acaciarum [1]. Ceterum *schittim* vel *settim*, uti *S. Hier.* scribit, ita explicat idem: « est genus arboris in eremo spinae albae simile, colore et foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes arbores sunt, ut latissima ex illis tabulata caedantur, lignumque fortissimum est et incredibilis levitatis ac pulchritudinis... quae ligna in locis cultis et in romano solo absque Arabiae solitudine non inveniuntur »; unde maxime obvia significatio esse videtur: ipsam solitudinem et eremum fonte illo irrigatum iri et fertilem redditum (cf. *Schegg*), qua re eximia novae periodi felicitas effertur. Nam quod alii volunt, vallem Cedron ita vocari (*Cyr. Hitz.*), probare nequeunt; intelligi autem *Settim* regionem in campestribus Moab [2] sitam (*Hier. Rib. Lap. Wünsche*) incredibile est, quia fontem e templo egressum per Iordanem in regionem Moab fluere, nimis miro modo fingitur.

---

1. LXX χειμάῤῥουν τῶν σχοίνων, torrentem funiculorum « quod aut funiculos significat aut iuxta Aegyptios mensuram certi itineris » (*Hier.*). *Cyr.* explicat de torrente, ᾧ παραπεφύκασι σχοῖνοι πολλαί, cui adnascitur copia iuncorum. *Theod.* gentes significari ait, quae peccatorum funiculis ruptis limpidas aquas divini fontis excipiunt. *Sym.* interpretatus est *vallem spinarum*, ut *Hier.* refert; eodem modo *Aq. Theod.* cf. cod. syr. hexapl.

2. Cf. Num. 25, 1. Ios. 3, 1; « est autem locus iuxta Liviadem trans mare mortuum sexto ab ea distans milliario, ubi quondam cum Madianitis fornicatus est Israel; huius loci propheta Michaeas meminit » (6, 5. *S. Hier*). Fortasse in nomine *schittim* allusio est ad vallem

Quod modo dixerat: *alieni non transibunt*, iam ex sui temporis conditione in iis ostendit, qui quam maxime in populum Dei se hostiles gerere animos prae se tulerunt; poenas scil. scelerum dabunt v. 19 « *Aegyptus in desolationem erit et Idumaea in desertum perditionis pro eo quod inique egerint in filios Iuda et effuderint sanguinem innocentem in terra sua* »; — quod supra v. 4 et seq. de Tyriis et Philisthiim conquestus est, etiam in Aegyptiis et Edomitis reprehendit; Edomitas eodem fere modo accusat Amos quoque (1, 11) et Abdias (v. 10). Edomitas rebelles fuisse contra regnum iudaicum, lege 4 Reg. 8, 20; illorum regionem in solitudinem redactam sollemniter affirmat Malachias (1, 3. 4). Etiam Aegyptii Iudaeos bellis oppresserunt (iam 3 Reg. 14, 25) et qui ad regiones aegyptiacas confugerunt variis bellis exagitati, eos interemerunt, uti propheta conqueritur. Aegyptios punitos per Cambysen et ita Ioelis oraculum impletum esse censent *S. Cyr. Theod. Calm.*; at iidem in hac poenae denuntiatione simul cernunt omnem fastum terrenum iri deiectum et impetus hostiles in Dei populum fore irritos auctoresque in interitum esse ruituros (sim. *S. Hier.*). Ceterum vide oracula contra Aegyptum Is. 19; Ier. 46; Ez. 30-32; contra Edom Ier. 49, 7. Ez. 35.

Dum hostibus vastitas et interitus immineat, Dei populus securitate et pace fruitur v. 20 « *et Iudaea in aeternum habitabitur et Ierusalem in generationem et generationem* »; — regnum enim aeternum Davidi est promissum et thronus eius firmus stabit, uti per Nathan domui Davidis est annuntiatum (2 Reg. 7, 14). Foedus quoque sempiternum post punitionem a Deo iniri servarique inviolabile Osee vaticinatus est (2, 19 et seq.), eodemque modo Isaias hostibus prostratis de regno pacis sempiternae crebro mentionem infert (9, 7; 11, 1; 54, 1 etc.), idque fieri ait *zelo Domini exercituum* (Is. 9, 7). Iste *zelus* beneficiis in fideles collatis et ultione in inimicos potissimum manifestatur (cf. supra 2, 18). Quare summam oraculorum complexus propheta concludit v. 21 « *et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram; et Dominus commorabitur in Sion* »; — hebr. verte: *et sanguinem eorum sacrosanctum habebo, quem non sacrosanctum habui* [1] i. e. oppressionem populi sui, quam in vetere foedere saepius permisit Deus, iam non permittet; est enim populus nunc Deo carissimus, pretiosus coram eius conspectu, quare cura vigili providebit, ne quis ei iniuriam impune inferat; cf. Ps. 71, 14: « et honorabile nomen eorum coram ipso, » vel ut hebr. textus fert: « et pretiosus sanguis eorum in oculis eius » i. e. princeps pacis messianicus

---

Siddim, quae olim mari mortuo erat destructa (cf. *Schegg*, *Loch*); eam regionem etiam *Scholz* intelligit.

1. Cf. נִקָּה *innocentem, purum, sanctum habere, declarare*; vide *Merx* p. 27.

sanguinem pauperum non spernit, immo pretiosum habet, maximi aestimat, eorum curam habebit tenerrimam. Ex hac significatione facile fluit altera, quam communiter sequuntur: *et vindicabo sanguinem eorum, quem non vindicaveram* [1] i. e. si quis illis manus intulerit, divinam ultionem celeriter experietur; in novo rerum ordine maiore studio atque aemulatione Deus populi sui iniurias vindicabit. Vel verba possunt etiam referri ad v. 19: punitione illa Aegyptiorum et Edomitarum Dominus ulciscitur iniurias, quas longo tempore prorsus negligere videbatur.

Hac ultione exercita Dominus tamquam auctor salutis *habitabit* i. e. stabili modo propriam sibi sedem, requiem, domicilium constituet in Sion i. e. in medio populo suo. Suos igitur magni aestimat et quasi cum reverentia eorum curam habet, ab hostium incursu vindicat, inter eos inhabitat: « ecce tabernaculum Dei cum hominibus », vel, uti *Ps. Ruf.* advertit: « ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ». Hac eximia consolatione Ioel divinae providentiae normam in regendo populo absolvit.

Ex illa interpretationum varietate, quae supra adnotata est, varia etiam in hanc redundare partem et facile derivari perspicuum est. Pauca insuper afferre sufficiat. Atque *S. Cyr.* quidem v. 17 et de antiqui foederis tempore explicat e etiam de Christi Ecclesia valere vult. *Theod.* promissa data esse censet tacita conditione, si scil. populus legem Dei fideliter observaverit; scribit enim ad v. 17: « at praedictiones divinas ad finem pervenire impia eorum facta non sinunt. Nam omnium Deus leges ferens et bona promittens cum exceptione verba facit: si servaveris mandata Domini Dei tui... licet itaque talia nullibi inveniamus, sic tamen intelligamus etiam ea, quae indefinite dicuntur ». Et ad v. 21 advertit: « istud autem *in aeternum Iudaea habitabitur* iuxta supra dictum a nobis sensum intelligamus. Neque enim indignis bona promissa praestare Deum aequum est, cum sit iustus et abhorrens ab iniquitate. Iudaei itaque suae in gentes dispersionis auctores sibi exstiterunt, quia in benefactorem insanierunt. Nos autem pro illis in sponsae locum vocati, sponsum qui nos adamavit perpetuo diligamus... ». De Ecclesiae tempore partem hanc *Ps. Ruf.* explicat; ea quae v. 20 dicuntur, ex parte ait expleta esse sub Ezechia, cumulatius tamen fore sub Christo. *S. Hier.* die resurrectionis vel die iudicii (« utrumque enim recipimus ») ait Aegyptum et Idumaeam destruendas; « quicumque igitur Dei populum persecutus est et terrenis vacaverit operibus ac multitudine delictorum quotidie

---

1. LXX καὶ ἐκζητήσω τὸ αἷμα αὐτῶν, καὶ οὐ μὴ ἀθωώσω. Sim. *Syrus, Chald.* Vindicandi notionem etiam in textu latino deprehendunt *Rup. Alb. Sanct. Lap. Tir. Men. Trochon.* Rem ita v. g. declarat *Lap.*: sanguinem impia effusione censeri pollutum; expiatione vero et vindicta auferri maculam. *Schegg*: sanguinem vindicta auferri et ita emundari (sim. *Hitz.*). — Alia lectio fert in LXX ἐκδικήσω. *Scholz* locutionem de sanctitate tempore messianico explicat: *populum* a Domino declarari i. e. effici mundum ac purum a culpa; dici vero *sanguinem eorum* i. e. eos ipsos, quia peccatis vita i. e. sanguis morti devoveatur.

fuderit sanguinem innocentem, eorum scilicet, quos decipit, erit in perditionem ». Ceterum h. l. saepius vehementer in chiliastas invehitur (*sim. Rup. Alb. Rib. Lap.*). *Montes* v. 18 perfectos, *colles* minus perfectos explicat : « quicumque mons fuerit et ad virtutum excelsa pervenerit, dulcedine et melle sudabit » etc. ; similiter *Cyr. Rup. Haimo* ; Apostolos *in montibus* expressos cernit *Ephr.* et *Ps. Ruf.*, qui praeterea aliam explanationem profert : « sicut supra tristibus et in ultimo discrimine constitutis obscurari astra et elementa tremere videbantur, ita rursus gaudii effusione temulentis lac videtur manare de rupibus , mella de montibus.. ». Felicitatem hanc vel de Ecclesia vel de coelesti Ierusalem asseri *Haimo* censet ; alii utramque explicationem coniungunt ; et sane ab Ecclesia facillime transitus fit ad aeternum Ecclesiae triumphum (cf. *Ps. Ruf. Gord.*) ; alii demum omnia a v. 18 immediate de *coelo* explanant (cf. *Alb. Rib. Sanct. Lap. Sa, Men. Tir.*) ; in Aegyptiis et Edomitis symbolum cernunt damnatorum (*Sanct. Sa, Mar.*) ; *vallem spinarum,* quae torrente voluptatis e sede Dei egrediente irrigatur, vel eos intelligunt, qui olim spinis peccatorum obsiti erant sed spinis poenitentiae ad Deum redierant (cf. *Alb. Tir.*) vel cum allusione ad ligna *settim* imputribilia de beatis gloria incorruptibili coronatis explicant (cf. *Rib. Lap. Sa, Men.*).

AMOS

PROLEGOMENA

I. — De ipso propheta.

Amos (עָמוֹס [1] i. e. βαστάζων qui apud Latinos *portans* dicitur — *S. Hier.* praef. in Ioel —) fuit de oppido *Thecue,* « quod sex millibus ad meridianam plagam abest a sancta Bethlehem, quae mundi genuit Salvatorem; et ultra nullus est viculus, ne agrestes quidem casae [2] et furnorum similes quas Afri appellant mapalia... et quia humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terrae compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum Amos propheta fuit, imperitus sermone [3], sed non scientia » (*S. Hier.* in prologo ad Amos). Fuit Thecue « viculus in monte situs et duodecim millibus ab Hierosolymis separatus » (idem in Ier. 6, 1). Ut ipse propheta narrat, a pecorum cura et humili vitae conditione vocatus est ad munus propheticum a Domino, qui ex beneplacito eligit quem vult et qui humilia et abiecta et ea quae non sunt assumit, ut fortia confundat (cf. 7, 14). Fuit ipse בַּנֹּקְדִים ex pastoribus; quamvis נֹקֵד 2 Reg. 3, 4 de rege Moabitarum gregum multitudine nobili dicatur, tamen Amos minime censeri debet herus quidam dives, cuius greges servi et pueri pascebant. Id enim excluditur, quia se vocat בּוֹקֵר qui gregis curam et munus pastoritium ipse exerceat et quia *vellicans sycomoros* tenuem vitae rationem designat.

Munus propheticum obiit tempore Oziae regis Iuda et Ieroboam regis

1. Quare nullo modo commutandus est — id quod veteribus aliquibus accidit v. g. Epiphanio, Clementi Alex. etc. vide apud *Sanct.* — cum Amos (אָמוֹץ) patre Isaiae.

2. Vel : nisi agrestes quaedam??

3. Verum aliter iudicat S. Augustinus; cf. ad 6, 1.

Israel. Diu isti reges simul praeerant; anno enim 15 Ieroboam regis [1], qui per annos 41 regnavit, Ozias regnum capessivit et per 52 annos tenuit. Res utriusque regni prospere agebantur. Ieroboam « restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis... vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis » (4 Reg. 14, 25); Ozias autem vel Azarias feliciter bella gessit contra Philisthiim, Arabes et Ammonitas, arces urbesque munitas erexit et regni iudaici conditionem prosperam reddidit ac florentem (cf. 2 Par. 26, 1-15). At splendore illo externo et bellico morum corruptio et defectio a sincero Dei cultu in utroque regno male obtegebatur. Ieroboam « fecit quod est malum coram Domino; non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel » (4 Reg. 14, 24); etiam Ozias « excelsa non est demolitus; adhuc populus sacrificabat et adolebat incensum in excelsis (l. c. 15, 4), et cum roboratus esset, elevatum est cor eius in interitum suum et neglexit Dominum Deum suum » (2 Par. 26, 16); insuper Iudaeos quoque et cultu idololatrico deliquisse et varia morum depravatione laborasse, ex libris Osee et Amos nimis perspicuum apparet (Os. 4, 15; 5, 10. 12. 14; 6, 11; 8, 14; 12, 2. Am. 2, 4; 6, 1); immo Bersabee oppidum in finibus Iuda situm cultu illicito celebre erat et ab ipsis Israelitis frequentatum (Am. 5, 5; 8, 14). Quare propheta intrepide munere suo fungens medio in splendore externo regni utriusque ruinam miseram praenuntiat morumque censor fortiter in contemptores Dei invehitur (cf. 7, 12).

II. — De argumento libri.

In tres partes commode librum disperties : cap. 1. 2-cp. 3-6.-cp. 7-9. Et prima quidem parte iudicium Dei in gentes et in populum electum denuntiat. Incipit gentibus vicinis varia exprobrare crimina, quibus in populum Dei peccaverant, iisque congruam praedicere castigationem. Hac quasi praeparatione praemissa iudicium Dei in ipsum populum electum, in Iuda et Israel, devolutum iri ait, quippe qui legem Dei abiecerint et beneficiis a Deo acceptis ingratos se et indignos praestiterint; quare ignem missum iri ait in Iuda et Israel esse periturum.

Quam accusationem criminum et denuntiationem poenae in altera parte (cp. 3-6) latius prosequitur et per singula enucleate proponit. Tribus enim orationibus vel totidem reprehensionibus et singula scelera exagi-

1. Ita enim colligitur ex 4 Reg. 14, 2. 16. 23; quare 4 Reg. 15, 1 « anno *vigesimo septimo* Ieroboam regis regnavit Azarias » emendatione indiget.

tat et imminentem castigationem varie illustrat. Atque in prima oratione (cp. 3) beneficium Dei quod electione in populum Dei facta consecuti sunt iis in memoriam revocat; a quo cum turpiter desciverint adeo, ut ipsae gentes in eos ferre debeant sententiam, regni interitum, urbis excidium, necem populi praenuntiat. Altera oratione (cp. 4) eorum mentem iniquitate quasi inveteratam perstringit : ostendit enim, quoties et quam sedulo Deus variis poenis iam inflictis eos ad meliorem frugem reducere studuerit; verum pro eorum contumacia frustra et in vanum omnia cessisse; unde nihil aliud relinqui, nisi ut eiecti e terra deleantur. Hunc populi interitum oratione tertia (cp. 5. 6) *plangit* propheta recolens cum dolore, qua via illud sibi excidium paraverint, quam futurum sit horrendum, atque incusans principes fautores iniquitatis et ruinae auctores.

Tertia parte exponit propheta, quibus visionibus symbolicis Deus ipsi rerum futuram conditionem delineaverit. Et bis quidem propheta sua apud Deum intercessione castigationem iamiam imminentem avertit. Deinde in duabus visionibus cernit Deum curam et protectionem populi ingrati abiicere et iusto iudicio illos excidio tradi; post utramque vero visionem ea inserit, quibus infligendae poenae et necessitas probetur et modus declaretur. Demum ultimo capite toti vaticinio finem imponit egregium, omnia complexus quae de excidio vaticinatus erat; at ea illustrat et laeta spe perfundit proposita *instauratione messianica* plena sanctitate et per orbem diffundenda, ad quam perfectionem attingendam tota veteris legis ratio ordinatur. Quare illa proposita optime defungitur munere prophetico ostendens, ad quam lucem per noctis et castigationis tenebras demum per Dei providentiam sit perveniendum.

Eius dicendi genus *S. Hier.* quidem non magni aestimare videtur; vocat enim prophetam nostrum « imperitum sermone sed non scientia » (prolog. c. 1028). Maiore honore eum afficit *S. Augustinus*, qui ad eloquentiam prophetarum commendandam ex eo honorifica mentione facta exemplum (Am. 6, 1) promit (doctr. christ. 4, 7. *M.* 34, 96; vide infra ad 6, 7). Atque *Lowth* quoque, sane subtilis sermonis iudex, magnis eum effert laudibus; monet, ne quis ita sequatur auctoritatem *S. Hier.*, ut putet vatem eum fuisse plane rudem et indisertum et ab omni ornatu alienum; « id autem longe est secus : evolvat modo scripta eius aequus iudex, de re non de homine quaesiturus; censebit, credo, potius pastorem nostrum μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν προφητῶν, ut sensuum elatione et magnificentia spiritus prope summis parem, ita etiam dictionis splendore et compositionis elegantia vix quoquam inferiorem » (de sacra poesi Hebr. ed. Rosenmüller p. 245). Huic encomio recentiores quoque calcu-

lum adiiciunt; cf. *De Wette-Schrader,* Einl. §. 289; *Bleek-Kamphausen,* Einl. §. 238; *Kaulen,* Einl. p. 348 n. 406; laudant enim sermonis concinnitatem, elegantiam, puritatem atque venustam quandam simplicitatem (cf. *Zschokke,* hist. s. p. 263, *Vigouroux,* Manuel bibl. II p. 630). Uti Osee, ita Amos quoque, prout legentibus compertum est, multa ex Pentateucho sibi nota effert; de qua re vide, quae ad Osee (Proleg. 1 p. 15) dicta sunt; illa invenies ex Amos collecta apud *Reinke* (Beitraege; 8, 159) et *Trochon* (l. c. p. 137).

LIBER AMOS

PRIMA PARS

IUDICII DEI IN HOSTES ET POPULUM ELECTUM ADUMBRATIO CP. 1. 2.

Arg. — Post inscriptionem usitatam (1, 1) sententia iam ex Ioele nota iudicio Dei praeludit generatim (1, 2); dein iudicia Dei fore annuntiat super sex gentes vicinas criminum causis adductis; et quidem tres gentes recenset nullo cognationis vinculo Israelitis coniunctas: Syros, Philisthaeos, Tyrios, quorum scelera et poenam sceleribus a iusto iudice infligendam enumerat (1, 3 - 10). Dein tres in medium profert gentes, quae aliquo sanguinis et propinquitatis vinculo cum Israelitis sociantur: Idumaeos, Ammonitas, Moabitas, quibus pariter et crimina commissa exprobrat et castigationem praedicit (1, 11 - 2, 3). Ita gentibus iuste percussis iudicia Dei in ipsum populum electum iri devolutum docet, quippe qui peccatis se similem gentibus reddiderit; quare et Iudae et Israeli crimina obiicit, poenam declarat et quantopere Israel beneficiis acceptis se ingratum exhibuerit, exemplis allatis ostendit (2, 4 - 16).

Inscriptio 1, 1 « *Verba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue, quae vidit super Israel in diebus Oziae regis Iuda et in diebus Ieroboam filii Ioas regis Israel, ante duos annos terrae motus* »; — cf. Proleg.; *quae vidit* non carnis oculis sed mentis intuitu (*Hier.*); « Deus quippe prophetis una cum revelationibus res manifestas et tantum non praesentes facit, ut videre sibi videantur sermones, antequam fiant, concurrente fortassis eventuum futurorum visu cum his quae Deus dixerit » (*Cyr.* sim. *Rup.*). Ceterum notum est, דברים non solum *verba*, sed *res* dicere; *super Israel* [1], ex parte scil. maiore facit denominationem, cum pleraque ad Israel spectent et Iuda non nisi obiter tangatur. Insuper quae de Iuda

---

1. LXX perperam : ὑπὲρ Ἱερουσαλήμ ; reliqui testes omnes rite legunt *super Israel*.

dicuntur, apte propter Israel introducuntur (cf. 2, 4) et ipsa instaurationis annuntiatio (9, 11), qua tabernaculum David resuscitatum iri dicitur, intime quoque ad Israel pertinet, quia Israelitae, etsi a domo David recesserint, tamen aequo iure promissionum messianicarum sunt participes et in illa instauratione Deus utrumque populum sacra unione coniungere voluit (cf. Mich. 5, 3. Ier. 3, 18. Ez. 37, 19). — Rex theocraticus ex domo David legitima iuremerito nominatur, idque priore loco; nam solus ille pleno iure « sedet in throno regni Iahve super Israel » (cf. 1 Par. 28, 3; 29, 23 - 2 Reg. 7, 26. 1 Par. 17, 22. 24). Cur etiam Ieroboam regis Irael mentio fiat, lege quae ad Os. 1, 1 adnotavi. Tempus accurate determinat *ante duos annos terrae motus*, quamvis nos quando is fuerit nesciamus. Ita vera vaticinia se edidisse *ante eventum* aequalibus in mentem revocat, et multa se praedixisse ostendit longo tempore antequam evenirent. *Terrae motum* autem commemorat, ut *Ps. Ruf.* adnotat, tamquam « indicem venturae calamitatis » praeeuntem; terrae enim concussione Dei maiestas singulari ratione exhibetur; terrae concussione Dei legislatoris dignitas (cf. Ex. 19, 18. Iud. 5, 4. Ps. 67, 8), iudicis terror (cf. Mich. 1, 4. Hab. 3, 8. Ps. 96, 4 etc.) indicatur et cum statim a Ioele vaticinandi initium depromat, haud immerito censebimus, etiam illud Ioelis : « et movebuntur coeli et terra » (3, 16) illi terrae commotioni sacrum quendam horrorem addidisse, quasi figurae ac praeformationi venturae calamitatis et iudicii imminentis praesagio; quare illam et Amos in libro suo recondit et ingens illius periculum et terrorem post plura saecula Zacharias denuo profert tamquam summae calamitatis symbolum (Zach. 14, 5).

Vaticiniorum *summam* statim quasi titulum libri in medium profert (cf. *Cyr.*) : v. 2 « *et dixit : Dominus de Sion rugiet et de Ierusalem dabit vocem suam*; *et luxerunt speciosa pastorum et exsiccatus est vertex Carmeli* ». — Verba haec ex Ioele (3, 16) explicantur; postquam enim Ioel diem Domini et Dei iudicium clare indicavit, Dominum exhibet qui tamquam leo fortis ex sede throni sui contra oppugnatores et hostes insurgit eosque prosternit. Quare verba haec *in contextu* apud Ioelem propriam sedem facilemque habent explanationem, praesertim cum Sionis tamquam sedis throni et regni Dei ibidem saepius iam mentio inciderit (cf. Ioel 2, 32; 3, 1); unde Ioelis oraculum h. l. supponi vel potius ut notum et a Ioele explicatum eodem sensu afferri, omnino suadetur. Et sane iudiciorum Dei annuntiationem et aptissime et valde efficaciter depromit Amos ab oraculo iam noto, ut *desiderantibus diem Domini,* qui oracula edita propter diuturnitatem et moram impletionis spernunt (cf. 5, 18), illa iudicia nihilominus imminere et suo tempore fore complenda ipsis illis verbis indicet. Ita simul nexus qui adsit inter

prophetas et vaticinia bene illustratur et munus propheticum etiam in eo situm esse demonstratur, ut norma Dei iam proposita denuo populo exhibeatur atque pro temporum conditione iterum atque iterum declaretur. — Ait igitur : Dominus qui in Sion, in templo hierosolymitano quasi in throno suo residet, brevi inde rugiet et instar leonis in hostes suos idololatras exsiliet, gravis ultor iniuriae sibi illatae (cf. *Hier. Lap. Tir. Men. Trochon*). Hanc Dei ultionem sentiet tota regio : agri campique et montes, regio meridionalis et septemtrionalis : campi pastorum et Carmeli cacumen. Simul enim cum homine terra affligitur et vastatione plectitur. Carmelus « mons est iuxta Ptolemaidem, quae prius vocabatur Acho ; mari imminens, in quo Elias propheta flexis genibus pluvias impetravit (3 Reg. 18) » (*Hier.*), pascuis, silvis et aquarum scaturiginibus abundans; quare eius *exsiccatio* tremendi iudicii est index ; « hic mons proverbiali specie pro loco sumitur amoenitatis eximiae et cuius vastitate et luctu luctus significatur et vastitas totius provinciae. Ita *Hier.* ad illud Is. 16, 10 « et auferetur laetitia et exsultatio de Carmelo » : idioma est Scripturarum, quod semper Carmelum montem opimum atque nemorosum... fertilitati et abundantiae comparet ac per hoc significet omnem laetitiam ac fertilitatem de uberrimis quondam urbibus auferendam » (*Sanct.*).

Notat *S. Hier.* et post eum plerique : « naturale est, ut omnes artifices suae artis loquantur exemplis et unusquisque in quo studio trivit aetatem, illius similitudinem proferat ; v. g. qui nauta est et gubernator, tristitiam suam comparat tempestati, damnum naufragium vocat... cur haec dicta sunt ? ut scilicet ostendamus etiam Amos prophetam, qui pastor de pastoribus fuit et pastor non in locis cultis et arboribus ac vineis consitis, aut certe inter silvas et prata virentia, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum feritas et interfectio pecorum, artis suae usum esse sermonibus, ut vocem Domini terribilem atque metuendam rugitum leonum ac fremitum nominaret, eversionem israeliticarum urbium pastorum solitudini et ariditati montium comparans ». Verum quomodo valeant ista, ut dependentiam ab Ioel adesse prorsus nullam ostendant, — id quod *Schegg* eruere vult — difficile dixeris.

Sunt, qui *terrae motum* v. 1 eo tempore velint contigisse , quo Ozias munus sacerdotale sibi arrogans a Domino lepra percussus fuit. Id ex Hebraeorum opinione iam refert *S. Hier.* et ex Iosepho (Ant. 9, 11) *Sanct.* aliique (cf. *Lap. Mar. Tir.)* aliis id impugnantibus (cf. *Rib.*) ex rationibus chronologicis ; nam Azaria lepra percusso « Ioathan filius eius gubernabat palatium et iudicabat populum terrae » (4 Reg. 15, 5), qui cum anno secundo Phacee patre mortuo solus regnaret, 25 annorum fuit (l. c. 32) ; inde simul elucet, Oziam lepra non fuisse percussum, dum Ieroboam esset superstes (cf. 4 Reg. 14, 23 ; 15, 1).

a) Iudicii denuntiatio in Syros, Philisthaeos, Tyrios 1, 3-10.

Non sine arte psychologica sacer vates antequam ipsis Israelitis iudicia, minas, reprehensionem peccatorum ingerit, populis extraneis et cognatis, qui sunt in circuitu Israel, punitionem Dei praedicit. Quam si Israelitae iuste iis fieri fatentur et si forte de illorum interitu gaudent, iam ex sua ipsorum de aliis sententia merito ipsi quoque plectuntur; nam se illorum socios esse in peccatis patrandis cum negare non possint, quomodo se immunes fore a castigatione Dei censebunt? Praeterea ex iis iudiciis, quae in hostes exercentur, plane discunt, quantopere ipsi cordi sint Deo et quantam eorum curam gerens iniurias ipsis illatas ulciscatur (cf. *Theod. Theod. M. Lap.*), discunt, Dominum esse Deum omnium, qui omnes suo tempore iusta afflictione puniat, postquam scelera illorum diu ac longanimiter pertulerit (cf. *Ps. Ruf.*), sed simul ex gentium poena sibi magis timeant suamque maiorem fore arguant, si in perversitate permanserint, aliorumque exemplo ac castigatione ad salutarem resipiscentiam se ipsos exstimulent (*Alb. Rib. Lap.*). Hisce igitur de causis magno quodam artificio Amos oracula sua ab extraneorum punitione exorditur. Et primum septemtrionem versus minas intentat: v. 3 « *Haec dicit Dominus : super tribus sceleribus Damasci et super quattuor non convertam eum, eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad* » ; — i. e. propter multa Syrorum scelera, quibus saepenumero ac diu peccarant, Deus iam non interitum avertet, verum urbem populumque quasi ruentem in praecipitium non *convertet,* non retinebit, non a via proclivi avertet ac reducet. In modo illo loquendi *super tribus sceleribus et quattuor* plerique aliquam multitudinem (uti alias in numero septenario) exprimi censent (cf. *Ephr. Ps. Ruf. Cyr. Theod.*), idque iure, quia eadem locutio saepius occurrit, quare de certo ac definito numero peccatorum fieri mentionem omnino improbabile est, nisi gratuito dixeris, omnes hostes eundem praecise numerum commisisse, vel tria [1] tibi finxeris ad libitum, quibus omnes fuerint impliciti. — Crimen illud *quod trituraverint* commissum est sub Hazael 4 Reg. 10, 32. 33 cf. 13, 7; 8, 12; i. e. captivi ex Galaad plaustris ferreis sunt crudelem in modum discissi atque dissecti, quod erat atrox mortis genus (cf. 2 Reg. 12, 31). Plaustra ita describit *S. Hier.*: « est autem genus plaustri, quod ro-

1. *Alb.* censet *tria* illa esse : rapinam, mulctam, gladium. Alii : idolorum cultum, incesta connubia, effusionem sanguinis; alii alia cf. *Sanct. Lap. Tir.* Aliis placet hebr. vertere : *super quartum*, idque illud ipsum censere, quod statim subditur. —

Hebr. לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ plerique vertunt : *non avertam id*: scil. quod in subsequentibus minatur vel : minas semel datas non retractabo; sed lat. *eum* ea qua dixi ratione debet concipi, neque obstat hebr. (cf. *Schegg*).

tis subter ferreis atque dentatis volvitur, ut excussis frumentis stipulam in areis conterat et in cibos iumentorum propter foeni sterilitatem paleas comminuat ».

Quare crudelitatem Deus puniet : v 4 « *et mittam ignem in domum Azael et devorabit domos Benadad* v. 5 *et conteram vectem Damasci et disperdam habitatorem de campo idoli et tenentem sceptrum de domo voluptatis et transferetur populus Syriae Cyrenen, dicit Dominus* » ; — i. e. palatia regia, ad quae magnifice exstruenda plures reges operam insumpserant, igne destruentur, arx vel acropolis Damasci urbis principalis confracta hostium cedet potestati ; homines et plebeii et primates ex tota regione (sive in campis et vallibus habitent sive in palatiis voluptatum ac deliciarum plenis) misere vel interibunt vel in regionem Kir (hebr.) captivi et exsules abducentur. Notat *Calm.* : « esse non potest Kir Cyrenaica vel provincia Cyrenes Aegypto vicina... sermo est de regione Kir in Albania ad Cyrum amnem, qui in Caspium mare devolvitur » (cf. *Schegg*). Sed iuremerito dubitari potest, num Assyrii eo tempore usque in regiones caucasias imperio valuerint, quare alii regionem Mediae australis quam Κουρήνην Ptolemaeus vocat, intelligunt [1] (cf. *Winer,* s. v. Kir ; *Ges.*). Ea facta esse legimus 4 Reg. 16, 9 : « ascendit rex Assyriorum in Damascum et vastavit eam et transtulit habitatores eius Cyrenen » (Kir). *Benadad* nomen est complurium regum Damasci cf. 3 Reg. 15, 18. 20 ; 20, 1 et seq. 4 Reg. 6, 24 ; 8, 7 ; 13, 3.

Benadad II occisus est ab Hazael et post Hazael regnavit Benadad III filius eius in Syria ; uterque feliciter pugnavit contra Israel (4 Reg. 6, 24 ; 13, 3). Utrum propheta intellexerit, forte frustra quaeritur ; cum enim *domos,* palatia, aedificia magnifica dicat, probabile est, eum loqui de omnibus regibus Benadad simul, qui urbem regiam exornaverint palatiis.

S. Hier. ex nominum significatione vertit *campum idoli, domum voluptatis*. Recentiores plerique [2] nomina propria agnosci volunt : *vallis Aven* et *Beth-Eden*. Nomina propria iam viderunt LXX ἐκ πεδίου Ὤν, Χαῤῥὰν (cf. *S. Hier.*). Verum ubi sit *Aven*, vel, ut alii malunt *Bikath-Aven*, et *Beth-Eden*, plane adhuc ignoratur. Illud esse Heliopolin i. e. Baalbek (cf. *Calm. Hitz.*), inanis est coniectura (cf. *Schegg*). *Ephr.* prius ut nomen proprium agnoscere videtur, quod sit *celebre idolis* ; at expresse ait de altero,

1. Alii eam regionem sitam esse volunt inter montem Amanum et fluvium Tigridem, ubi vicum ruinis obsitum inveniri aiunt, cui nomen sit Kuris, Kyrros, Kyros (cf. *Schenkel,* Bibellexicon III, 534) ; sed quam parum eiusmodi indiciis nominum fidi possit, nemo non videt. — *Barh.* ad Am. 9, 7 adnotat : Kurus i. e. Charan ; et sim. *S. Ephr.* Alii inferunt Kurdistan ; *Smith* (Dictionary of the Bible) coniectat, Kir esse eandem vocem cum Kisch vel Kusch et cerni in Κισσίᾳ apud Herodotum.

2. Varias multorum sententias refert *Trochon.*

urbem et regionem *Eden* vocari (i. e. voluptatem) ob amoenitatem et delicias. Recentiores Eden quaerunt vel in hodierno vico Ehden prope Libanon, itinere diei unius distante a Baalbek (Heliopoli in Coelesyria), vel in hodierno vico Beit el Dschanne (Beit Jenn) (domus paradisi) in angusto saltu orientalis partis montis Hermon non ita procul a Damasco, vel in Παραδείσῳ, cuius meminit Ptolemaeus (V, 15, 20), non longe a Ribleh, ubi ruinae exstant hodie viculi Gusieh el Kadimeh (Jusieh); cf. *Smith*, Dictionary of the Bible; *R. Riess*, Bibl. Geogr.; *Schenkel*, Bibellex. I p. 423. Poterit *sceptrum* intelligi insigne dignitatis et officii vel urbis praefecti vel iudicis. — Ceterum notum est regionem damascenam amoenitate longe praestare eamque esse celebratissimam.

Dein meridiem versus regna Philisthaeorum interitui iri devotum vaticinatur v. 6 « *haec dicit Dominus: super tribus sceleribus Gazae et super quattuor non convertam eum, eo quod transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumaea* »; — eiusdem criminis accusat ac Ioel 3, 3 (*Cyr.*). Captivitas *perfecta* vel *completa* i. e. ut nullus remanserit captivorum, qui non sit traditus [1] Idumaeis (*Hier.*), hostibus scil. acerrimis Israelitarum. Ad multa et varia crimina tamquam culmen accessit iniuria in Dei populum, cum captivos traderent acerbissimis eorum inimicis divexandos (*Sanct.*). Qua occasione id factum sit, accurate definiri nequit; aliqui remittunt ad 2 Par. 21, 16. 17 (cf. *Keil, Trochon*). Sed iniuriam *Israelitis* illatam hoc loco potius exspectaveris, uti v. 3.

Declarat poenam v. 7 « *et mittam ignem in murum Gazae et devorabit aedes eius*; v. 8 *et disperdam habitatorem de Azoto et tenentem sceptrum de Ascalone et convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus* »; — excepto Gath omnes urbes principales Philisthinorum enumerantur (cf. Ios. 13, 3); urbium excidium, regum et incolarum interitum hac enumeratione ita declarat, ut suam cuique urbi poenam propriam denuntiet et addat: si qui hanc effugerint, illos *reliquos* alia clade iri peremptum. Excidium scil. maximum minatur. Deus qui manu extenta reliquas urbes percutit, manum percutientem etiam super Accaron adducet. — Minae similes in eos proferuntur ab aliis cf. Is. 14, 28. Ier. 25, 20; 47, 2-7. Soph. 2, 4. 5, varieque bello vexati sunt Philisthini (2 Par. 26, 6. 4 Reg. 18, 6).

Deinde potestati illi minatur, quae in mari occidentali dominatur v. 9 « *haec dicit Dominus: super tribus sceleribus Tyri et super quattuor non convertam eum, eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumaea et non sint recordati foederis fratrum* »; — i. e. captivos ex po-

1. Et quidem, uti *Movers* (Phoen. II, 3. p. 73) censet, vi pacti ante expeditionem bellicam initi, quo Philisthiim se obligaverint captivos ad unum omnes nemini vendere vel tradere nisi solis Edomitis.

pulo Dei omnes, quotquot in eorum manus inciderunt, inimicis eorum acerrimis, Edomitis, tradiderunt (cf. Ioel 3, 3). Ita animum hostilem in Dei populum gesserunt, obliti foederis et amicitiae vinculi, [1] quo olim sub Davide et Salomone cum illis erant coniuncti (cf. 2 Reg. 5, 11. 3 Reg. 5, 12; 9, 11. *Hier. Theod. Theod. M. Alb.*). Quare v. 10 « *et mittam ignem in murum Tyri et devorabit aedes eius* » ; — cf. Is. 23, 1-15. Ier. 47, 4. Ez. 26, 2-28, 26. Assyriorum exercitum *ignem* intelligit *Theod.*

b) **Iudicii denuntiatio in Edomitas, Ammonitas, Moabitas 1, 11-2, 3.**

Ex tribubus cognatis primum Edomitas percellit vates perpetuis inimicitiis atque odiis in populum Dei flagrantes v. 11 « *Haec dicit Dominus : super tribus sceleribus Edom et super quattuor non convertam eum, eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum et violaverit misericordiam eius et tenuerit ultra furorem suum et indignationem suam servaverit usque in finem* » ; — infensos Edomitarum animos ita describit vates, ut haud obscure alludat ad persecutionem Iacobo ab Esau intentam et odium illud et dissidium fraternum (Gen. 27, 41 — cf. *Hier. Cyr. Theod. Theod. M. Rup. Alb. Sanct. Lap. Calm.*) ; multa sunt odii documenta, quae Edomitae ediderunt cf. Num. 20, 15 ; 21, 4. Iud. 11, 17. 3 Reg. 11, 14. 4 Reg. 8, 20. Ioel 3, 19 ; *violavit misericordiam* ei scil. debitam (*Men. Sa, Tir.*) utpote tribui cognatae — vel « sic universos germanitatis naturales occlusos tenuit affectus, ut crudelior contra illum nulla esset ex cunctis gentibus et ceterarum gentium roboraret manus, persecutionis et odii primus auctor et praevius » (*Rup.*) — violavit misericordiam, qua naturali vinculo ei adstrictus fuerat (*Alb.*) vel, ut alii hebr. explicant : corrupit, suppressit viscera miserationis suae, omnem quasi affectum humanum abiecit et exuit [2] (cf. apud *Lap. Hitz. Keil*), neque unquam ab innato illo odio cessarunt Edomitae ; hebr. *et diripit (dilacerat) semper furor eius ;* i. e. « odium monstrat antiquum, quod nunquam sibi pace iuncti sunt. Unde poenam pro sceleribus comminatur » (*Hier.*) v. 12 « *mittam ignem in Theman et devorabit aedes Bosrae* » ; — Theman

1. Aliqui id ad Edomitas referri volunt (cf. *Cyr.*). At Tyrios non recordari, Edomitas foedere quodam et sanguine fraterno cum Israelitis iungi et ideo Edomitis non esse occasionem concedendam vexandi Israelitas, certe non est ea accusatio, qua h. l. Tyrii onerantur.

2. Angustius, ut videtur, *Schegg* explicat : miserationem olim ab Israelitis praestitam (Num. 20, 14-22) violarunt, iniuriis rependerunt. — LXX ἐλυμήνατο μήτραν· in commentariis *S. Hier.* ita utramque expositionem coniungit : « ut oblivisceretur germanitatis et obduraret viscera misericordiae fratremque se esse nesciret et contemneret vulvam Rebeccae, quae uno partu geminos edidisset infantes » ; ultimum efferunt graeci interpretes.

« Idumaeorum regio est et vergit ad australem plagam » (*S. Hier.*); eiusdem nominis urbem exstitisse testis est idem *S. Hier.* : « sed et usque hodie est villa nomine Theman, distans ab urbe Petra quinque millibus » (Onomast. — idem *Eusebius* Onom. s. v. Θαιμάν). Verum recentiorum plerique *regionem* Idumaeae, nullibi urbem in libris sacris designari censent (cf. *Winer* s. v. *Hitz. Keil*). Sed certe urbs est atque una ex principalioribus Idumaeae *Bosra*, quae urbs tamen non cum multis in Auranitide, in *Bostra Arabiae* Romanorum quaeri debet (cf. *Ges.* Thes. s. v.), sed in parte meridionali a mari mortuo, ubi hodiedum viculus est *el Buseireh* ruinis antiquae magnitudinis insignis (cf. *Winer* s. v. *Keil, Schegg, Trochon, Schenkel,* Bibellexicon s. v.). De poena cf. Ier. 49, 17. Ez. 25, 12 - 14 et Abdiae vaticinium.

Post populum ex Esau posteris oriundum sacer vates se convertit ad tribus et gentes ex Loth cum Abraham cognatione Israelitis propinquas : Ammon et Moab. Incipit a parte septemtrionali v. 13 « *haec dicit Dominus : super tribus sceleribus filiorum Ammon et super quattuor non convertam eum, eo quod dissecuerit praegnantes Galaad ad dilatandum terminum suum* » ; — erat Galaad regio fertilis et praeclara, pascuis abundans (cf. Cant. 4, 1 ; 6, 4. Ier. 50, 19 ; 8, 22 ; 46, 11. Num. 32, 1) ; quare non mirum est Ammonitas bello cum omni ferocitatis et crudelitatis genere gesto campos illos usurpare voluisse et praeter alios ipsos etiam infantes nondum natos trucidasse, quo magis incolas Israelitas interimerent et perderent et futuros iniuriae ultores in ipso vitae limine exstirparent. Quando id crimen commiserint, incertum est ; forte terram occupare tentarunt eo tempore, quo Hazael Syrus Israelitis bellum inferebat, uti simile quid iam conati erant tempore Iephte (Iud. 11, 12 seq.) et postmodum iterato (cf. Ier. 49, 1. Soph. 2, 8). De crudelitate in praegnantes cf. 4 Reg. 8, 12.

Poenam annuntiat bellico tumultu ac terrore futuram ; v. 14 « *et succendam ignem in muro Rabba, et devorabit aedes eius in ululatu in die belli et in turbine in die commotionis* ; v. 15 *et ibit Melchom in captivitatem, ipse et principes eius simul, dicit Dominus* » ; — *Rabba* i. e. magna scil. urbs, generatim *Rabbath filiorum Ammon* urbs erat principalis Ammonitarum (cf. Deut. 3, 11. Ios. 13, 25. 2 Reg. 11, 1 ; 12, 26. 1 Par. 20, 1) ; minae augentur horrore et clamore bellico ; vastatio imagine turbinis, tempestatis vehementissimae, qua omnia concutiuntur et subvertuntur, non sine emphasi effertur ; urbe destructa numen et principes in captivitatem abductum iri, Ammonitas proinde et cultu proprio et regimine privatum et tamquam populum destructum iri clare vaticinatur (cf. Ier. 25, 21 ; 49, 1-6. Ez. 21, 28-32 ; 25, 2-7. Soph. 2, 8. 9). *Melchom* vel Milcom, Malcom numen est praecipuum Ammonitarum

(cf. 3 Reg. 11, 5. 33; 4 Reg. 23, 13. Ier. 49, 1. 3) probabiliter idem ac Moloch [1]. Rite h. l. cum *vulg.* legi *Melchom* neque textum mas. *rex eorum* cum LXX et *Chald.* esse sequendum, testis antiquissimus est ipse *Ieremias* 49, 3, qui vaticinia prisca more suo repetens et innovans scribit: « quoniam Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes eius et principes eius simul »; item *Malchom* h. l. exprimunt *Aq. Sym. Syrus* et ex graecis *Theod. Theod. M.* Atque apte quidem numinis mentio infertur [2]. Gentes enim sua facinora diis attribuebant, quare si populus victor exstitit, numen vicisse dicebatur, si victus, ipsum numen esse victum, ab altiore superatum et in captivitatem abductum (cf. Iud. 11, 24. Is. 46, 1. 2. Ier. 48, 7. 13). Neque obstat, quod *principes eius* et non *sacerdotes eius* nominentur (— utrumque nomen et LXX h. l. *Syrusque* habent et Ier. 49, 3 —); nam cum numen tamquam parens et dominus totius gentis consideretur et institutionibus omnibus et civilibus et religiosis praesideat, iure *principes* et magistratus principes numinis dicuntur, quippe qui numinis nomine, auctoritate res et causam numinis ipsi quoque administrent. Ita *Dominus* loquitur de populo *suo*, de sanctificatis *suis*, de principibus *sanctis* etc. (cf. Is. 13, 3; 43, 28) et solium regis Iuda vocatur solium Domini (1 Par. 29, 23. 28, 4. 5).

Demum Moabitae percelluntur 2, 1 « *haec dicit Dominus: super tribus sceleribus Moab et super quattuor non convertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumaeae usque ad cinerem* »; — sepulcri profanatio reprehenditur, qua ad ultionem capiendam ipsis ossibus concrematione et destructione opprobrium intulerint (cf. 4 Reg. 23, 16. Ier. 8, 1. 2). De hoc autem Moabitarum facinore nihil notum est. Verum tale fuisse debet, quod licet in regem Idumaeae exercitum sit, tamen in opprobrium Israelitarum et contemptum redundaret. Nam in omnibus istis reprehensionibus crimen in Israelitas profertur, quare interpretes plerique [3] id etiam hoc loco fieri concludunt. Ita iam v. g. *S. Cyr.*: « quid igitur scelus hoc? odium et inhumanitas et indomita feritas contra eos qui sunt

---

1. Uti *vulg.* saepius hebr. מַלְכָּם, מִלְכֹּם reddit. Alii distinguunt (cf. *Movers*, Phoen. I p. 324); alii negant ullam inter Moloch et Melchom distinctionem (cf. *Winer* s. v. Milcom; *Schenkel*, Bibellexicon s. v. Moloch).

2. Quare *Trochon* immerito censet esse recedendum a *vulg.* cum *Keil* aliisque.

3. Aliter rem et nexum concipit *Ps. Ruf.*; vult enim eo, quod Deus Idumaei quoque regis causam ageret, et Iudaeorum arrogantiam, qui solos se ad Dominum pertinere crederent, esse compressam et gentibus vel spei solatium vel intelligentiae lumen esse obiectum, ut sentirent se sub una creatoris sui providentia et gubernatione consistere, qui videlicet non solas Iudaeorum sed etiam aliarum gentium iniurias ultum iret; sim. *Alb. Lap. Tir.* — Alii ad aliud factum alludi censent cf. *Estius, Calm.* Hebr. *combussit in calcem*; cf. שִׂיד Deut. 27, 2. 4 *calce levigabis eos*.

ex Israel; combusta enim esse memorati regis ossa non ob aliud quispiam affirmarit, quam ob Israelitas tantum. Notam historiam paucis narrabo . . . — rem summatim refert ex 4 Reg. 3, 7 seq. —. Irati igitur Moabitae Israelitis, a quibus olim victi essent, Edom rege ipsis opem ferente, quoniam laedere iam mortuos nequibant, alia ratione peccarunt in reliquias, igne eas absumentes et neque ossibus parcentes atque ita Israelitis funditus a se deletis etiam ipsorum aliquando socium adiecerunt ». Ad idem factum ab Hebraeis id referri tradit *S. Hier.* : « tradunt Hebraei, ossa regis Idumaeae iam sepulti, qui cum Ioram rege Israel et Iosaphat rege Iuda ascenderat adversum Moab, in ultionem doloris a Moabitis postea convulsa atque succensa », et id plerique sequuntur (cf. *Sa, Rib. Sanct. Lap. Men. Keil, Trochon*).

Consueto modo poena declaratur v. 2 « *et mittam ignem in Moab et devorabit aedes Carioth et morietur in sonitu Moab, in clangore tubae ;* v. 3 *et disperdam iudicem de medio eius et omnes principes eius interficiam cum eo, dicit Dominus* » ; — *Carioth* [1] una est ex praecipuis urbibus Moabitidis (cf. Ier. 48, 24. 41), cuius ruinas in viculo *Kereyat* agnoscunt (cf. *Keil*). Moab tumultu bellico interibit (cf. Is. 15, 1 et seq. Ier. 48. Ez. 25, 8). *Iudex* dignitatis nomen est pro duce, summo principe cf. 1, 5 *tenens sceptrum*. Hebr. *et morietur Moab in tumultu, in clamore, in voce tubae* [2].

c) Iudicii denuntiatio in Iuda et Israel 2, 4-16.

« Ecce et in isto nulla est distinctio gentilis et Iudaei. Sermo divinus, iudex aequus, nulli personae parcit . . . nec in poena disiungit, quos culpa coniunxit » (*Rup.*) ; « meminit vero tribus Iudae, quam praecipue poena dignam censet, propterea quod circa Dei templum habitans nihilo tamen minus irreligiosa erat » (*Theod. M.* sim. *Alb.*) ; v. 4 « *Haec dicit Dominus : super tribus sceleribus Iuda et super quattuor non convertam eum, eo quod abiecerit legem Domini et mandata eius non custodierit ; deceperunt enim eos idola sua, post quae abierant patres eorum ;* v. 5 *et mittam ignem in Iuda et devorabit aedes Ierusalem* » ; — hebr. *eo quod aversati sunt legem Domini . . . et seduxerunt eos mendacia eorum* i. e. idola, quae cum non exsistant ab hominibus finguntur, ex quibus

1. « Quod nomen est civitatis, licet Septuaginta *urbium eius* interpretati sint » *Hier.*

2. Unum membrum deest in *vulg.*, at non deest in commentariis *S. Hier.* qui scribit : « periturum in sonitu et in ululatu vincentis exercitus, quorum hebraico alterum dicitur *saon* (שאון), alterum *therua* (תרועה) ; et in clangore tubae sive buccinae, hoc enim *sophar* (שופר) significat ».

vane et falso auxilium sibi promittunt cultores, quae igitur in exsistentia, potentia nihil sunt nisi *mendacia* et cultorum animos innumeris deceptionibus implicant; simili ratione dii vocantur *nihil*, *vanitates*, *abominationes, stercorei* etc. Crimen capitale Iudaeorum est aversari *legem* tanta maiestatis promulgatione datam et multiplicem illam institutionem religiosam ac civilem non observare, qua in officio contineri debuerunt, ne ad gentium mores diffluerent; apostasiae vero culmen est idololatria, fatali usu in Iuda inveteratum [1]. Quare violati foederis poenas dabunt congruas: regnum Iuda dissipabitur, regni ac theocratiae sedes igne delebitur. Haec destructio externa interioris est indicium, sequela, poena. Instaurationem futuram, quae iam ex 2 Reg. 7, 14 etc. exspectanda est, infra indicat propheta 9, 11.

Ultimo demum loco post tot iudiciorum ac tonitruum praeambula, quae in omni regione circa regnum israeliticum fiunt, super ipsum hoc regnum reprehensio prophetica devolvitur; devolvitur autem ultimo loco, quo post talem praeparationem magis percellantur, quo aliorum sceleribus praemissis Israelis scelus et supplicium a Deo decretum magis amplificetur (*Sanct.*), et quia vates in sceleribus Israel exagitandis diutius immorari vult (*Alb. Mar.*). Ita sibi viam parat ad proprium rei tractandae argumentum. Unde merito *S. Hier.* advertit: « idcirco ponit novissimum Israel, quoniam prope omnia quae sequuntur, ad ipsum scripta praediximus, ut sub uno textu sermo propheticus libri ordinem contineret »; v. 6 « *haec dicit Dominus: super tribus sceleribus Israel et super quattuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento iustum et pauperem pro calceamentis* »; — iudices accusat denegatae ac violatae iustitiae ex turpi lucro et mercede; « iustum nunc non dicit hominem virtute ornatum, sed illum cui in litium controversia ius aequum reddendum erat » (*Theod. M.*), « qui iuste atque legitime de honore aut bonorum possessione certat, cui iura favent et aequitas, sed iudicum adversatur improbitas et largitionibus corrupta fides; dicitur *vendi iustum*, cum tamen iudicia pretio vendantur, quia per metonymiam possessor pro re possessa ponitur » (*Sanct.*); similiter pro vilissima re, veluti pro binis calceis meliorem pauperis causam opprimunt, produnt, pessum dant (*Sanct. Rib. Sa, Mar. Men. Calm.*); perinde uti Deus de pseudoprophetis conqueritur: « violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis » Ez. 13, 19.

In hebr. *propter binos calceos*; quare alia explicatio est amplectenda: propter rem levissimam pauper debitor creditori tamquam servus adiudicatur (cf.

1. Cf. Am. 5, 26. Ez. 20, 6. 3 Reg. 11, 4-8; 15, 12. 13; 4 Reg. 11, 18. 2 Par. 15, 8; 21, 11; 23, 17; 25, 14.

Lev. 25, 39. 4 Reg. 4, 1) vel in ius vocatur et creditoris arbitrio traditur. Consentiunt LXX ἕνεκεν ὑποδημάτων· « istud facere soliti sunt propter quaesticulum levissimum, qui ipsis accipientibus ad comparanda calceamenta tantum prodesse queat » (*Cyr.*). — Similiter aliqui prius quoque membrum exponunt : hominem iustum et probum vendunt i. e. iudices talem propter minimam pecuniae summam, cui solvendae impar sit, creditori tamquam servum adiudicant (cf. *Hitz.*). At prior expositio de corrupta iudicum fide omnino est retinenda.

Ad foedam iustitiae violationem alia quoque scelera oppressionis et impurae libidinis accedunt : v. 7 « *qui conterunt super pulverem terrae capita pauperum et viam humilium declinant. Et filius ac pater eius ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum* » ; — i. e. pauperes plane abiiciunt et opprimunt ; non solum iudices, verum quicumque possunt, pauperes quasi pedibus conculcant, capita eorum terrae allidunt i. e. summe eos vexant et affligunt [1] et eos in praecipitium agunt, viam quam ingrediuntur subvertentes et in avia ac devia inclinantes [2].

Foedum praeterea crimen incestus reprehenditur, quo omni pudore abiecto pater et filius eadem pellice vel meretrice uterentur (LXX πρὸς τὴν αὐτὴν παιδίσκην), qua turpitudine leges illas Lev. 18, 7. 20, 11 promulgatas impudenter violabant et crimen illud adeo in Ruben reprehensum (Gen. 35, 22 ; 49, 4) committebant (cf. *Hier. Cyr. Ps. Ruf. Rup.*).

Tali vero spurcitia id effecerunt, ut « vicini alienigenae haec audientes contra universorum Deum linguam efferrent, vel quod eiusmodi praeciperet vel quod talia committentem populum toleraret » (*Theod.*). Hanc nominis Dei apud exteros infamiam ac blasphemiam nexu quodam individuo crimini illi sociari vates innuit dicens *ut violarent*, simulque indicat, eos satis sibi conscios fuisse et esse, tali vitae turpitudine Dominum apud vicinas gentes in contemptum vocari, quasi non melius suis providisset neque melioribus eos doctrinis instituisset. Nulla est enim ratio illud *ut violarent* ad merum eventum vel ἔκβασιν revocandi ; e contra plane naturae hominum insitum est, ut peccantes sibi aliqua saltem ratione

---

1. Ita certe etiam textus hebr. intelligi debet cum *Houbig.* ; est scil. שאפים derivandum a שוף, interiecta litera א, id quod in participio haud inusitatum esse noscitur. Ita veteres omnes hebr. intellexerunt cf. LXX τὰ πατοῦντα ; *Syrus* : « tundentes miseros » sim. *Chald.* — Quod recentioribus placet : qui anhelant ad pulverem super capita pauperum (cf. iam apud *Sanct. Lap.*), dictio est plane coacta, sive explicaveris : videre volunt capita pauperum pulvere ob luctum ac tristitiam conspersa, sive : ita avari sunt, ut pauperibus ipsum pulverem capitibus in signum luctus inspersum invideant (? *Hitz. Trochon*).

2. Alii *viam declinare* de via iuris, de iuris perversione explicant (cf. *Ps. Ruf. Sanct.*), alii de pauperum seductione et coactione, qua in varia vitia, furta, periuria prae paupertate et miseria protrudantur (cf. *Alb. Rib.*), alii de contemptu, quo pauperum consuetudinem declinant (cf. *Hier. Cyr.*).

conscii sint, se simul Deo suaeque religioni ac fidei apud alios opprobrium creare [1]; quare vere id etiam velle dici possunt, praesertim ad accusationis vim et criminis enormitatem augendam.

Accedunt alia v. 8 « *et super vestimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui* »; — i. e. vestimentis, quae pignoris loco pauperibus eripuerant, tamquam stragulis utuntur, dum ad altaria in Dan et Bethel epulis sacrificialibus accumbunt; vestimenta a pauperibus pignoris loco accepta per noctem retinere lege prohibitum erat Ex. 22, 25. Deut. 24, 12; iis vero uti tamquam rebus propriis iniustum est (cf. *Sanct.*); at oppressores illi et usurarii ad ipsas epulas sacrificiales illa adhibere non verebantur. Easdem epulas *vino damnatorum* i. e. vino quod pecuniis ac mulctis iniuste oppressorum comparaverant, foedare non dubitabant, atque adeo iustitiae violatae sensum exuerant, ut talia facerent impudenter *in domo Dei sui* i. e. in sanctuario Dan et Bethel erecto, ubi Dominum sub vitulorum symbolo colebant (cf. 3 Reg. 12, 28. 29). Ita de cultu *Dei* haec dici, etiam LXX suadent ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ αὐτῶν et commendatur, quia si *coram Deo* talia fiant, reprehensio augetur; sed quid refert, si *coram idolis* eiusmodi convivia celebrant (cf. *Schegg*)? Plerique tamen idola h. l. intelligunt. Quod si cui placet, sensus inde colligi potest non spernendus: vel tam nihili aestimant idola, ut rapinis et iniustitiis ea colant; vel ad cetera crimina idololatriam adiungunt.

« Tenet consuetudinem suam, ut ad exasperandum ingratorum facinus beneficia praemissa commemoret » (*Ps. Ruf.*); « per ingratitudinem exaggerat peccatum decem tribuum, primo ostendens beneficia praestita quattuor, duo corporalia et duo spiritualia, secundo ingratitudinem » (*Alb.*); unde v. 9 « *ego autem exterminavi Amorrhaeum a facie eorum, cuius altitudo cedrorum altitudo eius et fortis ipse quasi quercus*; *et contrivi fructum eius desuper et radices eius subter* »; — tribum nominat ex canaaniticis robustissimam, quae in orientali Iordanis regione habitans duce Moyse est devicta campis eius tribubus Gad et Ruben et dimidiae tribui Manasse attributis [2]; describit robur eorum usus exaggeratione illa, quam exploratores fere ad terrorem incutiendum adhibuerant (Num. 13, 33 — cf. Ps. 36, 35). Eo magis in iis prosternendis divina virtus eluxit, quare victoriae de eorum regibus Sehon et Og

1. Quare non omne tulit punctum *Rib.* adnotans: « mos est Scripturae ita loqui, ut non consideret, quid cogitaverit qui fecit id quod narratur, aut quo animo fuerit, sed id quod factum ipsum indicat et prae se fert i. e. quod ex facto ipso aut ex eius eventu vulgariter homines solent colligere et iudicare »; vide quae adnotavi ad Is. 6, 10.

2. Cf. Num. 21, 13; 32, 19. 33. Deut. 3, 8; 4, 47; 31, 4. Ios. 2, 10.

reportatae semper habebantur in praecipui beneficii loco [1]; illos stirpitus esse evulsos ait; « quoniam de arbore locutus est, persistit accommodate in metaphora et damnum eius usque ad radicem pertinuisse dicit et ita quoque fructum sublatum » (*Cyr.*); *fructum* et *radicem* vel arboris truncum *contrivit* i. e. omnes, filios et parentes, usque ad internecionem delevit (cf. metaphoram apud Ez. 17, 9. Os. 9, 16. Iob 18, 16). Soli Amorrhaei commemorantur, « quia fortissimus erat Amorrhaeus,... et ideo saepe cum sermo esset de Chananaeorum terra, quam septem nationes occuparant, unus tamen nominatur Amorrhaeus Gen. 15, 16 » (*Sanct.* — cf. Ios. 10, 5; 24, 18. 3 Reg. 21, 26).

Beneficia etiam priora atque maiora commemorat, eos alloquendo non sine affectu; « quidni? cum eis etiam priscis temporibus beneficia contulissem » (*Ps. Ruf.*); v. 10 « *ego sum qui ascendere vos feci de terra Aegypti et duxi vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhaei* »; — eius beneficii memoriam etiam Moyses iterato populo inculcat Deut. 8, 2; 9, 1 - 6; 29, 2 - 8. — « Nec tamen praesentis vitae contulisse tantum instrumenta contentus, reddidi vos per spiritualia quoque ornamenta conspicuos» (*Ps. Ruf.*) v. 11 « *et suscitavi de filiis vestris in prophetas et de iuvenibus vestris nazaraeos; numquid non ita est, filii Israel? dicit Dominus* »; — i. e. non solum terram eis concessit, verum ut continuo in observatione mandatorum Dei continerentur, tales eis providit viros, qui a Deo missi et edocti viam legis eos docerent, et qui vitae suae exemplo et sanctitate eos de praesentis auxilii Dei potentia et de legis observandae officio admonerent, brevi, qui doctrina et exemplo, verbis et factis eos de divinis erudirent. Exstitisse scil. seriem prophetarum non interruptam a Moyse et deinceps, certum est [2].

Nazaraei votis atque observationibus ultra communia sese Deo eiusque servitio consecrabant; quod tales viros Deus inter eos excitabat, argumento erat, Deum benevolentia et gratia sua illis praesto adesse (cf. Num. 6), et sanctioris vitae exemplum iis proponere et hac ipsa paucorum electione et consecratione universum populum tamquam Dei hereditatem agnosci. Bene advertunt *Rib. Lap.*, nazaraeos fuisse quasi *religiosos* veteris legis, votis Deo consecratos et a rerum mundanarum commercio magis separatos. Et tales ex populi numero eligi a Deo et ad sanctiorem vitam vocari, inter maxima beneficia populo praestita Deus numerat et inter documenta divini favoris clarissima, quae ultro ab omnibus agnosci debeant; subiungit enim *numquid non ita est?*

1. Cf. Num. 21, 24. 34. Deut. 3, 11. Ps. 134, 11.
2. Cf. Eccli. 46, 1 de Iosue; Iud. 6, 8-10. 1 Reg. 2, 27; 9, 9. 3 Reg. 11, 29; 13, 1; 16, 7; 17 et seq. 22, 8. 2 Par. 11, 2; 12, 15; 16, 7; 19, 2; 20, 34 etc. Ier. 7, 25; 11, 7.

Verum ingrati illi neque sanctioris vitae exempla videre neque divinae legis adhortationem audire volebant; odio insano utrumque impedire et exstinguere tentarunt; v. 12 « *et propinabitis nazaraeis vinum et prophetis mandabitis dicentes : ne prophetetis* »! — i. e. ex hebr. *propinabatis* [1], *mandabatis* de eo, quod facere consueverant; aegre enim ferentes Dei cultum a nazaraeis exhibitum illos ab hac consecratione recedere coegerunt; « vos quidem in gratiam meam constanter iniurii fuistis, dum et homines vitae puriori deditos, participare vinum coegistis nec non reliqua omnia a quibus secundum propositum suum abstinere volebant; denique etiam prophetas, quominus opere suo fungerentur, prohibuistis « (*Theod. M.*). « Nazaraeis namque habentibus super se continentiae votum vinum propinare et voti reos facere, satis pro argumento est nullum velle habere sanctum, et prophetis mandare ut non prophetarent, hoc nimirum erat non solum loqui, sed etiam agere contra Spiritum Sanctum, qui loquebatur per os prophetarum » (*Rup.*). Multiplicem igitur Dei gratiam repudiabant.

At quia *coeleste* beneficium spreverunt, etiam *terrestre* amittent (*Ps. Ruf.*). Unde v. 13 « *ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum foeno* »; — « sumit propheta, utpote rusticus et armentarius ex rure reque pastoritia similitudinem » (*Sanct.* sim. *Rib. Men.*); Deo scil. oneri sunt ac fastidio; « primo enim quando boni erant, gestavit eos Dominus in sinu suo, sicut nutrix infantem; postea autem cum mali erant, cum labore portavit eos, sicut plaustrum onustum » (*Alb.*), vel, ut *S. Hier.* comparationem declarat: « sicut plaustrum stipulae vel foeni onere praegravatum stridore et sonitu longe exululat, sic ego peccata vestra ultra non sustinens et quasi stipulam tradens incendio, clamabo et dicam : *peribit fuga..* ». Significat ergo Deus se quasi onere intolerabili gravari [2] et gemere et conqueri de pondere et iniquitate peccantium (cf. *Cyr. Haimo, Lap. Mar. Men. Tir. Calm. Schegg*), uti Is. 43, 24. Ier. 23, 33.

Eodem modo hebr. textus est intelligendus : *ecce ego pressus sum subter vos sicut premitur plaustrum plenum manipulis* (cf. *Calm. Schegg*); מֵעִיק scil. *hiphil* sensu intransitivo *angustiari*. Eodem modo *S. Cyr.* explicat id quod LXX habent χυλίω ὑποκάτω ὑμῶν i. e. « clamabo quasi qui onus grave peccatorum ab impiis

1. *Propinabatis* revera legunt *Rup. Haimo. Alb.* et *Lap.* notat : « ita legunt omnes codices latini, graeci et hebraei, in praeterito; unde in romanis vitio typographico irrepsisse videtur *propinabitis*, *mandabitis* in futuro »; sim. *Mar. Men.*; etiam codex *amiat.* priori lectioni suffragatur.

2. Multos tamen codd. lat. — inter quos est *amiat.* — legere *super*, adnotat *Brug.*, immo hanc lectionem in epanorthote antiquis codd. et antiquis originalibus adscribi. Etiam *Trochon* exponit, ac si *super* positum esset.

acervatorum amplius sustinere nequeam... talibus impietatibus vestris propemodum oneratus, ut axis in plaustro, quod stipularum manipulis plenum est, clamorem edam multo maximum », dum *Theod.* et *Theod. M.* interpretentur : tantis vos onerabo suppliciis, ut lugeatis et gematis sicut plaustrum gravi onere pressum stridet, dum trahitur. Alii hebr. explicant : vos opprimam, in vos pleno pondere incumbam (*Keil*) ; vel locum vestrum coarctabo, cingam (cf. *Fürst* L.) ; alii textum mutandum esse censent et rescribendum מֵפִיק etc. i. e. quae subter vos sint concutiam (cf. *Hitz.*). At immerito. — Parumper alio vertunt comparationem *Rib. Sanct. Sa* : « quemadmodum stridet et longe lateque sonat plaustrum... ita ego in vobis et in terra vestra audiri faciam magnum stridorem et molestissimum auribus vestris sonum » (*Rib.*) et *Rup.* : « hoc est Dominum quasi plaustrum onustum stridere : causas excidii vel captivitatis illorum latere non sinere ». In hebr. עָמִיר *manipulus, merges ; S. Hier.* de *stipularum* manipulis explicavit.

Deus igitur onere illo gravatus illud excutiet i. e. manum suam protectricem ab eis avertet, eos iam non sustinebit ; quare omnes eorum conatus erunt irriti, nihil iam virtute vel fortitudine vel arte bellica valebunt : respublica concidet : v. 14 « *et peribit fuga a veloce et fortis non obtinebit virtutem suam et robustus non salvabit animam suam*, v. 15 *et tenens arcum non stabit et velox pedibus suis non salvabitur et ascensor equi non salvabit animam suam*, v. 16 *et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus* » ; — distincta hac et longiore enumeratione per singula facta ad emphasim et animorum commotionem effert, ruinam a Deo intentatam humana ope averti vel impediri nullo modo posse ; *perit fuga* i. e. etiam velocissimus quisque fuga ex interitu non poterit se proripere ; neque virtus neque robur neque ullum armorum vel artis bellicae genus ruinam illam et interitum prohibebit, verum qui inter fortes ipsos robustus corde censetur i. e. fortium fortissimus armis spoliatus turpiter fugiet. Toti vaticinio quasi *sigillum* et confirmatio additur *dicit Dominus* vel *effatum Domini* (hebr.) ; iterato *Amos* hanc esse divinam praedictionem, affirmationem, voluntatem effert ; ita firmum Dei decretum, quod nullo modo mutabitur vel retractabitur, indicat.

SECUNDA PARS.

REPREHENSIONES AC MINAE IN ISRAEL CP. 3-6.

Tribus orationibus haec pars commode potest dividi : cp. 3. cp. 4. cp. 5-6. Atque in prima oratione Deus eos monet de sua electione olim facta, a qua tam turpiter desciverint, ut ipsae gentes eos debeant con-

demnare in iudicio : quare diram castigationem denuntiat. In altera oratione populi contumacia praecipue exagitatur, quam Deus variis poenis immissis frustra vincere conatus sit, quare ad extremam castigationem erit deveniendum. Eam in tertia oratione per modum *planctus* illustrat et viam delineat, qua excidium sibi parant; illud excidium, diem Domini, fore horrendum; principes auctores ruinae et scelerum fautores vehementer incusat et ruinam totius reipublicae, captivitatem, mortem vaticinatus Deum dicit gentem esse suscitaturum, ultionis suae in Israel ministram. — Quare ex una parte beneficia recenset a populo accepta et scelera eorum perstringit, quibus Deo vocanti et ad poenitentiam invitanti obstiterint, ex altera parte iudicium imminens vario modo depingit.

I. — PRIMA ORATIO CP. 3 : DENUNTIATIO CASTIGATIONIS.

ARG. — Dominus populum Israel sibi elegit, quare peccata non relinquet impunita; instat iudicium a Deo auctore immissum, quod effugere non poterunt, quod merito expavescant (3, 1-8). Tale iudicium sibi attrahunt propter scelera et iniquitatem, quae ipsis gentibus iudicibus abominationi esse debent. Quare hoste adventante Samaria praedae et vastationi, homines neci, altaria Bethel destructioni dabuntur (3, 9-15).

a) Iudicium ineluctabile quod merito paveant 3, 1-8.

Peculiari cura et providentia Deus populum suum cinxerat eumque prae reliquis gentibus singulari dignitate theocratiae exornaverat; at hisce ornamentis eius culpa non minuitur, sed augetur, Deique ultio provocatur. Quare Deus ingratis beneficia praestita in memoriam revocat et quo maioribus emolumentis fruiti sint, eo etiam acerbiores scelerum poenas eos daturos esse minatur : v. 1 « *Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, filii Israel, super omnem cognationem quam eduxi de terra Aegypti dicens :* v. 2 *tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terrae, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras* » ; — vos habui peculiarem populum meum (*Hier.*), vos singulari studio ac benevolentia prosecutus meis legibus ac cognitione mea imbui et institutis salutaribus providi; *cognoscere* enim « aliquid in Scriptura sacra importat practicum, opus aliquod, quod non otiosam aut mortuam significat esse cognitionem illam » (*Sanct.*); cf. Os. 13, 5; « vester solum Deus appellari atque esse delegi » (*Ps. Ruf.*).

Sed ne falso sibi de hac dignitate blandiantur, ne tutos se ac securos censeant suam electionem praetendentes! « Verum non ista liberalitas negligentiorem conversationis vestrae iudicem reddidit, sed hoc magis ma-

lefacta vestra castigo, quo vos cunctis gentibus praetuli; est enim consequens, ut diligentius inspiciantur quae pretiosius aestimantur. Decor ergo genti vestrae comparatus nullam sinit culpam incastigatam relinqui, quia vilescit concessa nobilitas, si non auferatur indignis » (*Ps. Ruf.*). Unde illud *idcirco* singulari pondere et emphasi non caret et iam tollit praeoccupatam illam opinionem, qua postmodum multi efferebantur dicentes : *filii Abraham sumus.*

Eam porro *visitationem* prius per varias similitudines et comparationes varium in modum describit. Et primo quidem declarat : iustam esse ingratae gentis repulsam (*Ps. Ruf.*) ; v. 3 « *numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis* » ? — i. e. nisi ex condicto statuerint, convenerit eis. Olim utique Deus protector ac custos simul cum populo ambulavit, quamdiu pius erat et obsequens ; at non potest esse societas inter quos non est concordia ; iam vero voluntate et studiis dissentiunt, ergo Deus ab iis recedit, eos relinquit et abiicit (cf. *Lap. Sa*, *Mar. Men. Tir.*); «quid miraris, quia comitatus nostri defensione nudatus sis, cum iusta viantium coniunctio nisi inter concordes diu manere non possit? Tu proinde qui elegisti habere meis legibus contrarias voluntates, fuisse consequens confitere, ut comitatus mei auxilio nudareris, quia non meis itineribus ingredi separatus coepisti » (*Ps. Ruf.*) ; sim. *Hier. Alb.*

Iam *S. Cyr.* huius partis explanationem orditur a verbis : « reconditum est aenigma, obscurus sermo ». Quid enim ea comparatio sibi velit et etiam in quem finem subsequentes proferantur, interpretes in diversas abeunt sententias. Iam *S. Hier.* complures opiniones recenset, inter quas etiam illa apparet, quae recentioribus quoque quibusdam arridet (cf. *Hitz.*) : nihil fieri sine ratione sufficiente : « alius autem putat sex exempla proposita . . . reddere similitudinem , ut quomodo superiora causam habent et non fiunt nisi illa praecesserint, sic nullum in civitate accidere malum, quod Domino praecipiente non factum sit ». Verum haec expositio certe est ieiuna, neque censeri potest, prophetam tot exemplis non velle confirmare nisi axioma, luce clarius, a nullo unquam in dubium vocatum, scil. non exsistere quidquam sine causa praevia. Alii *duos* illos *pariter ambulantes* Dominum esse dicunt et prophetam (cf. *Cyr. Sanct. Calm. Keil, Schegg, Trochon*) et similitudinem explicant ita, ut prophetae ius ac officium vaticinandi inesse ibi asseratur (*Keil, Schegg*) vel ut prophetam, utpote in divinorum consiliorum consortium admissum, Dei esse legatum, cuius veracitas brevi manifesto apparitura sit, agnoscere possimus (cf. *Cyr. Calm.*). Verum obstat, quia sane per se non liquet, oracula, quae Amos fundat, ad amussim congruere cum divinis consiliis ; unde duos illos pariter ambulare, et proinde rata sententia inter eos convenisse, cognosci tam facile nequit ; neque propheta ad suum cum veris prophetis consensum [1] provocat, ut probet, se revera summa

1. Ita *Ephr.* interpretatur.

concordia cum Deo incedere — ita provocavit v. g. Ieremias, ut contra pseudoprophetam Hananiam suam missionem divinam defenderet; cf. Ier. 28, 7. 8. —

Eam vero repulsam auget: iudicium enim imminet durum; v. 4 « *numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit praedam? numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit* »? — rugit leo, dum praedam habet in oculis vel etiam in unguibus suoque rugitu alia animalia terret; unde cum Deus per prophetam iam rugitum edat, iamiam paratus est poenam infligere (cf. *Rib. Sanct. Lap. Mar. Men.*); neque enim tantum ederet rugitum, nisi vos mensura iniquitatum impleta proximi essetis interitui (cf. *Calm.*). Comparationem autem hunc in modum illustrat *S. Cyr.*: « qui naturas ferarum exquisitius pervestigant, narrant leonem esurientem montes, saltus et nemora contentius pervagari . . . ubi autem aliquid sibi ad esum idoneum conspexerit, propiorem factum horribiliter et absone rugiendo praedam invadere. Quod si catulis escam apportans lustrum attigerit, exsilire illos et cum clamore praedam apprehensam dilaniare. Quid ergo, inquit, Deum calumniamini, cum ante adventum calamitatum comminatur? quid super prophetas eius fremitis, cum et ipsi super vestra impietate clamorem edunt »?

Eas autem minas minime esse inanes, ulterius declaratur v. 5 « *numquid cadet avis in laqueum terrae absque aucupe? numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit* »? — i. e. laqueus, quo capiemini, a Deo est positus; sed si nemo hominum laqueos parat, ut nihil capiat [1], quomodo vos arbitramini vos Dei laqueum posse effugere? neque tolletur laqueus nisi praeda facta (cf. *Sanct. Tir. Lap. Mar. Men. Calm.*). Simul ea comparatione monentur, ne hostium invasionem regnique ruinam temere fieri arbitrentur, verum omnia a Deo vindice dirigi atque administrari. *Laqueus terrae* est laqueus in terra positus ibique absconditus.

Iam hae calamitates populo annuntiantur; tuba bellica iam insonat; mirus hominum stupor, si non horruerint; v. 6 « *si clanget tuba in civitate et populus non expavescet? si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* »? — ponitur *si* tamquam particula interrogationis. Cum tuba subito et inexspectato insonat, omnes contremiscunt; mirum sane, si admonitiones prophetae, quae Dei vindicis tuba sunt, illos non ad poenitentiam et terrorem provocant (cf. *Alb.*). Praecipue

1. Hebr. מוֹקֵשׁ *tendicula*; verum veteres versiones *venatorem, aucupem*, exprimunt cf. *LXX, Syrus*. An igitur יוֹקֵשׁ legerunt? Textus syr. hexapl. autem non aucupem sed aucupium ope virgarum viscatarum interpretatur; cf. *Middeldorpf* p. 182. 523.

cum iam facto et experientia teneant, Dominum visitare populum suum castigatione; unde ex iis quaerit propheta: num censeant unquam quidquam mali ipsis accidisse, quod non Deo disponente et dirigente factum sit atque immissum? « Quare nemo civitatum stragem hostibus, varia morborum genera vento pestilenti aut coelorum inclementiae attribuat, licet his Deus quasi administris ad ultionem peccatorum utatur » (*Sanct.*).

Etiamnunc Deum talia meditari in populum, ipsa prophetica declaratione certi redduntur; quare ad eam ut animos applicent hortatur addens, qua familiaritate Deus utatur cum suis nuntiis (cf. *Rib.*), simulque declarans, quam vere dixerit, nullum infligi malum nisi a Domino, quippe qui mala ventura per suos prophetas semper praedixerit et diu ante castigationem consilia vindictae suae cum suis communicaverit: v. 7 « *quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas* ». —

Hoc autem quod prophetis immisit verbum, illi sine ulla haesitantia vel tergiversatione, cum omni libertate, fiducia, audacia loqui debent neque illud ulla ratione sinu comprimere vel retinere vel mollire possunt; quare merito omnes ad Dei minas expavescere debent: v. 8 « *leo rugiet quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit* »? — i. e. si iam leo rugiens omnes terrore afficit ac tremore concutit, quis Deo loquenti obsistere vel Dei verba supprimere auderet? Verum, si leonis rugitus horrori est, quanto magis Dei minae ac reprehensiones? Comparatio est eo magis ad utrumque apta et facta, quia Deus ultor symbolo leonis saepius repraesentatur (cf. Is. 15, 9; 38, 13. Os. 5, 14; 11, 10; 13, 8. Ier. 25, 38), et quia modo v. 4 leonis praedam capientis et diripientis mentio facta est. Simul sacer vates indicat, se non reprehendere, mala praedicere, invehi in alios ex proprio arbitrio vel animi quadam ira et acerbitate, sed quia numini loquenti resistere non possit; quare facile explicatur summa illa audacia, qua in reprehensionibus utatur (cf. Ier. 20, 9). « Si leone rugiente omnes timent, ergo multo magis Deo fremente omnes timeant oportet, ac imprimis nos prophetae, qui primi hunc Dei in nobis loquentis rugitum audimus, illius metu percellimur, ideoque inclamamus omnibus, ut sibi caveant ac prospiciant, ne eius praeda fiant » etc. (*Lap.*).

b) Propter scelera imminet vastatio 3, 9-15.

Quo maiore pudore Israelitae suffundantur et quo magis scelerum enormitas omnibus pateat, Deus iubet prophetas advocare Philisthaeos et Aegyptios, ut videant scelera Samariae et testimonium dicant contra eos: v. 9 « *Auditum facite in aedibus Azoti et in aedibus terrae Aegypti et*

dicite : congregamini super montes Samariae et videte insanias multas in medio eius et calumniam patientes in penetralibus eius » ; — nationes ad spectaculum congregari vult, quas in istorum liberationem et gloriam saepe afflixerat (cf. *Ps. Ruf.*), quae testes erant beneficiorum Dei in Israel (*Rib. Sanct. Men.*) et quas Israelitae propter afflictiones praecipuo odio et magna abominatione prosequebantur. Hoc schemate et artificio (*Lap.*) Deus Israelitas confundere eisque indignitatem manifestare studet. *Principes* vero convocantur : *audire facite per palatia in Asdod et super palatia in terra Aegypti* (*hebr.*), quia de *principum* et primorum in Israel sceleribus agitur. Montes in circuitu Samariae sunt Ebal, Garizim, aliique,ex quibus quasi speculis ea cerni et observari possunt, quae fiunt in urbe ipsa in colle edito sita (cf. *Hitz. Keil*). Inde cernant *perturbationes magnas in medio eius* (hebr.) i. e. tumultus, conturbationes, quibus omnia permiscentur et veri rectique normae evertuntur et iustitia seposita pauperes opprimuntur ; *videte oppressos in medio eius* (hebr.). Quale spectaculum gentibus offeratur, ulterius declaratur v. 10 *« et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem et rapinas in aedibus suis »* ; — ex violatione iustitiae, quae ut est vitae publicae fundamentum, ita facillime quoque hominum animis tamquam debita et necessaria innotescit, facile fieri potest conclusio, quantopere reliquae quoque virtutes neglectae ac contemptae iacuerint. Cumulum *violentiae et devastationis* (hebr.) in palatiis suis condunt i. e. creberrime violentias committunt, oppressorum bona domosque vastant, arripiunt et opes iniuste acquisitas in suis palatiis accumulant (cf. Is. 5, 8).

Verum, ut Dei beneficia Israelitis collata omnibus innotuerunt, ut scelera eorum offensioni erant gentibus et nomen Dei ignominia affecerunt (cf. 2, 7), ita vindicta quoque Dei ultoris insignis et iusta omnibus erit manifesta ; quare qui impudenter peccarunt, insigni clade et publica prosternentur : v. 11 *« propterea haec dicit Dominus Deus : tribulabitur et circuietur terra et detrahetur ex te fortitudo tua et diripientur aedes tuae »* ; — cf. Is. 28, 1. 3 ; hebr. per modum exclamationis : *hostis* [1], *et quidem in circuitu terrae et deiiciet ex te fortitudinem* (*magnificentiam*) *tuam* . . .

In ea vero clade pauci sese fuga proripient et vitam servabunt ; v. 12 *« haec dicit Dominus : quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculae, sic eruentur filii Israel qui habitant in*

---

1. Hebr. צַר ; LXX et *Aq.* legerunt צֹר Τύρος. Notat *S. Hier.* : « Hebraeus, qui me in sanctis Scripturis erudivit, *tribulationem* interpretatus est, nec renuimus eius sententiam, quia et *Sym.* qui non solet verborum κακοζηλίαν sed intelligentiae ordinem sequi, ait *obsidio et circumdatio terrae* ».

Samaria in plaga lectuli et in Damasci grabato » ; — pastor pastoritiis utitur exemplis, « ut quia pastor gregum nihil terribilius leone cognoverat, iram Domini leonibus compararet » (*Hier.*; sim. *Sanct. Rib.*). Ipsa comparatione declaratur, paucos (eosque vilissimos vel ex infimo hominum genere — cf. *Theod. Theod. M. Mar. Men.*) iri ereptum. « Sunt qui hic pugnam aliquam considerant, qua pastor cum leone congreditur, ut captum arietem de faucibus expediat (cf. 1 Reg. 17, 34). Sed est dura et creditu difficilis expositio ; neque enim similitudo sumitur ex his quae raro et pene miraculose contingunt . . . multo videntur magis ad rei naturam explicuisse Theodoretus et Cyrillus, qui cruscula et auriculas non putant erepta fuisse a pastore strenuo e leonum faucibus, sed potius illa ex toto cadavere a leone relicta fuisse et a pastore tristi atque exanimato collecta, ut ea deferat ad gregis dominum doceatque non ex sua incuria periisse pecus, sed quia leo gregem invasit, cuius neque debuit neque potuit obluctari potentiae » (*Sanct.*).

Opponit sacer vates luxuriem et vitae delicias praesentes futurae miseriae; unde habitatores Samariae depingit molliter sedentes et quiescentes *in angulo lectuli* (hebr.) ; « in angulo enim utrimque corpus fulcitur, hinc melius et plenius in eo quiescitur » (*Lap.*) ; intelligitur extrema lectuli vel spondae pars, qua fulcrum est pro brachiis ac capite. Idem dicit *plaga lectuli* (cf. *Lap.*) ; *et in Damasci grabato* veteres plerumque explicant de fiducia in Damascum, in eius opes atque foedus, ubi Israelitae suaviter conquiescant (cf. *Hier. Rup. Alb. Rib. Sanct. Lap. Mar. Men.*) : « requiescentes in Syrorum auxilio et in Damasci grabato sibi victoriam pollicentes, ut quomodo qui fessus est refocillatur in lectulo, sic illi fractas vires vicinae gentis auxilio roborarent » (*Hier.*). Cum Ieroboam dicatur restituisse terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis (4 Reg. 14, 25), *grabatum Damasci* in quo requieverint, posset nova illa possessio regno israelitico adiecta intelligi. Verum propius adiacet et ad alterum membrum prorsus aptum est, *grabatum Damasci* [1] explicare de lectulo vel sponda syriaca, more apud Syros usitato, speciatim more Damascenorum facta ; spondas scil. a Damasco praedivites illi et molles heluones sibi compararunt, ut luxui indulgerent. Ita *in Damasci grabato* proxime effert sensum eundem, quem recentiores in hebr. inveniunt : *in panno damasceno strati* ;

1. Hebr. בִּדְמֶשֶׁק עָרֶשׂ recentiores explicant : *in serico lecti* i. e. in lecto sericeis pannis instrato, vel ut propius ad ipsam vocem accedatur *in panno damasceno lecti* (auf dem Damast des Ruhebettes — cf. *Ros. Ges. Keil, Schegg, Hitz. Trochon*). Ita enim distingui volunt דְּמֶשֶׁק ab ipsa urbe דַּמֶּשֶׂק. Veteres vero versiones *urbem* etiam h. l. agnoverunt ; ita LXX, *Syrus, Aq. Sym. Theod.* (cf. cod. syr. hexapl.), *Hier. Chald.*

quam explicationem si probaveris — et quid ei obiicias, non video —, Amos cupiditatem et studium rerum extranearum simul reprehendit (cf. Is. 2, 6 hebr.).

Dein vates minas repetito confirmat. Ad quod principes illos, quos v. 9 advocaverat, invitat, ut audiant et testimonium dicant contra Israel : v. 13 « *audite et contestamini in domo Iacob, dicit Dominus Deus exercituum ;* v. 14 *quia in die cum visitare coepero praevaricationes Israel, super eum visitabo et super altaria Bethel et amputabuntur cornua altaris et cadent in terram* » ; — illi principes audiunt Dei minas et de illis testimonium reddere finguntur in domum Iacob i. e. contra tribus Israel ; tam certo Deus ruinam annuntiat, ut ipsos Philisthaeos et Aegyptios velit esse eius quasi vades et sponsores et testes contra Israel. In hebr. non sine sollemnitate quadam ac pompa dicitur : *effatum Dominatoris Iahve Dei exercituum,* quippe cui potestas insit et cui adstent administri ad minas illas exsequendas. Quales illae sint et quid audire debeant ac testari principes alienigenarum, dicitur v. 14. Textus *lat.* cum pondere effert visitationem super Israel revera fore eamque etiam eo contineri, ut altaria in Bethel profanationi et exsecrationi dentur, id quod cornuum amputatione exprimitur ; nam sanguis victimarum in aspersione, quae praecipua erat ac principalis actio sacrificialis, ad cornua altaris linebatur, quare cornua altaris receptacula quasi sacrificiorum sacra dignitate pollebant illisque resectis altare erat mancum, truncatum, ad victimas ineptum. Textus hebr. in die visitationis scelerum Israel altaria quoque Bethel ait visitari. Urbis igitur et regionis in ruina peculiaris fit mentio, uti decet, cultus illiciti.

Ruina illa et splendoris destructio (cf. v. 11) absolvitur enumeratione v. 15 « *et percutiam domum hiemalem cum domo aestiva et peribunt domus eburneae et dissipabuntur aedes multae, dicit Dominus* » ; — luxum Israelitarum simul exhibet et tacite carpit propheta ; pro varia anni parte varia aedium accommodatione utebantur ; cf. Ier. 36, 22 ; « simpliciter iuxta literam accipere possumus, tantarum eos fuisse opum, ut duplices haberent domos, hiemales et aestivas, quarum aliae versae essent ad aquilonem, aliae ad austrum, ut pro varietate temporum frigoris et caloris coelique temperiem providerent » (*Hier.*) ; *domus eburneae* i. e. domus ebore (*dente* hebr. elephantis scil.) caelatae ; talem domum exstruxerat Achab 3 Reg. 22, 39. Simul cum palatiis regiis domus multae concident : rex et subditi interibunt ; urbs tota, palatia principum et domus privatorum ruinae tradentur (cf. 4 Reg. 17, 7).

II. — SECUNDA ORATIO CP. 4 : CONTUMACIA POPULI.

ARG. — Mulieres petulantes et lascivae, quae cum viris in pauperum oppressione cooperantur, cum opprobrio in captivitatem abducentur. Omnes magno studio, quod cum ironia propheta describit, cultui illicito operam dant (4, 1 - 5). Frustra eos Deus afflixerat fame, ariditate terrae, frugum perditione, peste, bello, multiplici vastatione ; nulla re ad poenitentiam sunt conversi : quare Israel novas et acerbiores poenas ab Omnipotente exspectet (4, 6 - 13).

Augetur accusatio : a) quia ipsae mulieres in recti ordinis perversione magnam agere partem exhibentur ; b) quia tanto cum fervore cultui pravo se dant ; c) quia varios conatus, quibus Deus eos ad poenitentiam vocaverat, irritos reddiderunt. — Hisce propheta populi morumque conditionem magis magisque declarat et quantopere peccatis iam sint inveterati docet.

a) Scelera mulierum et cultus profani studium 4, 1-5.

Scelerum reprehensionem, quam vates 3, 9. 10 inceperat, iam ita proponit, ut quantopere morum corruptio in ipsas etiam mulieres serpserit, exhibeat v. 1 « *Audite verbum hoc, vaccae pingues quae estis in monte Samariae, quae calumniam facitis egenis et confringitis pauperes, quae dicitis dominis vestris : afferte et bibemus* » ! — de *mulieribus* esse sermonem (uti explicant *Theod. Theod. M. Ephr. Barh. Mar. Calm. Schegg, Keil)* et non de *viris* primoribus, qui propter luxuriem et mores effeminatos *vaccae* contemptim vocentur (cf. *Hier. Cyr. Ps. Ruf. Rup. Alb. Rib. Sanct. Men. Gord. Trochon),* verba ipsa ostendunt, praecipue, quia dicunt *dominis suis* i. e. maritis, et quia non solum v. 1 sed etiam v. 3 genus femininum grammaticale adhibetur et אִשָּׁה *mulier* v. 3 explicite usurpatur. Neque alienum est a prophetis, mulierum quoque vitia quae certe multum valent in viros, perstringere (cf. Is. 3, 16 ; 32, 11). Comparantur *vaccis Basan* (LXX δαμάλεις τῆς Βασανίτιδος) sc. quae « nutriantur in pascuis Basan, quae sunt loca herbarum fertilissima » (*Hier.* — cf. Num. 32, 1 seq.) [1], propter luxuriem, petulantiam, lasciviam ; « pingues [2] autem notantur secundum illud, quod b.

---

1. *S. Cyr.* : « Basanitis regio est ubere gleba fecunda et florida (εὔβοτός τε καὶ εὐανθής) et ad pascentes in ea greges quam pinguissimos efficiendos in primis idonea ». —

2. *S. Hier.* notat : « Aquila et Theodotio ipsum verbum hebr. *Basan,* nos Symmachi interpretationem secuti, qui ait αἱ βόες εὔτροφοι i. e. *boves saginatae* vaccas pingues interpretati sumus ».

David accusat : prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum ... » (*Ps. Ruf.*). Samaria urbs in monte erat posita (cf. 3 Reg. 16, 24). Nobiles matronae alios iniuste opprimebant et atterebant, ut de eorum spoliis instrumenta luxuriae quaererent (cf. *Ps. Ruf.*) virosque ad iniustam aliorum spoliationem excitabant, ut haberent, quibus ingluviem explerent. Ergo praeclare cum maritis conspirant, immo eos ad nova facinora propellunt rabie feminina. Paucis verbis vates insignem morum corruptionem depingit furias illas exhibens, quae insatiabili odio et foeda intemperantia viros ad omnia iura conculcanda exstimulant.

Quare emphatice quoque iis poenam congruam denuntiat v. 2 « *iuravit Dominus Deus in sancto suo* : *quia ecce dies venient super vos et levabunt vos in contis et reliquias vestras in ollis ferventibus,* v. 3 *et per aperturas exibitis altera contra alteram et proiiciemini in Armon, dicit Dominus* » ; — si Deus *iurat*, summus certitudinis gradus exprimitur et modo hominibus apto declaratur, quantopere Deo res humanae cordi sint, ut vel remuneretur et promissis stet, vel sceleribus iratus et provocatus puniat ; iurat *per sanctitatem suam* (hebr.) [1], quae scil. punitionem peccatorum exigit ; nam ut Deum *sanctum* qui populum suum *sanctum* esse vult, se manifestavit. Simul assertioni et iuramento pondus accedit : uti Dei sanctitas est immutata, absolute necessaria, ita hac interposita sententiam ultionis immutabilem prorsusque necessariam pronuntiat. Textus *lat.* ita potest explicari, ut servata metaphora vaccae illae saginatae ad caedem serventur ; « iam appropiat tempus, quo carnes vestrae leventur in contis et reliquiae in ollis ferventibus ; transtulit autem similitudinem a vaccis, quae convivantibus apponuntur ; *contos* ergo hic posuit pro verubus, i. e. subulis, quibus insertae plerumque vaccarum carnes prunarum vapore torrentur, *reliquias* vero vel intestina vel eas accipe portiones, quae comminutiores in ollis magis quam in subulis decoquuntur » (*Ps. Ruf.*) ; vel « vaccae postquam interfectae sunt et excoriatae, vecte levantur infixo per nervos posteriorum crurum et sic suspensae deportantur conto » (*Alb.* ; sim. *Sanct.* etc.). Dein relicta metaphora v. 3 praedicit eas singulas in captivitatem iri abductum ; per scissuras et ruinas moenium urbe ab hostibus capta sese fuga proripient (cf. Ez. 12, 12) longa serie inter se subsequentes ; at ab hostibus apprehensae demum captivae proiicientur in *Armon* [2], *Armeniam* plerique intelligunt (cf. *Sym.* apud *Hier.* et *Hier.* ipse, *Ps. Ruf. Theod. M. Ephr. Rup. Alb.*

---

1. Vel, ut interpretes latini explicant, iuravit per seipsum (cf. *Alb. Rib. Lap. Mar. Tir.*).
2. LXX interpretati sunt *montem Remman*, *Aq. montem Armona*, *Theodotio montem Mona*, quinta editio *excelsum montem* ; ita *S. Hier.* Ultima interpretatio est, uti *Theod.* affert, ex Theodotione. *Chald.* quoque *Armeniam* interpretatur.

Barh. Rib. Men. Tir.), quam Assyriis subiectam et ab iis exsilii loco Israelitis assignatam dicunt.

Textus hebr. ita vertendus erit : *et tollent vos in uncinis* (aculeis) *et reliquias vestras* (— i. e. quae reliquae sunt, aliae scil. quae non uncinis quasi apprehensae abducuntur ; alii *posteritatem, liberos* explicant cf. *Mar. Ros. Hitz. Schegg* —) *in hamis piscatoriis* eadem scil. imagine, qua utitur Habacuc 1, 15 et Ier. 16, 16. Similiter iam verterunt *Pagninus, Vatablus, Clarius,* quos vide v. gr. apud *Lap.* Ceterum *S. Hier.* notat : « *reliquiae earum in ollis ferventibus,* pro quo et in hebraico et apud Aquilam scriptum est *in lebetibus pisciculorum ;* pro *contis* quoque.. Aquila interpretatus est *clypeos*, Symmachus et LXX *arma*, solus Theodotio δόρατα, quem nos secuti *contos* vel *hastas* interpretati sumus. Hoc autem significat quod capiantur in proelio et portentur atque auferantur iure victoriae ; servans tamen coeptam vaccarum metaphoram, ut quas esse pingues dixerat vaccas, earum carnes narret in contis vel clypeis esse portandas. Et sicut lebes ferventissimus minutos pisces pariter involvit, ita et vaccas Basan absque ullo ordine captivitatis miseriis opprimendas ». Versio *S. Hier.* explicari forte potest ex lectione illa ,quam in LXX codex vaticanus praebet εἰς λέβητας ὑποκαιομένους ἐμβαλοῦσιν. *Syrus* interpretatur *cacabum piscatorum, Chald.* vero *scapham piscatorum.*

In v. 3 ad verbum dicitur : *egrediemini unaquaeque coram se* vel *ex adverso sui* via scil. directa, celeriter, non attendens neque deflectens ad dexteram vel ad sinistram ; et *proiiciemini* : formam passivam (vel aequivalentem : *Chald.* enim habet : *et captivos eos ducent*) veteres versiones praebent, et ea erit etiam in textu hebr. restituenda [1]. Quid sibi velit הַהַרְמוֹנָה, plane incertum est. Veterum plerique *Armeniam* intellexerunt ; neque desunt qui *montem Mona,* ut habet Theodotio, censent *montem Minni* (cf. Ier. 51, 27) prope Ararat (cf. *Bochartus* apud *Ros.*) ; alii textum mutant et vertunt : proripietis vos ad montem (tamquam) ad locum refugii (cf. *Hitz.*). Plura de hac re vide apud *Ges.* s. v. et *Keil* et *Schegg.*

Ad ea scelera addunt cultus impii impiam sedulitatem, quam sacer vates acerba ironia exagitat et ridet, imperans illis cum subsannatione, ut studiosius atque crebrius illum exerceant et peccatorum mensuram impleant (cf. *Alb. Sanct.*) ; v. 4 « *venite ad Bethel et impie agite ; ad Galgalam, et multiplicate praevaricationem et afferte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras* » ! — de *Bethel* et *Galgala* cf. Os. 4, 15 ; 9, 15 ; 12, 11 ; *mane* i. e. quovis mane, *singulis* diebus caedite victimas et plurima sacrificia offerte, non tantum diebus festis ! Eadem ironia cernitur in altero membro ; intellige scil. cum *Sanct.* : decimas afferte non semel in anno, sed *tertio quoque die ;* mandato enim ad absurdum exaggerato absurda illa sedulitas in idolis colendis vel in falso cultu Deo exhibendo carpitur. Alii *tres dies* de tribus anni sollemnitatibus maioribus, Paschatis, Pentecostes, festi tabernaculorum explicant (cf. *Cyr. Rup. Lap. Men.*) ; verum *dies* festivitates illas non designat.

---

1. Legitur *hophal* in uno codice hebr., prout *de Rossi* in suppl. adnotat.

Pergit in eodem ironiae genere v. 5 « *et sacrificate de fermentato laudem et vocate voluntarias oblationes et annuntiate ! sic enim voluistis filii Israel, dicit Dominus* » ; — in oblatione *laudis* i. e. gratiarum actionis — εὐχαριστίαν transtulit *Aq.* — etiam panes fermentati requirebantur, minime quidem, ut in altari et in igne sacrificii cremarentur, sed ut Domino consecrati sacerdoti cederet panis unus, reliqui ad epulas sacrificiales adhiberentur (cf. Lev. 7, 12-14). Admonitio ironica proin in eo est, ut hos ipsos panes ad *laudis* sacrificium augendum *accendant* (hebr.), in ipso altari cum victima concrement, proinde, ut ad cultum addant prae nimia sedulitate. At cum fermentatum ab altari omnino arcendum esset, inepta illa sedulitas ridetur. Eadem mente vates dicit, ut *voluntarias oblationes* publico edicto praescribant et publica quasi indictione illas offerendas curent et tali strepitu adhortationis terram impleant — de oblationibus, quae sponte fieri poterant cf. Lev. 7, 16 ; 22, 18 etc. Deut. 12, 6 (vide *P. Scholz,* die h. Alterthümer des Volkes Israel II, 174). Concludit eadem ironia : talia scil. vos amplectimini, talia vobis placent ! « non haec dico tamquam praecipiens sed tamquam declarans voluntatem ipsam vestram et studia vestra, in quibus ego quoque vos relinquam, ut ad me non redeatis. Simile est illud Apoc. : qui in sordibus est, sordescat adhuc » (*Estius*) ! Vel, ut *S. Hier.* ait : « o Israel fac quod libet, age impie ; cum idolis libere fornicare, ut quanto tu fueris impudentior, tanto mea super tormentis tuis iustior videatur sententia ».

b) Castigationes variae frustra adhibitae 4, 6-13.

At quomodo ad tantam impii cultus insaniam progressi sunt ? Deus enim ex sua parte non destitit variis multisque castigationibus eos ad meliorem frugem revocare. Nam quia ipsi *sic voluerunt* impie agere (v. 5), *etiam* hebr. Deus poenas inflixit : v. 6 « *Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris et indigentiam panum in omnibus locis vestris* ; *et non estis reversi ad me, dicit Dominus* » ; — famem et penuriam inobedientibus minatus est Deus Deut. 28, 48. 57 ; *stuporem dentium* ex esu fructuum immaturorum ac acerborum oriri notum est (cf. Ez. 18, 2 : « patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt ») ; unde ex textu latino prima afflictio erat, ut fructibus malis vesci deberent, quae deinde altera, panis scil. indigentia victusque penuria aucta est (cf. *Rib. Sanct. Tir. Schegg*) ; *stuporem* (γομφιασμόν) etiam vertunt LXX [1] et *Syrus* et *Chald.* ; alii hebr. vertunt

---

1. Notat *S. Hier.* : « LXX in hoc loco propter simplicitatem verbi secuti sumus ; sive *munditiam dentium* ; ut interpretati sunt Aquila et Symmachus, ut per mundos dentes fa-

munditiem dentium « tunc enim mundi sunt dentes, dum nihil mandunt » (*Rib. Sanct. Lap. Mar. Keil*). — At poena frustra est inflicta : *non estis reversi* ; « quo versu duo pariter indicavit, et illorum videlicet in delinquendo pertinaciam et suam in consulendo benignitatem, qui illa nimirum verbera, non ut puniret, sed ut corrigeret, intulisset. Huic autem consilio infeliciter resistentes quoddam (cum Deo) certamen ingressi sunt » (*Ps. Ruf.*).

Alia enim poena eos studuit coercere v. 7 « *ego quoque prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem ; et plui super unam civitatem et super alteram civitatem non plui ; pars una compluta est, et pars super quam non plui, aruit* » ; — hebr. *unus ager complutus est* . . . cf. Lev. 26, 19. Deut. 28, 23. *S. Hier.* diu in Palaestina commoratus rem ita declarat : « prohibui imbrem quae appellatur pluvia serotina et agris Palaestinae arvisque sitientibus vel maxime necessaria est, ut quando herba turgeret in messem et triticum parturiret, nimia siccitate aresceret. Significat autem vernum tempus extremi mensis Aprilis, a quo usque ad messem frumenti tres menses supersunt, Maius, Iunius, Iulius » ; ita utique in parte septèmtrionali Palaestinae ; verum in regione meridionali pluvia serotina mense Februario exeunte et mense Martio ineunte cadere et messis frumenti mense Maio et Iunio haberi solet (cf. *Schegg, Keil*). « Et ne forsitan putarent hoc lege naturae et astrorum cursu ac varietate temporum urbibus et populis accidisse, super unam urbem et agros eius pluere se dicit, et ab altera imbrem suspendere » (*Hier.*), ut scil. « sentiretis iudicio fieri siccitatem, ut simul, o popule, negato tibi solatio ex vicino mordereris exemplo » (*Ps. Ruf.* sim. *Theod. Rup. Rib. Sanct. Lap.*) ; v. 8 « *et venerunt duae et tres civitates ad unam civitatem ut biberent aquam, et non sunt satiatae ; et non redistis ad me, dicit Dominus* » ; — hebr. proprie *vacillabant* vel *titubabant*, siti scil. iam fere exhausti et viribus fractis. Sed quamvis in ipsa poenae discriminatione tam aperte manus Dei deprehenderetur, tamen non redierunt. Paucos exstitisse melioris notae inter plurimos obstinatos, ipsa oppositione duarum et trium civitatum ad unam ostenditur. « Neque tamen reversi sunt, quae verba saepe repetit Deus, quasi indigne ferens illud paternae providentiae remedium periisse, cum tamen etiam apud stolidos ac barbaros plurimum soleat habere momenti. Vexatio enim stupidorum doctrina est » (*Sanct.*).

Auxit Deus conatus alias plagas immittens et « hominibus frugum ad-

---

mis magnitudinem demonstrarent ». Alii idem quoque cernunt in *stupore dentium* ; nam dentes stupere aiunt ex subtractione cibi et longa fame, quae uti minuit sopitque appetitum ita contrahit etiam gingivas, hebetatque et stupefacit dentes (cf. *Tir. Sanct.*).

miniculo destitutis pomorum quoque solatia hortorumque subduxit » (*Ps. Ruf.* sim. *Cyr.*); v. 9 « *percussi vos in vento urente et in aurugine; multitudinem hortorum et vinearum vestrarum, oliveta vestra et ficeta vestra comedit eruca; et non redistis ad me, dicit Dominus* »; — illas inflixit poenas, de quibus in Deut. 28, 22. 39. 40. 42; hebr. *percussi vos uredine*[1] i. e. segetes et plantas *uredine* et *auruqine* corrupi atque destruxi; de *eruca* cf. Ioel 1, 4.

Insuper cum plagae in eorum possessiones inflictae non emendationis fructum ferrent, ipsos peste ac bello et multiplici morte homines perterruit; v. 10 « *misi in vos mortem in via Aegypti, percussi in gladio iuvenes vestros usque ad captivitatem equorum vestrorum et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras et non redistis ad me, dicit Dominus* »; — cf. Lev. 26, 25. Deut. 28, 60; eis immisit *pestem* (hebr.) eamque quae in Aegypto grassari solet; est enim *in via Aegypti* secundum modum Aegypti, pro more Aegypti (cf. Is. 10, 24. 26. Ez. 20, 30 — cf. *Sanct. Lap. Tir. Calm.*), non in profectione aegyptiaca, ut auxilium ab Aegypto peterent (*Cyr. Theod. Theod. M. Rib.*), quasi ii nuntii peste essent perempti, dum in Aegyptum iter facerent. Pesti addebatur *bellum* et multiplex bellatorum iuvenum caedes; hebr. intellige simul cum militibus etiam equos captivos fuisse in castris necatos, ita ut putredo castrorum ascenderet in nares superstitum et pestem spargeret et augeret. Ipso illo foetore de sordibus peccatorum et de abominatione et fastidio admoniti sunt, quod sceleribus suis Domino creaverant; at frustra. Per omnes sensus Dominus iis ostendit, quam detestanda sint peccata; at minime corriguntur. — Alludit vates ad bella cum Syris infeliciter gesta cf. 4 Reg. 6, 25; 8, 12; 13, 3. 7. 22. Istis enim bellis regnum Israel ad summam miseriam est redactum atque fere exstinctum; ita praecipue tempore Hazael: « et non sunt derelicti Ioachaz de populo nisi 50 equites et 10 currus et 10 000 peditum; interfecerat enim eos rex Syriae et redegerat quasi pulverem in tritura areae » 4 Reg. 13, 7.

Extremam hanc regni miseriam, qua neutiquam resipuerunt, vates describit v. 11 « *subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomor-*

---

1. *S. Hier.*: « pro *vento urente* ἀνεμοφθορίαν Aquila et Symmachus et Theodotio interpretati sunt; Septuaginta πύρωσιν, quam nos *combustionem* possumus dicere. *Auruginem* autem omnes ἴκτερον similiter transtulerunt, absque Theodotione, qui solus ὠχρίασιν, quae *pallorem* significat, interpretatus est »; cf. *Rib. Sanct.* Ceterum iam *Rib.* adnotat, *S. Hier.* eadem verba hebr. non ubique eadem ratione transferre; 2 Par. 6, 28 *aerugo* et *aurugo*; 3 Reg. 8, 37 *corruptus aër aut aerugo*, Deut. 28, 22 *aër corruptus ac rubigo*, cum in hebr. ubique legatur שִׁדָּפוֹן וְיֵרָקוֹן, quae verba h. l. *ventum urentem* et *auruginem* est interpretatus.

rham, et facti estis quasi torris raptus ab incendio ; et non redistis ad me, dicit Dominus » ; — sunt, qui *subversionem* de terrae motu (1, 1) explicent (cf. *Hitz.*) ; verum *torris* semiustus ab incendio erutus potius miseram illam regni conditionem bellis syriacis invectam depingit, de qua etiam omnes fere interpretes subversionem explicant. Comparatione ipsa alludit propheta ad minas iam a Moyse propositas Deut. 29, 22 (cf. *Keil*), quibus extremam populi iniquitatem castigandum esse praedicit.

Quae omnia cum Deus frustra adhibuerit, iam non restat, nisi ut ad extremam poenam progrediatur ; hanc minatur v. 12 et eam v. 13 divina potentia et maiestate ostensa confirmat. Et in hebr. quidem v. 12 *propterea ita faciam tibi, Israel ; propterea quia hoc faciam tibi, praeparare in occursum Dei tui, Israel* ; loquitur Deus sensu minaci per modum aposiopesis ; « cumque dixerit *haec faciam tibi,* quid facturus sit tacet, ut dum ad singula poenarum genera Israel pendet incertus (quae ideo terribiliora sunt, quia omnia suspicantur), agat poenitentiam » (*Hier.* ; sim. *Sa, Lap. Tir. Calm.*) ; *praeparare* i. e. vide, num Deo possis obsistere ; praepara te, ut maiores ictus suscipias ; considera, *qualis* iudex et quantus ultor tibi sit occursurus ; qualis vero sit ac quantus, v. 13 explicatur.

Ad eundem sensum exigenda sunt verba latina v. 12 « *quapropter haec faciam tibi, Israel ; postquam autem haec fecero tibi, praeparare in occursum Dei tui, Israel* » ! — i. e. « postquam autem has atroces plagas, quas mente concepi, facere et infligere coepero, *praeparare,* q. d. si praeteritae plagae tibi leves videntur,... en ego formans montes et creans ventos etc. te invadam quasi eques cataphractus, vires exseram, hastas telaque omnia in te contorquebo ; obfirma pectus, clypeum apta, oppone te mihi, ictum dexterae meae declina aut sustine, si potes. Est sarcasmus » (*Lap.*).

Etiam propius ad textum hebr. accedes, si *postquam* eo sensu usurpatum dixeris, quo in vulgari sermone nonnunquam adhibetur *eo quod, quia* (cf. Plaut. Bacch. 3, 6, 1. Ter. Ad. prol. 1. — *Georges* Handwoerterbuch s. v.). Ipse *S. Hier.* scribit : « in hebr. sic legi potest : *quapropter haec faciam tibi, Israel, postea* i. e. multo post tempore... ut rursus ab alio principio versus incipiat : *cumque hoc facturus sim tibi, praeparare in occursum Dei* » ; quare ex eius mente illud *postquam* audacter licet explicare : quia hoc facturus sum, praeparare.. Illud *in occursum* ex contextu sensu minaci accipi debet (cf. *Alb. Men.*). Verum LXX habent : ἑτοιμάζου τοῦ ἐπικαλεῖσθαι τὸν θεόν σου (scil. hebr. לִקְרַאת a קָרָא *vocare* explanatum est) ; unde interpretes graeci ibi cernunt salutis annuntiationem, quae ex afflictione enascatur. Similiter fausto sensu textum latin. exponunt *Ps. Ruf. Rib. Sanct. Mar.* et iam *S. Hier.* : « praeparare, ut

venientem ad te Dominum tota aviditate suscipias ». At certe ad contextum, qui totus in reprehensione versatur, et ad ipsa quoque *verba* unice apta est expositio, quam *Alb. Lap. Men. Schegg* etc. sequuntur et quam iam *Sym.* et *quinta editio* exhibent : *praeparare, ut adverseris Deo tuo (*apud *Hier.).*

Minis addit pondus ex divina potentia et maiestate ; videant, num cum tali Deo possint manus conserere vel quid demum plagarum ab eo debeant exspectare v. 13 « *quia ecce formans montes et creans ventum et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam et gradiens super excelsa terrae ; Dominus Deus exercituum nomen eius* » ; — Deus scil. terram formavit, cuius quasi fulcra et fundamenta *montes* sunt ; quae in rerum natura fiunt, ipse administrat ; id quod uno exemplo *creans ventum* illustratur ; quae in homine sunt, ipse novit eaque homini nuntiat [1], « qui cogitationum secreta cognoscit, et quid latens animus tacito sermone tractet, intelligit iuxta illud quod in Ieremia secundum hebraicum legimus : *pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor et probans renes* » (*Hier.*). Hisce tria alia ad Dei potentiam adumbrandam adduntur : *faciens auroram, tenebras, gradiens super excelsa terrae* (hebr.) i. e. qui lucem, prosperitatem, tenebras, ruinam et interitum administrat, qui homines vel beatitate vel extrema miseria afficere potest, qui gradiens etc. summo imperio in res omnes valet omniaque sibi habet plene subiecta (cf. Hab. 3, 9) ; post sollemnem enumerationem sex praeclaris titulis constantem sollemni epiphonemate concludit, una quasi formula maiestatem divinam exhibens : *Iahve Deus exercituum nomen eius :* Deus aeternus, immutabilis, perfectissimus qui simul est Deus foederis — haec omnia nomine *Iahve* indicantur — est ille, cui exercitus omnes coelestes atque terrestres praesto sunt (cf. Os. 12, 5. Mich. 4, 4). Hoc quasi sigillo apposito minas consignat atque confirmat.

III. — TERTIA ORATIO CP. 5. 6 : EXCIDIUM ISRAEL ET EXCIDII CAUSAE.

ARG. — Sermonis planctusque materia, scil. ruina Israel summatim proposita (5, 1 - 3) sacer vates viam delineat, qua ad excidium properant :

---

1. Alii de *cogitatione Dei* eloquium explicant, cuius revelationem homini indat (cf. *Rib. Sanct. Lap. Mar.*) ; at hoc loco ea referuntur, quae Dei potentiam et maiestatem probant ; sed ad id magis refert, Deum nosse hominis intimas cogitationes melius ipso homine, ita ut ei illas possit accuratius declarare, quam si solum diceretur, Deum posse suas cogitationes cum homine communicare. Insuper שִׂיחַ *meditatio assidua, querela* unice hominem dicere videtur. LXX levi literarum mutatione legerunt τὸν χριστὸν αὐτοῦ, quem *Cyr.* generatim regem, *Theod. Theod. M.* Cyrum, alii Christum interpretantur. (Cf. *Hier. Calm. Lap. Tir.*).

a Deo scil. quocum coniuncti solum vivere possunt, desciverunt, ad profanum cultum deflexerunt, ius et iustitiam perverterunt. Quod quo magis percipiant, maiestatis divinae potentiam egregiis exemplis adumbrat ex una parte, ex altera eorum scelera ; praecipue iniustitias commissas exagitat (5, 4-13). Denuo, uti v. 4, salutis unicam conditionem iis proponit, quam quia spernunt, planctum eventurum vaticinatur universalem (5, 14-17); *vae* ingeminat iis, qui *diem Domini* audaci praesumptione desiderant, fore scil. diem istum perditionis et caliginis plenum, neque ullo pacto castigationem imminentem sacrificiis redimi posse ait, verum pro inveterata eorum impietate in exsilium eos iri abductum (5, 18-27). Alterum *vae* ingeminat populi principibus, qui falsa fiducia innixi, pro divinis beneficiis ingrati, luxuriei, ingluviei, ebrietati dediti populi curam abiecerunt; quare captivi abducentur (6, 1-7); minas Deus iureiurando confirmat iisque descriptione miseriae pondus addit; necessario enim consequetur perversitatem eorum et superbam elationem oppressio et ruina (6, 8-15).

α) **Ruina summatim proponitur 5, 1-3.**

Quo maiore pondere et certitudine minas insinuet propheta et ut animum manifestet de sui populi ruina dolentem, « lamentari se velle dicit et carmen pangere funestum ac lugubre, quale in amicorum funere cantari solet, quasi domui Israel patrio more honores exhibeat parentales » (*Sanct.*); unde v. 1 « *Audite verbum istud quod ego levo super vos, planctum : domus Israel cecidit et non adiiciet, ut resurgat;* v. 2 *virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam* » ; — id quod supra quasi per aposiopesin minatus erat *quapropter haec faciam tibi* (4, 12), nunc conceptis verbis in carmine lugubri enuntiat (cf. *Ps. Ruf.*); verbum scil. quod de iis dicere debet, iam totum resolvitur in planctum, est lamentatio, quare actum esse ac conclamatum de regno Israel patet. In textu hebr. syr. chald. et apud *Ps. Ruf. Rup. Alb. Sanct. Rib.* melius ita iungitur: *levo super vos planctum, domus Israel : cecidit...* appellatio *domus Israel* superioribus in vocativi casu adnectitur ; carmen vero lugubre optime incipit a voce gravissima *cecidit* i.e. ruinam experta est insanabilem *et non adiiciet, ut resurgat virgo Israel;* regnum Israel semel prostratum et deiectum iam non secundo exsurget; ad quod adnotat *Theod.* : « hoc felici nuntio libertatis non est contrarium ; significat enim fore ut non amplius per suos regantur, neque proprium regem habeant » et *Ps. Ruf.* parumper alio modo apparentem illam cum laetis promissis contradictionem solvit: « quod autem dicit

ita in terram suam cecidisse Israelem, ut penitus non resurgat, cum et praecedentes et sequentes sententiae solvendarum quandoque miseriarum solatia repromittant et in ipsius animadversionis tempore imminutionem magis populi quam internecionem minentur, ita debemus accipere, quod vel lugentis affectu cumulatius aestimavit illata discrimina, sicque funditus appellasse deletos, quos ex maiore videret parte contritos, vel certe in eorum personis, quos captivitas absumebat, ire pessum, neque a quopiam gentem Israelis suscitari posse signaverit ». Dicitur autem Israel *virgo*, sicuti generatim usu Scripturae provinciae et civitates nomine mulierum signari solent (cf. *Rib.*), speciatim vero appellatio *virginis* statum proponit ornatum, splendidum, lautum (*Sanct.*), regnum speciosum et opimum, quod defloratum ab Assyriis et vastatum simile fuit virgini regiae olim ornatae, nunc spoliatae, violatae, conculcatae (*Lap.*). Haec autem *proiecta* est i. e. cecidit casu violento, non fortuito, verum vi maxima illata; *in terram suam* additur, « ut magis amplificet ruinam; non prosternetur in terra aliena, ubi minus haberet virium et inimici essent potentiores, sed cum adhuc erit in terra sua » (*Rib.*); ipsa terra ei tamquam hereditas concessa testis erit et quasi receptaculum ruinae eius, quae tamquam *virgo* ex Dei consilio debuit manere inviolata, a nullo hoste subacta, uni Domino desponsata foedere sempiterno. Quare ipsa *virginis* compellatio habet triste quid ac lamentabile in carmine hoc funebri; neque erit abs re, illud *proiecta est* de virginis corruptione ac violatione intelligere (cf. *Cyr. Theod. Alb.*).

Quomodo vero Israel ad conditionem illam vilem et abiectam perventurus sit, breviter declaratur v. 3 « *quia haec dicit Dominus Deus: urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, et de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel* »; — i. e. in urbe, quae mille milites ad pugnam subeundam mittere poterat, centum homines relinquentur; tanta igitur erit populi strages, ut in tali urbe centum omnino homines, viri, senes, mulieres, pueri relinquantur (cf. *Schegg*). Sunt, qui eam stragem praeviam intelligant regni destructioni, quae igitur stante adhuc metropoli inferatur et bellis illis civilibus sub Zacharia, Menahem, Phaceia, Phacee, Osee sit effecta (cf. *Ps. Ruf. Calm.*, quam sententiam etiam *Sanct.* affert); at stragis amplitudo et paucae reliquiae ipsius regni excidium populique abductionem designare videntur; et ita v. 3 revera *casum* et *proiectionem* in v. 2 declarat et quasi oculis subiicit.

b) Dominum et iustitiam spreverunt 5, 4-13.

Cur tali interitui futuri sint obnoxii, ex eo declaratur, quia a Deo vivi-

fico desciverunt; unde v. 4 « *Quia haec dicit Dominus domui Israel : quaerite me et vivetis* » ; — i. e. hanc tamquam vitae prosperitatisque normam iis praefixerat, ut Deum quaererent i. e. sedulo colerent, eius voluntatem toto mentis affectu amplecterentur ; apposite circumloquitur *S. Cyr.* : « si magnifacitis vivere, et res vobis amplectenda videtur, desinite seduci et a tam longa perplexitate absistentes, exquirite me, h. e. mihi servite, qui sum natura Deus, vivificus, salvare potis, et cultores meos ab omni malo tutos praestans » (sim. *Rup.*). Quam normam quia neglexerunt, mirum minime est, quod sint interitui proximi. Neque enim Deum eo quo voluit modo quaesierunt. Frustra eos Deus a malis viis retrahere conabatur v. 5 « *et nolite quaerere Bethel et in Galgalam nolite intrare et in Bersabee non transibitis, quia Galgala captiva ducetur et Bethel erit inutilis* » ; — de *Bethel* et *Galgala* vide Os. 4, 15. *Bersabee,* urbs in tribu Simeon, in parte meridionali Palaestinae, nota et sacra ex historia Abraham (Gen. 21, 33 ; 26, 24 ; 46, 1) et patriarcharum. Quae dignitas antiqua id apud populum superstitiosum effecit, ut cultu superstitioso ornaretur. Plane enim e re advertit *Calm.* : « si quid curae adhibueris, statim intelliges, loca omnia, quae religiosis itineribus et cultu ab Israelitis frequentabantur, ea fuisse, quae patriarcharum mora vel dedicatis Domino ab illorum pietate monumentis consecrata fuerant » (sim. de Bersabee censent *Theod. Alb. Sanct. Lap. Trochon*). Sedulitatem male feriatam depingit propheta eo, quod ultra regni fines non contenti suis cultus locis ad aliena quoque peregrinarentur (cf. *Hier.*) ; quare ait *transire*, ultra fines in alienam ditionem migrare. Fulcit adhortationem eo quod ostendit illa loca cum cultu suo esse excidio devota ; id efficaci verborum lusu proponit : *Gilgal galoh igleh* — ac si latine diceres : Capua capietur, vel Cremona cremabitur — et *Bethel* domus *Dei* erit in *nihilum*, Bethel erit Bethaven (cf. Os. 4, 15) ; pro Deo nihilum, perniciem, interitum sibi comparabunt, Bethel proinde fore *domum inanitatis*, quia pro Deo inane et nihilum, mendacium et vanitatem sibi elegerunt (cf. *Rib. Sanct. Lap. Calm.*).

Repetitis vicibus minisque propositis Deus illis verae felicitatis *vitaeque* normam exhibuerat; v. 6 « *quaerite Dominum et vivite, ne forte comburatur ut ignis domus Ioseph, et devorabit et non erit qui exstinguat Bethel* » ; — veram felicemque *vitam* nexu individuo cum Dei cultu esse coniunctam, iterum iterumque inculcatur ; *vivite* « in dicendi modo epitasis est : sumitur enim saepe imperativus pro futuro ; sed id habet praecipuum, quod rem significat certam et quasi iam paratam et praesentem » (*Sanct.* sim. *Rib.*) ; « sin autem non quaesierint eum, statim succendetur ut ignis domus Ioseph, quam propter Ieroboam, qui de tribu Ephraim et de domo Ioseph fuit, decem tribus sentire debemus, quae

appellabantur Israel et ex maiore populi parte nomen pristinum possidebant » (*Hier.*). *Ignis* [1] metaphora vastationem quam maxime funditus omnia evertentem et *devorantem* designat, et in hoc incendio non erit pro Bethel qui illud avertat, imminuat. In hac comminatione *Bersabee* omittitur, quia Amos ad regnum Israel sermonem convertit et quia « victis decem tribubus urbs ea illo tempore neque capta neque destructa est » (*Rup.*).

In quantum vero illas Dei admonitiones neglexerint et a vera vita deflexerint, declaratur v. 7 « *qui convertitis in absinthium iudicium et iustitiam in terra relinquitis* » ; — hebr. *et iustitiam in terram deiiciunt*; ius ita pervertunt, ut demum amara iniustitia et radix mali venenosa exoriatur. Aliqui id speciatim de iudicibus explicant : « iudicium magistratuum, quod oppressis unicum est asylum et solatium, convertitis ipsis in absinthium, causam innocentibus abiudicantes » (*Tir.*) ; « converterunt dulcedinem iudicii in absinthii amaritudinem, quod genus est herbae amarissimae » (*Hier.*) ; at melius erit, iudicium sensu generaliori de officio, de norma recti intelligere ; « quare sensus erit : pro sanctitate quam integram servare debuistis, pleni estis peccatis quae et vobis instar erunt absinthii et me in caput vestrum durum esse facient et amarum » (*Sanct.*).

Tales igitur contemptores Dei se exhibent : quam vero res sit indigna et propter vindicis Dei potentiam stulta, declaratur egregia maiestatis divinae adumbratione v. 8 « *facientem Arcturum et Orionem et convertentem in mane tenebras et diem in noctem mutantem, qui vocat aquas maris et effundit eas super faciem terrae — Dominus nomen est eius ;* v. 9 *qui subridet vastitatem super robustum et depopulationem super potentem affert* » ; — textus latinus facillime ex v. 7 pendere dicitur : *qui iustitiam relinquitis* etiam scil. relinquitis et abiicitis Deum, qui fecit Arcturum... (ita quoque *Syrus*, *Ephr. Alb. Rib. Houbig.*) ; de stellis h. l. nominatis [2] vide Iob 9, 9 ; 38, 31 ; apte commemorantur, quia sunt cele-

1. LXX vertunt ὅπως μὴ ἀναλάμψῃ ὡς πῦρ ὁ οἶκος Ἰωσήφ, quam textus hebr. acceptionem etiam *S. Hier.* novit, cum scribat : « ignis succenditur sive resplendet et inflammat domum Ioseph » ; יִצְלַח proprie : ne *invadat*, pervadat velut ignis (Iahve scil.) domum Ioseph. Est enim Dominus quasi ignis *consumens* (Deut. 4, 24), cuius zelus cultu falso excitatur, et qui ipse ruinam infert. Ita textus hebr. maiore pondere minas urget.

2. Ceterum nota verba *S. Hier.* : « ipse est creator Arcturi, qui hebr. *chima* (כִּימָה) dicitur et a Symmacho et Theodotione εἰς πλειάδα vertitur, quem vulgo *Bootem* vocant : quodque sequitur *Oriona* qui hebr. dicitur chasil (כְּסִיל), Symmachus absoluto *stellas*, Theodotio interpretatus est *vesperum* ; Hebraeus autem, qui nos in Scripturis sanctis erudivit, *chasil* interpretari putat *splendorem* et significare generaliter *astra fulgentia*. Quando autem audimus *Arcturum* et *Oriona*, non debemus sequi fabulas poetarum et ridicula et portentosa

briores ac notiores et cum *Orion* sit praecipuum sidus meridionale, *Arcturus* praecipuum septemtrionale, sub his duobus omnia comprehenduntur (cf. *Lap.*) ; in fulgentibus astris maiestas Dei optime resplendet. Dein vicissitudo diei et noctis ex plurimorum sententia (cf. *Hier. Ps. Ruf. Cyr. Rup. Alb. Sanct. Mar. Lap.*) designatur ; verum hebr. צַלְמָוֶת *umbra mortis* alias tenebras indicare videtur : « ipse potest mortalia pericula in splendidum iucundumque gaudium convertere et eos qui in splendore versari videntur, aerumnarum tenebris facile obruere » (*Theod. M.* sim. *Ephr. Theod.*) et certe ad verborum sententiarumque gravitatem optime convenit, ut Deus rerum humanarum supremus moderator describatur, qui e summis periculis et mortis faucibus eripit, ad lucem et prosperitatem evehit pro sua benigna potentia, aliorum autem fortunas calamitatum procellis caligine obvolvit. Quod sequitur *qui vocat...* plerique de pluviae origine explicant : « qui calore solis evocat et attollit in aera vapores ex aquis maris, quos condensatos resolvit in pluvias et effundit super faciem terrae » *Tir.*; cf. *Hier. Cyr. Theod. Rup. Alb. Rib. Sanct. Sa, Men. Trochon,* verum aptius verba *vocandi, effundendi* de Dei imperio dicuntur, quo magnis in inundationibus aquarum gurgites suae vindictae et iustitiae administros adhibet, uti v. g. in diluvio (cf. *Schegg, Keil*), quae explanatio arctissime cum antecedente nectitur Deumque ostendit, qui in repentina fortunarum subversione rebus creatis earumque viribus tamquam ministris utatur et armis, cuius igitur potentia modo ad commovendum apto delineatur. Ea porro effertur : *Iahve nomen eius* i. e. « qui est ipsum *esse*, tum suum formale, tum causale rerum omnium, qui est plenitudo, universitas et complexus entis, essentiae et exsistentiae » (*Lap.*), qui qua talis est immutabilis, cuius igitur minae timendae sunt. Has porro delineat : *qui subridet* i. e. minatur cum irrisione quadam, facile, quasi cum risu vastitatem et ruinam infert potentissimo cuique. Quam audax et periculosum erit, talem Deum spernere, lacessere, ad vindictam provocare !

In textu hebr. v. 7 et 8 usu participiorum *vertentes in absinthium* — *faciens Arcturum* apte inter se opponuntur. Textum lat. *facientem* varie explicant: alii ad *iustitiam* v. 7 referunt, dicentes explanari quid *iustitiam* vocet, eum scil. qui fecit Arcturum (cf. *Hier. Ps. Ruf.*) ; alii *facientem* nectunt cum verbo remotiore v. 6 *quaerite Dominum*, cetera quasi in parenthesi includentes (cf. *Sanct. Sa, Lap. Mar. Schegg*) ; sed explanatio videtur nimis coacta. Supplet *Chald.* : desierunt timere a facie eius qui fecit . . . LXX facile versum iungunt, quia v. 7 alia ratione efferunt : Κύριος ὁ ποιῶν

---

miracula.... sed scire hebraea nomina, quae apud eos aliter appellantur, vocabulis fabularum gentilium in linguam nostram esse translata, qui non possumus intelligere quod dicitur nisi per ea vocabula quae usu didicimus et errore combibimus... ».

εἰς ὕψος κρίμα καὶ δικαιοσύνην εἰς γῆν ἔθηκε ποιῶν πάντα καὶ μετασκευάζων. Ad versionem *qui subridet* notat *S. Hier.* : « Aquila interpretatus est ὁ μειδιῶν, proprie autem μειδίαμα dicitur, quod nos *subrisionem* possumus appellare, quando quis irascitur et apertis paululum labiis subridere se simulat, ut irae ostendat magnitudinem ». Hebr. בַּלְג, quod solum in *hiphil* occurrit, *micare facere* interpretantur ; vide Iob 9, 27 ; 10, 20. Verbum in arabico dicitur de primis ascendentis aurorae orientisque solis radiis ; Ps. 38, 14 *refrigerari* vertitur. Hoc loco verte : *qui fulminat vastationem* i. e. subito eam infert (cf. *Schegg*) et in altero membro : *et vastatio venit super arcem* (hebr.).

Qualem quaerere Deum negligerent, exposuit propheta ; cf. v. 6 ; iam v. 7 accuratius declarat et exemplis illustrat v. 10 « *odio habuerunt corripientem in porta et loquentem perfecte abominati sunt* » ; — hebr. *odio habent in porta corripientem*, uti *S. Hier.* in suo commentario legit i. e. cum iudicia instituunt, eum odio habent, qui contra iniustitias invehitur, et eum abominantur qui innocentes defendit, vera et iusta loquitur. « In porta iuxta veterem iudaici morem populi fuisse iudicia et saepe legimus et crebro interpretati sumus » *(Hier.)*. Alii autem de conventibus publicis vel generatim de vita publica interpretantur, vel quod palam et libere omnes emendatores, prophetas scil. qui publice praedicabant et in scelera invehebantur, abominabantur ac repudiabant (cf. *Cyr. Rib. Lap. Sa, Men. Tir. Schegg*) : « mos priscus fuit gravissimae cuiusque rei consultationes a civibus in portis urbis fieri et hostium etiam de re aliqua legationibus iisdem in locis respondere ; immo etiam maiora iudicia ibidem exercebant (cf. Ps. 126, 5 ; 68, 13) ... arguentes in portis dicit, quasi ibi curarent prophetae voluntates Dei praedicare, ubi cunctis quae dicebantur manifesta fiebant » *(Theod. M. Theod.)* ; et prophetas revera *in porta* admonitores constitisse, elucet ex Ier. 17, 19 « haec dicit Dominus ad me : vade et sta in porta filiorum populi » cf. Ps. 72, 28. Prov. 1, 21. — Prophetam vero hoc loco crimina contra iustitiam in iudiciis commissa praecipue ob oculos habere, subsequenti reprehensione ostendit v. 11 « *idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem et praedam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide aedificabitis et non habitabitis in eis, vineas plantabitis amantissimas et non bibetis vinum earum* » ; — rapina et avaritia peccarunt ; male parta dilabentur neque iis frui licebit ; *praedam electam* i. e. quae pretiosissima quisque habebat, vel quae saltem maximi aestimabat ; « intelligendum ergo, quia vel appellaverit pauperes quos illi rapinis suis ex locupletibus inopes reddidissent, vel certe ad affectum magis possidentium quam ad damnorum momenta respiciens, etsi parvas res tamen pauperibus ipsa exiguitate pretiosas, atroci dixerit cupiditate sublatas » *(Ps. Ruf.)*.

Hebr. בּוֹשַׁסְ ἅπ. λεγ. LXX et *Syrus* vertunt *colaphizare*, *S. Hier.* et *Chald. diripere*

— בָּזֵז ? recentiores parva inflexione dialectica explicant verbum positum pro בּוֹסֵס a בּוּס *conculcare* (cf. *Fürst C. Schegg, Keil*). Pro *praeda electa* recentiores vertunt : *tollitis munus frumenti ab eo* : verum veteres versiones non בַּר *frumentum* h. l. exprimunt, sed בַּר *electum, selectum*, δῶρα ἐκλεκτὰ LXX ; *S. Hier.* : « quidquid pretiosum videbatis et pulchrum usui vestro ». In hebr. legitur : *domos quadro aedificastis et non habitabitis in eis, vineas plantastis*. . . Ita *S. Hier.* quoque in commentario scribit : « ex pretio eorum quae rapiebatis . . . domos quadro lapide aedificastis, quas quia aedificastis de rapinis . . . non habitabitis in eis » etc.

Merito poenam iri inflictum confirmatur v. 12 « *quia cognovi multa scelera vestra et fortia peccata vestra, hostes iusti, accipientes munus et pauperes deprimentes in porta* » ; — i. e. osores iusti, qui iustum virum opprimunt ac persequuntur (cf. *Ps. Ruf. Alb. Sanct.*), qui muneribus[1] corrupti ius pauperum inflectunt ac pervertunt in iudiciis et coram tribunalibus.

In tali rerum iniquitate res eo devenit, ut desperata morum populi emendatione vir prudentissimus quisque tacite se recipiat lucemque publicam fugiat v. 13 « *ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est* » ; — i. e. « eo perversitatis et improbitatis tandem descenderunt, ut et ipsis sapientibus et intelligentia valentibus consultius videretur, neque reprehendere posthac, neque corrigere impietatem sectari volentes » *(Cyr.)* ; tacent probi, scelerum scil. enormitate attoniti et stupefacti *(Theod. M.)*, « cum gemitu et dolore (conticescunt), considerantes nimirum, nihil loci salutari superesse doctrinae » *(Ps. Ruf.)*, vel ἐξ ἀθυμίας loqui iam non valentes *(Theod.)*, ne obstinatam eorum malitiam ad maiora scelera adhortationibus et reprehensionibus provocent *(cf. Alb.)*. — Unde sacer vates hoc versu populi iniquitatem ad summum quoddam fastigium pervenisse demonstrat, et ipsum *prudentis* silentium maxima est scelerum accusatio.

c) Bonum spernentibus erit planctus 5, 14 - 17.

Cum *prudens taceat* propter temporis iniquitatem (v. 13), num *propheta* quoque vocem cohibebit ? Minime ; nam in alta specula positus de-

1. Alii hebr. כֹּפֶר explicant *redemptionis pretium* (cf. ἐξίλασμα apud *Hier.*), quo scil. divites impii a poena subeunda se redemerint ; quandoque enim licuit pecunia se redimere (cf. Ex. 21, 30) ; verum ab homicida pretium tale redemptionis accipere lege vetabatur (Num. 35, 31). Iudices igitur improbos designari volunt, qui contra legem tale pretium admiserint (cf. *Hitz. Keil*). At 1 Reg. 12, 3 Samuel loquitur de כֹּפֶר quod si acceperit paratus est *resti*

bet populo annuntiare scelera et hoste adventante tuba canere (cf. Ez. 33, 3 et seq.). Unde iterato, sicut v. 4 admonet v. 14 « *Quaerite bonum et non malum, ut vivatis; et erit Dominus Deus exercituum vobiscum sicut dixistis* » ; — i. e. una vitae verae et felicis salutisque conditio est, ut malo abiecto bonum assidua cura amplectantur, ut scil. veram vitam ex vero Dei cultu et coniunctione hauriant (cf. v. 4); *vivere* significat id quod in hominis vita vel in populi vita sociali praeclarum est ac optabile, unde prospere agere, florere opibus, frui securitate et pace (cf. *Sanct.*). Si bonum quaerunt, tunc iuremerito gloriari poterunt et experientur, quod Dominus suo auxilio potenti illis praesto sit; sin minus, frustra sibi blandientur, quod sint populus Dei, filii Abraham (cf. *Hier.*), quibuscum Dominus protector sit; « nihil erat in ore filiorum Israel frequentius quam *sit Dominus nobiscum,* hoc in sacrificiis et in omni sermone precabantur » (*Rib.*). Monet igitur vates, ne falso sibi securitatem [1] promittant (cf. Ier. 7, 4 - 12); iam enim eo spiritu cernuntur imbuti, quo tempore Christi superbe respondebatur : *nos filii Abraham sumus*. Quare propheta iterato repetit v. 15 « *odite malum et diligite bonum et constituite in porta iudicium; si forte misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Ioseph* » ; — urget id quod in omni vita sociali primum est fundamentum et quod summa etiam facilitate et claritate ab homine cognoscitur : ius atque iustitiam servari debere; unde monet, ut in tribunalibus et in iure dicendo ius ac iustitiam restituant, erigant (cf. v. 7. 11. 12); neque audet propheta promittere conditione impleta poenam iri aversum, sed illam imminutum iri sperat; unde satis indicat, ad talem gradum perversitatem esse progressam, ut reipublicae ruina iam non possit averti; *si forte* « quia Deus forte misericordia *liberante* non miserebitur, quamvis certum sit, quod semper misereatur misericordia *relaxante* » (*Alb.*), ita scil. ut in ipsa ruina « delendis saltem reliquiis attritae gentis abstineat » (*Ps. Ruf.* sim. *Schegg*).

« Sed quia praedictas monitiones non attendistis, lamentationum et planctuum plena erit urbs et regio » (*Theod. M.* et sim. *S. Hier.*); unde v. 16 « *propterea haec dicit Dominus Deus exercituum dominator : in omnibus plateis planctus et in cunctis quae foris sunt dicetur : vae, vae! et vocabunt agricolam ad luctum et ad planctum eos qui sciunt plangere* » ; — sane optime cum *S. Hier.* et *Theod. M.* sententia haec *propterea* arcte ad antecedentia adnectitur; alii ad v. 13 regrediendum

---

tuere; id quod potius de munere ac corruptione iudiciali intelligi debet (cf. *Schegg*). LXX ἀλλάγματα ; *Syrus* vertit *munus*, *Chald.* explicat *mammona iniquitatis*.

1. Cum sub Ieroboam II res israeliticae restitutae florerent, apte notat *Calm.*, prosperitatem illam eis fuisse argumento perspicuo, Dominum ipsis favere nullamque esse timoris causam.

esse censent v. 14. 15 quasi parenthesi includentes (*Ps. Ruf. Sanct. Schegg*). Dei potentia sollemnioribus titulis adumbratur, quo maius minis pondus accedat; *planctum* et *vae* omnem urbem et regionem omnesque ordines pervadere, non sine elegantia ipsa singularum rerum enumeratione et vocis *planctus* repetitione vates delineat: in plateis scil. urbis et in viis publicis *planctus* et *vae* resonat, idem *planctus* subito in agris quoque et campis auditur et omnibus luctus et planctus instrumentis et artibus adhibitis quasi in immensum crescere cernitur. Illud *vocabunt agricolam* ita explica, ut ipsi agricolae suis in agris et campis exorta subito calamitate lamentationibus occupentur (cf. *Ps. Ruf. Theod. M.*), non quasi agricolae ad urbem vocarentur, ut ibi communem luctum augeant (*Hier. Cyr.*); *qui sciunt plangere* ex more ii dicuntur, qui consuetudine apud Israelitas recepta variis luctus ac lamentationum generibus exhibitis funus prosequi solebant, ad quem planctum non tantum praeficas et lamentatrices fuisse invitatas, verum etiam viros esse adscitos, colligi posse monet *Sanct.* ex 2 Par. 35, 25 — ceterum cf. Ier. 9, 16.

Planctum universalem *vineae* quoque, alias exsultantium atque iubilantium regio laetissima, resonabunt, ut « ubi quondam fuit materia laetitiae, sit origo lacrimarum » (*Hier.*) v. 17 « *et in omnibus vineis erit planctus, quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus* »; — « pertransire se vero dicit, ut illius memoriam temporis introducat, quo vel Aegyptum vel Sodomam legitur interemisse, aegyptia primogenita vel sodomitica tecta consumens; in hunc ergo modum pertransibo, ut edam quam merita exigunt ultionem » (*Ps. Ruf.* sim. *Cyr.*); verba deprompta sunt ex Ex. 12, 12; « ut olim in Aegypto, sic etiam tunc in regno Israel pertransibo quasi fulgur, omnia momento pervadens, percellens et sternens » (*Tir.* sim. *Rib.*). Stragem proinde maximam luctu et clamoribus plenam minatur ipsa illa cum Aegypto comparatione Deumque ut potentissimum ultorem exhibet, qui per angelum vastatorem uno quasi ictu totum populum prosternit. Ita planctum universalem et omnia pervadentem sublimi imagine et recordatione ex rebus olim *pro* populo gestis in eiusdem populi terrorem atque minas absolvit.

d) Dies Domini terribilis 5, 18 - 27.

Cum tale iudicium instet, maximae est audaciae ac praesumptionis diem Domini desiderare, quasi nulla inter eos exsistente improbitate Dominus visitatione sua non posset non afferre bona; v. 18 « *Vae desiderantibus diem Domini! ad quid eam vobis? dies Domini ista tenebrae et non lux* »! — « quid nisi audaciam illorum percutit, qui in se con-

fidunt tamquam iusti » (*Rup.* sim. *Alb.*)? Annuntiaverat Ioel [1] iudicium Dei in gentes exercendum, quae populum Dei afflixerunt (3, 2 seq.) et *diem* vaticinatus erat plenum benedictionis pro Israel, plenum vindictae pro aliis (3, 18); unde facile pro hominum indole fieri potuit, ut Israelitae, qui Dominum esse cum ipsis semper in ore ferebant (cf. v. 14), laeta illa ac prospera solum intuiti iudicium illud atque illum diem avide expeterent et promissiones datas nimium differri conquererentur; quibus propheta omni deceptione sublata ingeminat *vae!* falluntur scil., impietates suas multiplices obliviscuntur; has enim Dei visitatio primum punire et auferre debet, ut laeta promissa succedant. Quare improbis in memoriam revocat: ad quid iste dies *vobis* erit? summam calamitatem afferet, erit scil. *caligo,* non lux felicitatis ac laetitiae! —

Multi quidem interpretes in *desiderantibus diem* cerni volunt irrisores prophetae ac contemptores, qui minas propheticas despicientes illas vel in longum differri et nunquam evenire dictitarent vel omnino inania esse terriculamenta iactarent quae se experiri velle clamitarent ac riderent (cf. *Cyr. Ps. Ruf. Theod. M. Sanct. Mar. Tir.*); at modus, quo respondet propheta, ei sententiae non favet, licet eiusmodi hominum genus exstitisse ex Is. 5, 19; 28, 10 aliisque pateat; nam Amos responsione sua non inculcat, talem diem Domini esse *futurum*, verum eum fore non lucem, uti ipsi sibi promittant, sed tenebras, caliginem.

Et qualis calamitatis mortisque caligo futurus sit ille dies, per modum proverbialem explicat v. 19 « *quomodo si fugiat vir a facie leonis et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum et innitatur manu sua super parietem et mordeat eum coluber* »; — i. e. undecumque imminet periculum; unum si evaseris, alterum incurres neque effugere poteris interitum; si publica vitaveris, domestica strage occultisque insidiis occumbes; immo ubi maxime securum te esse speraveris, ibi certior imminet pernicies (cf. *Sanct. Rib.*). Id quod de singulis generatim est dictum, alii non ineleganter ad totius populi regnique sortem applicant: « fugientibus vobis a facie Nabuchodonosor leonis occurrent Medi, Persae, demum Antiochus Epiphanes, qui moretur in templo et vos instar colubri mordeat, nequaquam foris in Babylone, sed intra terminos terrae sanctae » (*Hier.*); alia vide apud *Rup. Calm.*

Quo magis inculcet, stulte ab impiis desiderari diem visitationis Domini (cf. 3, 14. 15), iterato effert v. 20 « *numquid non tenebrae dies Domini et non lux? et caligo et non splendor in ea* »? — post explicationem v. 19 datam, qualis futurus sit dies Domini, prorsus oratorie et

1. Haec dicuntur in sententia quae nobis *sat* probabilis videtur, Ioel revera ante Amos prophetasse; cf. proleg. ad Ioel et ad Am. 1, 2.

cum epitasi interrogatio haec redit planeque est apta, qua eorum praesumptio ac securitas deiiciatur. Quam aegre improbi quoque ex populo *electo* sibi persuaserint, se propter scelera esse puniendos, lege apud Ier. 7. 28.

Quod si vero qualemcumque cultus externi speciem atque observantiam sibi vel laudi verti debere vel subsidio et munimento contra pericula Deique iram fore confidant, audiant quae Dei nomine propheta contra caerimonias externo tantum habitu peractas pronuntiat v. 21 « *odi et proieci festivitates vestras et non capiam odorem coetuum vestrorum ;* v. 22 *quod si obtuleritis mihi holocautomata et munera vestra, non suscipiam et vota pinguium vestrorum non respiciam* » ; — omnia cultus externi et publici genera, uti apud illos fiunt, graviter reprobat : *odi, abominor* ; scil. dies lege per annum festivos atque sollemnes, in quibus praeter plura sacrificia coetus sacri erant celebrandi (cf. Lev. 23, 36. Num. 29, 35. Is. 1, 13) ; *odorari* (hebr.), olfacere, delectari cf. Lev. 26, 31 *recipere odorem suavissimum.* Sacrificia recensentur cruenta et incruenta, quibus *pacifica* vel sacrificia laudis adduntur.

Dein illa reprobantur, quibus cultui divino sua sollemnitas conciliabatur : v. 23 « *aufer a me tumultum carminum tuorum et cantica lyrae tuae non audiam* » ; — contemptim *strepitum* vocat cantica illa, quibus cultum divinum exornabant (cf. 1 Par. 16, 41. 42 ; 23, 5 ; 25, 1) ; « pulchre cantica levitarum quibus laudabant Deum, tumultum vocat sonitumque confusum ; quia non est pulchra laudatio in ore peccatoris et haec eadem idolis offerre quoque consueverant » (*Hier.*).

Reprobato igitur externo cultu et fiducia quam in illo collocant subversa minas repetit, ut iterata asseveratione elucescat, punitionem iam nullo modo posse averti v. 24 « *et revelabitur quasi aqua iudicium, et iustitia quasi torrens fortis* » ; — LXX καὶ κυλισθήσεται *et volvatur* [1] (hebr.) ; calamitas uti vehemens quaedam inundatio terram operiet et vastabit cf. Is. 10, 22 ; *revelabitur* ita explicat *S. Hier.* : « sicut aqua si labatur in pronum, quod prius texerat, nudat et patere facit omnium oculis, sic iudicium Dei atque iustitia, quae de suo quondam populo iudicavit, patebit omnibus et feretur instar torrentis fortissimi ; quidquid arripuerit, secum trahit et sibi obsistere non patitur » ; Dei iudicium contra vos erit « tamquam torrens secum abstrahens quae inciderint et par-

1. יִגַּל scil. a גָּלַל ; S. Hier. legit יִגָּל a גָּלָה. Versum sensu bono de salute messianica, quae sicut aqua et torrens campos agrosque rigat et fecundat, laetos afferat fructus, *Schegg* explicat ; *Calm.* ita posse intelligi censet : iustitia tua coram omnibus late hominibus prodeat, ceu fons uberrimus amnisque aquis dives. Sed post cultum reprobatum et mediis in minis laetam subito inseri promissionem, cui non mirum videbitur ?

cens nemini » (*Cyr.* sim. *Theod. Theod. M. Ps. Ruf. Alb. Rib. Sa, Lap. Mar. Tir.*). Talis igitur erit *dies Domini*. Neque mirum videbitur, Deum ita animadversurum in populum, qui inveterata impietate et idololatria iram Dei iam ab initio provocaverit et antiquam iniquitatem sedulo servaverit. Ita facile adnectitur (cf. *Theod. Rib. Lap. Gord.*) v. 25 « *numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel?* v. 26 *et portastis tabernaculum Moloch vestro et imaginem idolorum vestrorum, sidus dei vestri, quae fecistis vobis* »! — augetur enim accusatio ex eo, quod populus longa iam generationum serie iniquitati dicitur implicari et in ipsis exordiis simul cum idololatria crevisse cernitur. In variis illis per desertum migrationibus, uti circumcisio non observabatur, ita Dei cultum esse neglectum a generatione ea, quae exclusa a terra promissa cadavera sua deserto debebat condere, nemo mirabitur; magis utique mirum est, eos idola secum portasse eaque coluisse. At id quoque haud obscure a Moyse reprehenditur (cf. Lev. 17, 7. Deut. 32, 17), neque abest ab ea re aliorum prophetarum accusatio; cf. Ez. 20, 8. 13. *Tabernaculum* certe dicit aediculas illas, vel arcarum genus, vel naviculas, in quibus idola Aegyptiorum circumferri solebant, uti v. g. picturae in « libro mortuorum » apud Aegyptios rem exhibent; *sidus* indicat cultum illum ad « militiam coeli » spectasse.

Sensum negativum i. e. *non* mihi obtulistis, etiam aliae versiones exprimunt; ita certe LXX μή; ita *Syrus* דלמא (numquid, ecquid, an forte? cf. *Bernstein*, Lex. syr. ad Chrestom. Kirsch.), *Chald.* הֲ cf. *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 190. At recentiores aliqui vertunt sensu affirmativo : *nonne* obtulistis mihi? i. e. certe et mihi sacrificastis et nihilominus etiam idolis (cf. *Loch*, *Trochon*). Ita offendiculum illud vitatur, quod aliqui in eo cernunt, quod contra leges latas sacrificia nulla sint oblata. Immo non defuerunt, qui ex hoc loco invictum erui posse contenderent argumentum legislationem leviticam in deserto non esse datam. Hisce quidem ea versione locus eripitur ; neque ea versio ab usu particulae ה in hebr. abhorret; cf. 1 Sam. 2, 27, ubi *S. Hier.* vertit : « numquid non aperte revelatus sum »? et 1 Reg. 21, 19. At nostro in loco cum versionibus melius ex contextu sensus retinetur negativus; sed qui, uti fit in reprehensionibus, non sine quadam exaggeratione effertur. Quare minime sequitur legislationem in deserto factam a propheta nostro negari ; potius ea supponitur, quia sic demum vera consistit reprehensio, si agitur de cultu praescripto et promulgato, qui lege non obstante fuerit neglectus.

Versus hic tamen alio quoque nomine est satis difficilis. Verba quod spectat, variam veterum translationem commemorat *S. Hier.* : « in hebraico scriptum est *melchechem* (מַלְכְּכֶם) ; Aquila et LXX verterunt Μολχόμ, Symmachus et Theodotio *regis vestri*. Pro eo quoque quod in LXX legitur *Rephan* Aquila et Symmachus ipsum hebraicum

transferentes posuerunt *chion* (כיון), Theodotio ἀμαύρωσιν i. e. *obscuritatem*. Rursum pro *sochoth* (סכות) Aquila συσκιασμοὺς i. e. *tabernacula* (umbracula ?), Theodotio transtulit *visionem* ». Probabilissima textus hebr. interpretatio est haec : *portastis arcam regis vestri et Kaivan, idola vestra, stellam deorum vestrorum* scil. pro Iahve rege alium regem sibi elegerunt, cuius arcam diligenter secum portarunt ; nisi malueris mutato textu hebr. [1] cum veteribus legere *Moloch*, ut nomen dei ; quae mutatio simplicitate sua se commendat et concinnitate, quia ea facta, uti in altero membro nomen proprium *Kaivan*, ita in hoc *Moloch* apparet ; insuper ambiguum illud et obscurum *regis vestri* — quis enim est rex ille ? — tollitur. Contra punctationem masor. certe est *Kaivan* legendum. Nomen enim est, uti ex inscriptionibus *assyriacis viri docti eruerunt* [2], *Kaivanu*, quod inter alia *stella veri et recti, cuius caput erectum sit* vocatur. Eo quod apud Babylonios et Assyrios — textus enim assyriaci transsumpti sunt ex antiquissimis babylonicis — nomen *Kaivan* invenitur, illa quae de Kevan apud Arabes, Syros, Persas viri docti collegerunt (cf. *Movers*, Phoenizier I, 289 ; *Ges*. Thes. p. 669) egregie confirmantur et quae *Keil* obiicit, nomen non esse nisi iunioris originis, ex illis textibus assyriacis falsitatis arguitur. Iam *Kaivan* esse *Saturnus* perhibetur. Lectionem *Kaivan* ipsum illud nomen quod LXX praebent Ραιφάν commendat, cum facile literae K et P inter se potuerint commutari, vel si malueris in textu hebr. falso legerint ר pro כ, id quod alicubi accidisse notum est (cf. *Calm*. dissertatio de idololatria Israelitarum in deserto —). *Schrader* etiam in nomine סכות nomen idoli *Sak-kut* [3] deprehendere vult, id quod sit idem atque *Adar* (Adrammelech, Moloch-Adar) — cf. Studien u. Krit. l. c., Keilinschriften u. A. T. p. 443 — verum lectio illa *Sakkut-Adar*, quam *Schrader* profert ex II Rawl. 57, 40, valde incerta, immo falsa est, uti *P. Strassmaier* interrogantem me edocuit.

Potest quaeri, quomodo Israelitae ex Aegypto venientes idola assyriaca in deserto coluerint ? Difficultatem removet *Schrader* eo, quod iam v. 26 tempore futuro vertendum esse dicit sicut v. 27 sine ulla dubitatione verti debet : *portabitis*... i. e. abducemini in captivitatem et eo portabitis idola, quorum cultui nunc dediti estis. Sed veteres omnes versiones v. 26 de tempore praeterito intellexerunt ; et sane in altera acceptione quid sibi velit v. 25 difficile perspicitur. Accedit, quod vix ipsi captivi deos suos secum asportabunt ; victores potius simulacra subiectorum populorum in triumpho auferre sacri auctores produnt (cf. Is. 46, 1). Aegyptios sidera coluisse nemo negat ; quare *cultum* certe inde mutuari poterant. Utrum praeter *rem* idem *nomen* exstiterit apud Aegyptios, neque asseri neque negari potest ; id certum est, inter antiquos Babylonios et Aegyptios magnum quoddam intercessisse commercium.

Demum, quid *dies Domini* iis allaturus sit, vaticinio clare docet v. 27 « *et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus ; Deus exercituum nomen eius* » ; — sensum refert S. Stephanus Act. 7, 43 *et transferam vos trans Babylonem* ; migratione et translatione regni excidium atque interitus designatur. *Deus exercituum* copias hostium

---

1. Teste *de Rossi* unus codex hebr. revera praebet מלכם, quod cum LXX, *Syr*. consentit.
2. Cf. *Strassmaier, S. I.* Assyrisch — akkadisches Wœrterverzeichniss s. v. Ka-ai-ma-nu ; Studien und Kritiken, 1874 p. 387 ; *Schrader*, Keilinschriften und A. T. 2 ed. p. 443.
3. Vocem explicant : Haupt der Entscheidung, supremus iudex ; cf. *Delitzsch*, Wo lag das Paradies ? p. 215.

tamquam suae vindictae administras mittet (cf. Is. 13, 3); eo *nomine* Dei quasi sigillo vaticinium obsignatur et confirmatur; experientur scil. Deum non frustra tali nomine vocari.

e) Vae principibus populi 6, 1 - 7.

Erant principes sceleribus suis auctores et fautores ruinae populi; id quod optime delineat *Ezechiel :* « vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis et lanis operiebamini et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis; quod infirmum fuit non consolidastis... et dispersae sunt oves meae » (34, 1 - 5). Unde etiam Amos mentione facta captivitatis (5, 27) alterum *vae* principibus ingeminat 6, 1 « *Vae qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariae, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel* »; — simul cum Israel regnum Iuda perstringit, innuens eadem indole principes quoque Iuda agi et eadem mente sibi demum similem sortem esse paraturos. Certe non sine dolore integrum populum Dei cernit vates ex ducum luxuria et impietate infectum; mentionem fecerat commorationis in deserto (5 25), quare facile explicatur, cur ad totum populum oculos convertat; insuper vide 2, 4. Reprehendit fiduciam quam in opibus rebusque prosperis collocant; res quidem sub Ieroboam II feliciter gestae novusque regni splendor eam fiduciam vanamque securitatem quantopere fovere debuerint, in aperto est. At prophetae muneris simul erat, morbidam illam morum conditionem, quae sub prospera specie externa latebat, minime dissimulare, verum ad quem exitum demum res perventurae sint, clare praedicere. Principes ac duces populi in textu lat. primo a superbia et fastu carpuntur; *pompatice* i. e. superbo ingressu, regio quodam fastu, splendido comitatu ingrediuntur coetum Israel.

Haec versio, cuius quidem nullam rationem affert *S. Hier.*, orta videtur ex eo quod textum hebr. *ingrediuntur sibi domum Israel* explicaverit S. doctor et ethicum illud *sibi* per modum fastus ac superbiae exposuerit (cf. *Rib. Sanct.*); notat enim ad LXX *ingressi sunt sibi :* « pulchre dixit *sibi*, non enim ingressi sunt Deo, sed sibi ingressi sunt ». Textus hebr. *venit ad eos domus Israel* illorum principum dignitatem quam tueri debebant sed turpiter negligunt, demonstrat; ad eos scil. iuris quaerendi causa et consilii capiendi gratia in rebus difficilibus populus accedit. Praeterea textus hebr. eorum securitatem et superbiam hoc modo describit : *vae securis in Sion et confidentibus in monte Samariae, viris eximiis praecipui inter populos* i. e. qui suum populum primum ac praecipuum omnium iactant et se *nominatos*, insignes esse gloriantur in hac excellentissima gente. — LXX vertunt οὐαὶ τοῖς ἐξουθενοῦσιν Σιών et sim. *Syrus*; quare *Calm.* legi vult שׂנאים levi mutatione pro שׁאננים; i. e. vae qui odio habetis Sion et confiditis... quae lectio elegantem oppositionem effert

et maiorem sermonis unitatem quippe qui ad solos Israelitas dirigatur, servat; quare aliqui eam praeferunt (cf. *Trochon*). *Houbig.* emendat (cum *Syro*) שאמים — pro qua forma vide Ez. 16, 57 — at *S. Hier. Aq. Theod. Chald.* tuentur textum hebr. (cf. cod. syr. hexapl. p. 187), neque cum alias quoque Amos regnum Iuda respiciat (cf. 2, 4; 6, 5; 8, 14; 9, 11) et modo de Bersabee mentionem fecerit urbe in regno Iuda sita (5, 5), improbabilis est sensus textus hebr. qui insuper ex proximo etiam contextu facile fluere videtur (vide ad v. 1). Si vero Amos separationem a regno Iuda et *odium* quod habent in Sion reprobare voluit, mirum forte potest videri, hoc fieri uno tantum vocabulo et solummodo adeo obiter hoc loco, ut vix percipiatur, cum tamen crimen illud capitale fuerit multorumque malorum ferax (cf. ad Os. 1, 11). Accedit, quod v. 2 *num meliores sunt quam haec regna* (hebr.) duo regna Iuda et Israel exigi videantur, de quibus igitur v. 1 mentio adesse debet; nisi de plurali *intensitatis* mentionem ingerere malueris.

Secundum explicationen valde communem v. 2 sic adiungitur, ut ostensis urbibus gentilium opulentis ac florentibus propheta Israelitas commonefaciat, ipsos maiora illis ac meliora beneficia etiam temporalia a benigno numine accepisse: v. 2 « *transite in Chalane et videte et ite inde in Emath magnam et descendite in Geth Palaesthinorum et ad optima quaeque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est* »; — enumeratio a remotioribus ad viciniora et proxime adiacentia procedit. *Chalane* (Gen. 10, 10) urbs in Sinear, quam aliqui *Nipur* (*Niffer*) esse volunt[1]; *Emath*, urbs ad Orontem, quae postmodum Epiphania vocabatur; *Geth*, vel Gath una ex praecipuis civitatibus Philisthinorum; urbes has *florentes* supponi[2], veteres interpretes fere agnoscunt (cf. *Ps. Ruf. Cyr. Theod. Theod. M. Rup. Alb. Rib. Sanct. Lap. Men. Mar. Tir. Gord.*) et recentiorum multi (cf. *Schegg, Keil*). Regnum igitur potentissimum in Sinear fundatum, regnum Syrorum et dominationem Philisthinorum ut animo considerent, vates monet; quare? *estne latior terminus eorum termino vestro, num meliores regnis istis* (hebr.)? ne igitur ingrati sint erga Deum (cf. *Cyr.*). Deus enim populo suo bene providit; terra fertili et regno inter alia gentium regna satis conspicuo exornavit. Apte *Alb.* monet, simili ratione a Ieremia populum amandari, ut aliorum exemplo se esse ingratos discant: « transite ad insules Cethim et videte, et in Cedar mittite... si mutavit gens deos suos ».

Aliter *Schegg*; esse scil. ea verba superborum Israelitarum, quibus securitatem suam et falsam fiduciam exprimant, se scil. reliquis esse potentiores. Aliam

---

1. Cf. *Strassmaier*, Akkadisch — assyr. Wœrterverzeichniss s. v. Kal-unu. *Delitzsch* (Wo lag das Paradies? p. 225) affert *Zirlab*, sed negat urbem recte cerni in Zerghul.
2. Gath quidem urbs ab Ozia capta est murique eius diruti (2 Par. 26, 6); at urbs non videtur diu sub Iudaeorum imperio remansisse; cf. Mich. 1, 10; et quae habentur Am. 1, 7 de Azoto urbe pariter ab Ozia capta.

explicationem iam *Ephr.* et *Calm.* proponunt; eas scil. urbes iam esse devictas captasque, « qui ea regna easque arces ruere vidistis, an futurum speratis, ut validiores vobis sint resistendo vires, illisne meliores estis? aut regibus eas defendentibus fortiores »? Eam explanationem recentiorum quoque aliqui sequuntur. Sed in ipso textu nullum adest ruinae illarum urbium vestigium, neque ex rerum gestarum historia certum quid proferri potest, quo excidium demonstretur. Dr. *Bickell* versum hunc pro glossa seriori habendum esse vult (cf. carmina vet. test. metrice — supplementum et *Schrader* Keil. u. d. A. T. p. 445); eius rationes ultimo loco expositae sunt hae: a) versum hunc non aptari ad metrum, quod 6, 1-7 stichis heptasyllabis constet; b) nexum grammaticalem interrumpi, qui sit inter v. 1 et 3; c) sensum nullo modo apparere convenientem. At haec tamen rem non evincunt; nam a) potest versus adhibitis paucis emendationibus ex versione graeca legi ut complectens quinque stichos trochaicos octosyllabos; b) nexus grammaticalis minime interrumpitur; nam participium in v. 3 הַמְנַדִּים non referendum est (ut mire censet *Bickell*) ad suffixum in מִגְּבֻלְכֶם, verum facillime refertur ad imperativos *transite, ite, descendite*; c) sensum supra dedi; nequi dici potest, alienum esse a serie rerum et cogitationum id, quod Deus dicatur aliis minora beneficia temporalia praestitisse. Ea vero difficultas tollitur etiam facilius in explicatione, quam *Schegg* proponit quaeque versu 3 valide commendatur, quippe qui ex hebr. dicit illos omne periculum longe abesse censere. Versum *Schrader* quoque eiicit; at ea solum ratione, quia tempore Amos urbes illae nondum destructae erant; verum textus supponit illas florere.

Illis *confidentibus* et ingratis media in opulentia et securitate sortem et poenam denuntiat v. 3 « *qui separati estis in diem malum et appropinquatis solio iniquitatis* »; — i. e. « quibus tempus ultionis impendet, cui vos estis ita dicati, ut videamini ad hoc prorsus electi » (*Ps. Ruf.*) et statim post interminationem rationem subiungit: quia ad sedem iniquitatis quam proxime accedunt, illam circumcingunt i. e. iniquitati in medio populo quasi thronum et sedem erexerunt, cui ipsi fideliter assistunt, praesertim impia iudicia exercentes et pauperes opprimentes (cf. *Ps. Ruf. Sanct.*). Aliis placet etiam in hoc membro poenae declarationem cernere: solio Assyrii servi et captivi mox appropinquabitis (cf. *Alb. Rib. Mar. Sa, Tir.*); sed *solio appropinquare* eo sensu est plane inauditum et id quod rei caput est, servitutis scil. et captivitatis notio suppleri debet.

S. Hier. hebr. המנדים vertit sicut *Aq. Sym. Theod.* (cf. cod. syr. hexapl.) scil. passive. Textus masor. fert הַמְנַדִּים *repellentes*, vel *spernentes* diem malum; vel ut aliis placet cum *Chald.*, *removentes* i.e. remotum esse censentes; dum diem malum *removent*, tamen oppressionis, violentiae (hebr.) sedem *admovent* et quasi apportant. LXX habent οἱ εὐχόμενοι εἰς ἡμέραν κακήν; vel alia lectione, cui cod. syr. hexapl. suffragatur, οἱ ἐρχόμενοι; priorem *Syrus* imitari videtur.

Propheta pergit in enarrandis causis, cur illis *vae* dicat; ad oppressionem et iniustitiam adiungunt luxuriem, ebrietatem . .v. 4 « *qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege et vitulos de medio armenti;* v. 5 *qui canitis ad vocem psalterii; sicut David putaverunt se habere vasa cantici,* v. 6 *bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti; et nihil patiebantur super contritione Ioseph* »; — « cum haec passuri sitis, nunc dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis mollibus, ut somno libidinem copuletis » *(Hier.);* alii de molliore cubatione in conviviis verba explicant et sane hebr. שכב *accumbere, cubare* potest significare; cubandi vero modum describit delicatum, mollem, voluptuosum, quo *sese distendunt* super strata sua; ad quod sequentia spectant: « qui comeditis non ad repellendam famem et ad sustentandum corpus humanum, sed ad delicias atque luxuriam, ut quidquid in gregibus et in armentis [1] tenerum atque pingue est, vestrae gulae paretis; quibus non sufficit libido . . . , nisi et tibiarum et psalterii et lyrae canticis aures vestras mulceatis, ut quod David fecit in cultum Dei levitarum ordines et organorum reperiens varietates, vos ad voluptatem et luxuriam conferatis » *(Hier.).* Hebr. *ut David excogitant sibi vasa cantici* i. e. instrumenta musica; ex his unum nominatur: *garrientes* [2] *ad rationem nablii* i. e. temulente modulantes et ineptas cantilenas effutientes ad sonum citharae; nablium scil. ex Iosephi descriptione citharae genus est duodecim [3] chordis instructum, quod digitis, non plectro carpatur. Certe simul cum instrumentis varii modi intelliguntur; immo hos modos canendi et ludendi praecipue sibi excogitare et ad voluptatem invenire dicuntur heluones illi. Ad rei sacrae irrisionem illud *sicut David* referri videtur; ita rem concipit *Ps. Ruf*: « hisque flagitiis etiam contumelias antiquitatis adiungitis, dicentes videlicet, ea vos habere organa, quae David beatissimo suppetiverint; neque miseri consideratis tantum inter studia, quantum inter merita vestra atque illius interesse. David enim laudes creatoris legesque virtutis et remedia perturbationis sacro carmine personabat; vos vero e contrario incentiva luxuriae cum iniuria creatoris concrepatis . . ». Cum hebr. מִזְרָק *phiala* ubique in sacris literis sit vas, quo spargitur sanguis victimarum, vel phiala, patera *sacrifica* [4] et illi ex talibus phialis vini (hebr.) bibere dicantur, rei sacrae profa-

---

1. Hebr. *de medio stabulo,* scil. saginario; מַרְבֵּק *S. Hier.* etiam Mal. 3, 20 *armentum* transtulit; alias עגל מ׳ vertit *vitulus pascualis* (1 Reg. 28, 24) vel *saginatus* (Ier. 46, 21).

2. Ita פרט explicant: spargere, verba effutire; videtur dici nostro loco de ineptis cantilenis temulentorum; LXX ἐπικροτοῦντες strepitum facientes, vel plaudentes.

3. Verum נֵבֶל עָשׂוֹר Ps. 33, 2; 144, 9 psalterium *decem* chordarum indicat; cf. *Ges.* s. v. et s. כִּנּוֹר; LXX vocem vertunt νάϐλα, ναῦλα.

4. Cf. Ex. 27, 3; 38, 3; Num. 7 saepe per totum caput; Num. 4, 14. 1 Reg. 7, 40. 50.

natio et abusus videtur accusari. Demum se ungunt *primitiis oleorum* (hebr.) i. e. optimis et exquisitis, in signum laetitiae et deliciarum gratia. Dum vero ita vitam genialem vivunt, nullo modo tanguntur *contritione*, ruina, confractione, excidio et interitu miserrimo populi; animos enim habent obduratos, suis cupiditatibus plane immersos. Quid enim ad tales homines aliorum miseria, vel regni Dei damnum et rerum omnium divinarum collapsus? *nihil dolere, nihil angi de contritione Ioseph* proverbiali ratione dici et usurpari censet *Sanct.* ex narratione illa Gen. 37, 25 : « miserunt eum in cisternam veterem . . . et sedentes ut comederent panem; de his ergo proprie dici posset *bibentes vinum nihil patiebantur super contritionem Ioseph;* et hoc ipsum per metaphoram proverbiali forma dici posset de omnibus, qui molliter et delicate vivunt neque de fratrum suorum incommodis laborant », vel etiam refert ad Gen. 40, 14. 23. — Principum et ducum ingluviem et animos eorum sine affectione bene delineat, quod monet *S. Hier.*, Ezechiel (34, 3, 4).

Quapropter stuporis, duritiei, voluptatis poenas dabunt v. 7 « *quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium et auferetur factio lascivientium* »; — hebr. *et recedit convivium* (?) *iubilus* (?) *lascivientium* [1]. Bene notat *S. Hier.* : « vos qui primi estis divitiis, primi captivitatis sustinebitis iugum, secundum illud quod in Ezechiele scriptum est: « a sanctuario meo incipite » (Ez. 9, 6); *et auferetur*, inquit, *factio lascivientium*, qui in capiendis voluptatibus unum habuere consensum et comessationes exercuere et symbola, hi pariter auferentur, ut quorum una fuit luxuria, una sit poena »; neque abs re advertit *Sanct.* etiam hic in thecuano armentario et rustico propheta aliquod rhetoricum inveniri artificium, « ad verbum enim qui unguentorum capite delibuti sunt (v. 6), iidem in capite migrabunt transmigrantium ».

Monent *Rup. Sanct. Estius,* S. Augustinum ex hoc loco demonstrare, ne in isto quidem propheta, qui de pastore assumptus sit deesse illam, qua saeculares adeo tumeant, eloquentiam. Libet adscribere locum, etsi sit longior; ita S. Augustinus (de doctrina christ. 4, 7. M. 34, 96) : « dicendum mihi aliquid esse video et de eloquentia prophetarum, ubi per tropologiam multa obteguntur, quae quanto magis translatis verbis videntur operiri, tanto magis cum fuerint aperta dulcescunt. Sed hoc loco tale aliquid commemorare debeo, ubi quae dicta sunt non cogar exponere, sed commendem tantum quomodo dicta sunt. Et ex illius

---

2 Reg. 23, 15. 1 Chron. 28, 17; 2 Chron. 4, 8. 22. Ier. 52, 18. 19. Zach. 9, 15; 14, 20. Neh. 7, 70.

1. Vocem מַרְזֵחַ *S. Hier.* Ier. 16, 5 vertit *convivium,* quod vox chaldaica revera significat cf. *Levy,* Chald. Woerterb. II p. 68. Sed ex veterum versionibus potius *clamorem altum, inconditum, iubilum* significare videtur; ita LXX h. l. habent χρεμετισμός, Ier. 16, 5 θίασος. *Syrus* exprimit *exsultationem.* In textu hebr. h. l. advertitur iucunda paronomasia.

prophetae libro potissimum hoc faciam, qui se pastorem vel armentarium fuisse dicit, atque inde divinitus ablatum atque missum, ut Dei populo prophetaret .... (dein dicit, se verba depromere non a LXX, sed ex versione S. Hieronymi). Cum igitur argueret impios, superbos, luxuriosos et fraternae ideo negligentissimos caritatis, rusticus vel ex rustico iste propheta exclamavit dicens : *vae qui opulenti estis in Sion* etc. v. 1 - 6. Numquidnam isti, qui prophetas nostros tamquam ineruditos et elocutionis ignaros veluti docti disertique contemnunt, si aliquid eis tale vel in tales dicendum fuisset, aliter se voluissent dicere, qui tamen eorum insanire noluissent? Quid enim est quod isto eloquio aures sobriae plus desiderent? Primo ipsa invectio, quasi sopitis sensibus, ut evigilarent, quo fremitu illisa est? *Vae qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariae* . . . Deinde ut beneficiis Dei, qui eis ampla spatia regni dedit, ostendat ingratos, quoniam confidebant in monte Samariae, ubi utique idola colebantur, *transite,* inquit, *in Chalanne et videte et ite inde in Emath magnam* etc. . . Simul etiam cum ista dicuntur, locorum nominibus tamquam luminibus ornatur eloquium, quae sunt Sion, Samaria, Chalanne, Emath magna, et Geth Palaesthinorum. Deinde verba quae his adiunguntur locis decentissime variantur.

Consequenter denuntiatur futura sub iniquo rege appropinquare captivitas, cum adiungitur : *qui separati estis in diem malum et appropinquatis solio iniquitatis.* Tunc subiiciuntur merita luxuriae : *qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege et vitulos de medio armenti.* Ista sex membra tres bimembres circuitus ediderunt. Non enim ait : qui separati estis in diem malum, qui appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, qui lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege et vitulos de medio armenti; si ita diceret, esset quidem et hoc pulchrum, ut ab uno pronomine repetito singula sex membra decurrerent et pronuntiantis voce singula finirentur; sed pulchrius factum est, ut eidem pronomini essent bina subnexa, quae tres sententias explicarent : unam ad captivitatis praenuntiationem : *qui separati estis in diem malum et appropinquatis solio iniquitatis;* alteram ad libidinem : *qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris;* ad voracitatem vero tertiam pertinentem : *qui comeditis agnum de grege et vitulos de medio armenti,* ut in potestate sit pronuntiantis, utrum singula finiat et membra sint sex, an primum et tertium et quintum voce suspendat, et secundum primo, quartum tertio, sextum quinto connectendo tres bimembres circuitus decentissime faciat, unum quo calamitas imminens, alterum quo lectus impurus, tertium quo prodiga mensa monstretur.

Deinde luxuriosam remordet aurium voluptatem. Ubi cum dixisset : *qui canitis ad vocem psalterii,* quoniam potest exerceri sapienter a sapientibus musica, mirabili decore dicendi, invectionis impetu relaxato, et non ad illos sed de illis iam loquens, ut nos musicam sapientis a musica luxuriantis distinguere commoneret, non ait : qui canitis ad vocem psalterii et sicut David putatis vos habere vasa cantici; sed cum illud ad illos dixisset, quod luxuriosi audire deberent *qui canitis ad vocem psalterii,* imperitiam quoque eorum aliis quodammodo indicavit adiungens : *sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum et optimo unguento delibuti.* Tria haec melius pronuntiantur, si

suspensis duobus prioribus membris circuitus tertio finiantur. Iam vero quod his omnibus adiicitur *et nihil patiebantur super contritione Ioseph*, sive continuatim dicatur ut unum sit membrum, sive decentius suspendatur *et nihil patiebantur*, et post hanc distinctionem inferatur *super contritione Ioseph* atque sit bimembris circuitus, miro decore non dictum est nihil patiebantur super contritione fratris, sed positus est pro fratre *Ioseph*, ut quicumque frater proprio significaretur eius nomine, cuius ex fratribus fama praeclara est, vel in malis quae pendit, vel in bonis quae rependit. Iste certe tropus ubi Ioseph quemcumque fratrem facit intelligi, nescio utrum illa, quam didicimus et docuimus arte tradatur. Quam sit tamen pulcher, et quemadmodum afficiat legentes atque intelligentes, non opus est cuiquam dici, si ipse non sentit ».

Habes specimen, quanta cum sedulitate S. doctor minores etiam illas dicendi figuras, collocationem verborum, sententiarum nexum atque structuram expenderit, laudaverit et ad artis rhetoricae praecepta accommodata esse omnia cum magna prophetae laude demonstraverit.

f) Confirmantur minae 6, 8 - 15.

Minis prolatis additur maxima quae fieri potest confirmatio et asseveratio ex iureiurando Dei (cf. *Alb. Sanct.*) v. 8 « *Iuravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum : detestor ego superbiam Iacob et domos eius odi et tradam civitatem cum habitatoribus suis* » ; — hebr. *civitatem et plenitudinem eius;* sensum reddidit *Hier.* Iurisiurandi sacramento declaratur iudicium imminens iam nulla ratione posse averti, esse proinde illius vaticinium omnino *absolutum*; Deus enim volens ostendere immobilitatem consilii sui interponit iusiurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, certissimum habeant rerum futurarum terrorem (cf. Hebr. 6, 17. 18). Deus iurat *per animam suam* i. e. per se [1], per vitam suam, uti alias *vivo ego* (*Sanct. Men.*), vel asseverat ex intimo affectu (*Alb.*) ; « more nostro dictum, quibus loquebatur, intellige : ut quoniam nihil pretiosius anima nostra aut dulcius aestimamus, ille quoque... maiestatem et vitam suam animae appellatione signaverit » (*Ps. Ruf.*). *Superbiam* i. e. illa in quibus falsam fiduciam et securitatem collocant omnemque eorum pompam (v. 1 — cf. *Schegg*), eorum *palatia* (hebr.) iniustis exactionibus aedificata et pauperum oppressione et iustitiae violatione locupletata (5, 11) Dominus abominatur. Cur *Iacob* mentio fiat, *Rib.* explicat : « habet nescio quid latentis emphasis hoc in loco nomen Iacob, quoniam sanctus patriarcha semper Iacob dictus cum in humili fortuna versaretur, donec

---

1. *Chald.* hic et 4, 2 et fere ubique Deum facit iurantem בְּמֵימְרֵיהּ per *verbum* suum.

humilitate et obedientia sua nomen magnae dignitatis accepit... subindicat ergo turpissimam esse superbiam et omni supplicio dignam in illius filiis, qui cum esset parvus, humilitate magnus effectus est ».

Bello erunt puniendi, hostibus tradentur. At tale erit iudicium, ut qui belli pericula et hostium insectationem evaserint, peste abripiantur; v. 9 « *quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur* » ; — i. e. si cladem communem fugientes decem in una se abdiderint domo, vel si ex una stirpe vel familia potenti decem superfuerint (*Sanct.*), isti in ipsis latibulis mortem obibunt; « *decem* nominat ideo, quia supra (5, 3) mille deduxit ad centum et centum ad decem et ne credatur, quod illis decem parcere velit » (*Alb.*); id certe innuit, stragem fore bello et peste communissimam et paucos superstites (cf. 3, 12).

Terrorem vero et desperationem in communi illa morte iam singulari exemplo illustrat v. 10 « *et tollet eum propinquus suus et comburet eum, ut efferat ossa de domo, et dicet ei qui in penetralibus domus est: numquid adhuc est penes te?* v. 11 *et respondebit: finis est. Et dicet ei: tace et non recorderis nominis Domini* » ; — hebr. *et tollit eum propinquus eius et pollinctor*[1] *eius, ut efferat ossa de domo* i. e. propinquus qui curam gerit corporis concremandi et sepeliendi — tempore belli et pestis corpora etiam apud Israelitas cremabantur et ossa dein sepeliebantur; in poenam criminum etiam combustio statuebatur cf. 1 Reg. 31, 12. 13. Lev. 20, 14; 21, 9 — « hic qui in penetralibus esse dicitur et quem alloquitur propinquus, aut est aliquis, qui de decem viris superstes fuerat, aut quem exploratorem miserat, qui intima scrutaretur domus penetralia et tabida atque foetentia cadavera foras efferret; hunc igitur rogavit propinquus, cum iam aliquot cadavera protulerit, an aliquid praeterea supersit, quod in abdito domus secessu puteat; quae vox eius est, qui ex gravi fortuna duroque conflictu magnam esse hominum cladem suspicatur. Et respondet superesse adhuc neminem, aut mortuum quem producat et cremet, aut vivum qui in illis latebris mortem effugerit; quasi dicat iam actum esse prorsus de civibus » (*Sanct.*). *Et dicet ei*, non idem ille, qui modo dixerat : *finis est*, sed, ut rite veteres et plerique recentiorum (e contra *Hitz.*) explicant, is dicit, qui quaestionem posuerat, *tace;* quo sensu vero dicatur *et non recorderis...* interpretes non consentiunt. Censent nempe alii, significari animum incredulum, qui ne malorum pondere quidem et necessitate compulsus nomen

1. Ita scil. מְסָרְפוֹ - מְשָׂרֵף *comburens*, pollinctor; cf. *Houbig.* Vocem de combustione *Chald.* quoque explicat. Rabbini posteriores vocem explicant *propinquum;* cf. *Ges. Fürst L.* et similem notionem iam exprimunt LXX et *Syrus.* — « Melius משרפו per ש legunt codices quamplures kennicottiani ac mei » *de Rossi* ad h. l.

Domini velit confiteri (*Hier. Rup. Alb.*); alii, animi desperantis esse verba (*Gord. Schegg*); alii, ab illo dici, qui timeat, ne commemorato nomine Domini Dominus ad ulteriorem plagam infligendam provocetur et eius quasi admoneatur (*Ps. Ruf. Hitz.*); alii e contra censent, verba esse adhortantis, ne alter in blasphemias malorum pondere pressus prorumpat (*Cyr. Sanct. Sa*); alii demum in iis animum cernunt exprimi atque depingi impatientem et Deo indignantem tamquam malorum illorum auctori; « ne mihi Dominum nomines, nolo eius nomen audire, qui nos tot calamitatibus affecit » (*Rib. Men. Tir.*); mitius id *Calm.* interpretatur : « ne Deum exorando labores, ut te his malis liberet; te quippe non audiet ». Iam difficile est esse arbitrum inter tot sententias. Certe cumulus quidam malorum et extrema miseria designatur, quare illi a vero minime aberrare videntur, qui verba desperantium vel nova pericula timentium ibi audiunt; ipsum scil. nomen Domini, quod populo in salutis signum et electionis pignus est promulgatum (Ex. 6, 3), iam iis videtur omen malorum et propter eximiam iniquitatem *Iahve, qui est,* Deus fidelissimus, qui promissis stat immutabilis, iis iam non est nisi malorum auctor quem horrent et a cuius nominis invocatione tamquam a malo omine et malorum praesagio abstinent; quia est Deus foederis, quod foede violarunt, ideo eum invocare *Deum foederis*, idem fere est quam eum ad maiorem vindictam provocare vel ad eius memoriam violationem foederis reducere.

Fore autem talem rerum omnium ruinam vates confirmat : v. 12 « *quia ecce Dominus mandabit et percutiet domum maiorem ruinis et domum minorem scissionibus* »; — i. e. domum magnam rupturis, minorem fissuris (*Ros.*), integram reipublicae conditionem evertet, palatia et casulas, divites et pauperes percutiet (*Theod.*); multi duo regna Israel et Iuda significari volunt (*Hier. Ps. Ruf. Cyr. Alb. Rib. Lap. Men. Tir.*), *S. Ephr.* vero regnum Israel et Syriam; *Calm.* modum loquendi proverbialem agnoscit; certe verba stragem communem et universalem dicunt; sed domo maiore et minore regnum Israel et Iuda exprimi, nullo exemplo simili suaderi potest.

Talis autem strages prorsus necessario iis infligitur, quia contra rerum naturam et ordinem omnia perverterunt id perpetrantes, quod fieri non posse et naturae repugnare censeri debeat; ita enim horrorem criminum exaggerat v. 13 « *numquid currere queunt in petris equi aut arari potest in bubalis? quoniam convertistis in amaritudinem iudicium et fructum iustitiae in absinthium* »; — i. e. « numquid possunt immutari rerum naturae, ut equi currant per petras et rupes more avium, aut *bubali* i. e. boves silvestres (atque indomiti) iugum recipiant et arent? hoc dico, quoniam vos rerum naturas quodammodo immutatis; nam cum deberetis facere iudicium, i. e. opera pietatis et iustitiae, ut

populum Dei decebat, haec quae Deo dulcia sunt, vertistis in amaritudinem, in peccata Deo amara et pro fructu iustitiae, quem ferre debuistis cum eius semina a Deo accepissetis, tulistis absinthium, i. e. olera amarissima » (*Rib.*); vel uti naturae repugnat, equos incitari ad cursum in locis petrosis, ita repugnat eorum agendi modus; est enim quasi quaestio indignabundi : num iam omnia susque deque vertenda sunt? quia vos normam veri et iusti plane invertitis (cf. *Sa*, *Mar. Lap. Calm.*)? *Iudicium* i. e. iura et iustitiam in iudiciis et generatim id quod rectum et iustum et debitum est; id *in venenum* vertunt scil. iura omnia violantes, alios opprimentes; et ex tali radice non iustitiae fructus dulcis enascitur verum absinthium, sibi aliisque durum excidium praeparant.

Comparatio illa varie concipitur. Et *S. Hier.* quidem illam prius ad antecedentia refert; « utriusque domus ruinas, scissiones equis et bubalis comparat, quorum priores in petris currere nequeunt, posteriores tam indomiti sunt, ut iugum cervicibus non recipiant, et cum silvestres boves sint, propter feritatem nolint terram vomere scindere »; at statim aliam acceptionem subdit : « vos autem cum equi et bubali naturam suam mutare non possint, mutastis naturam Dei, ut dulcem amarum faceretis et fructum iustitiae eius in absinthium verteretis, quae est herba amarissima » (sim. *Alb.*); intelligi *iudicium Dei* quod sibi in durum mutaverint, etiam *S. Cyr. Theod. M. Rup.* censent. Alio comparationem trahit *Ps. Ruf.*, irrideri scil. Israelitas a Deo, qui iuga discussisse et frenos rupisse gaudentes equi sibi in luxuria, in virtute et libertate bubali viderentur et tantum sibi virium arrogarent, ut nullis incommodis se percellendos censerent, fore se scil. instar bubalorum in perpetua libertate, neque unquam esse incedendum sibi per itinera difficilia. Neque multum ab hac re abludit, quod inter alia *Sanct.* proponit : dici scil. ea verba a derisoribus, qui plus satis suis viribus et petrosi soli naturae confiderent; sibi enim ab hostibus nihil esse timendum; defendi se soli asperitate et sua fortitudine; nihilo magis acturos esse Assyrios hostes, quam equos inter aspera et praerupta saxa, aut bubalos, si iisdem saxis vomerem vellent imprimere. — Verum in contrarium explicant *Cyr. Theod.* : « equi quidem in petris currere non possunt, hostes vero contra vos incursabunt ». Comparationem ita supplendam esse opinatur *S. Ephr.* : sicut equi nequeant currere super scopulos, sic nec futurum fuisse, ut hostes Israelitas in potestatem redigerent; sed *quoniam converterint iudicium,* illos iri subiectum. Alii in eo melius explicant, quod duo versus membra arcte inter se connecti perspiciunt : « praepostere laboratis, cum ex sceleribus augere conamini vos vestramque rempublicam; perinde enim facitis ac si in praeruptam rupem aut equum ad cursum aut boves ad arandum incitaretis » (*Tir.*); sim. *Keil* iustitiae laesionem non posse esse saluti, et *Schegg,* non esse eam sine magno periculo; rem etiam alio inflectit *Men.*, ita scil. fieri non posse, ut ii suis pessimis moribus viam divinorum mandatorum decurrant. — Sed omnium certe explanationum planissima ea est, quam selegimus. — Hebr. *num arabit* (quis) *cum bobus?* facile ex priore membro suppletur : *in petris* cf. *Sanct. Lap. Mar.*; alii

malunt cum *S. Hier.* non boves, sed bubalos feros et indomitos intelligere (*Ps. Ruf. Alb. Rup. Rib. Sa, Men. Calm. Schegg*); verum estne בקר bos bubalus? — Id quod LXX habent εἰ παρασιωπήσονται ἐν θηλείαις; facile, uti iam notat *Lap.*, ex hebr. mutatione parva literarum explicatur; est enim חֵרֵשׁ tacere et pro בבקרים legisse videntur בנקבים (?) [1].

Porro declaratur, quantopere rerum ordinem pervertant v. 14 « *qui laetamini in nihilo, qui dicitis : numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua* » ? — illud *nihilum* non tam sunt idola (*Hier. Alb. Sa*), sed potius id, quo statim ipsi suam laetitiam et superbam iactantiam produnt, *fortitudo (Ps. Ruf. Cyr. Lap.),* qua sibi ipsi potentiam comparaverint. *Cornua* vires dicunt et potentiam, quibus inimici repelluntur et ventilantur ; nonne ipsi nobis nostra virtute victorias comparavimus et aliis sumus terrori? quae iactatio temporibus Ieroboam et prosperis rerum eo tempore successibus omnino congrua est.

At quo magis superbiunt, eo certius et clarius propheta interitum annuntiat ; quare denuo, uti v. 12, iisdem verbis (כִּי־הִנֵּה) vaticinium vertit idque forma etiam magis determinata profert v. 15 « *ecce enim suscitabo super vos domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti* » ; — cf. 2, 13 - 16 ; 3, 11 - 15 ; 5, 1 - 3. 9. 11. 16 et seq. 27 ; minas hisce locis prolatas quasi in unum colligit et ita vaticinio claro et determinato finem imponit huic parti designans Dei instrumentum ad exercendam vindictam. *Ab introitu Emath usque ad mare solitudinis* 4 Reg 14, 25 regnum Israel a Ieroboam restitutum auctumque continebatur i. e. usque ad mare mortuum ; probabile est eosdem terminos etiam hoc loco describi (cf. *Theod. Theod. M. Sanct. Calm. Schegg, Keil*), quamvis, ubi accurate *torrens deserti* quaerendus sit, non est una omnium sententia. *S. Hier.* ab Emath usque ad Rhinocoruram explanat [2] et duo regna Israel et Iuda comprehendi vult (sim. *Ps. Ruf. Rib. Lap.*) ; alii torrentem medium inter Moab et Edom intelligunt, qui hodie *Wady el Ahsy* di-

---

1. *Hitz.* cum aliis ita dispungendum censet בַּבָּקָר יָם num quis cum bobus mare arat? *litus arare bubus* in proverbium abiit de re plane inutili ; cf. *Ovid.* Her. 5, 116. Trist. 5, 4, 48.

2. Adnotat *S. Hier.* : « Symmachus interpretatus est *vallem campestrem* ; Theodotio *torrentem Arabiae* (—at certe legendum erit *Araba* ; cf. cod. syr. hexapl. et fragm. hexapl. τῆς Ἀραβᾶ —), Aquila *torrentem qui est in planitie* ». Ultimum etiam *Chald.* praebet. LXX habent τοῦ μὴ εἰσελθεῖν εἰς Αἱμὰθ καὶ ὡς τοῦ χειμάῤῥου τῶν δυσμῶν ; est enim מַעֲרָב *occasus, regio occidentalis* ; verba ea *S. Cyr.* explicat de Aegyptiorum flumine ; hostes eam importaturos esse vexationem, ut neque Damasci neque Aegypti copias ad opem ferendam accersere possint.

citur (cf. *Hitz. Keil, Trochon* — vide Is. 15, 7); alii rem in medio relinquentes unum aliquem ex multis torrentibus esse dicunt, qui ex regione transiordanica in mare mortuum influat (*Schegg.*).

Ita paucis sed validis verbis propheta regnum Israel excidio devoveri ait eo tempore, quo quam maxime floret; sicuti Isaias ultimo anno Oziae, sub quo regnum Iuda refloruit, idem regnum vastationi fore obnoxium vidit (Is. 6 cp.). Prophetarum enim est specie illa externa non decipi, verum splendore proculcato omnibus id unum inculcare, quod res florentissimae concident, nisi pietate et fidelitate in Deum fulciantur.

Concludit *S. Ephr.* hoc caput: « sic certe (Dominus) baculo suo cornua, capita inimicorum suorum, qui suis viribus confidunt, confringet; dicit vero, populum qui auxilio Dei gentes olim suffoderat et profligaverat, iam vice versa a gentibus iri contritum, quia propter peccata eos ope sua destituit ».

TERTIA PARS

VISIONES SYMBOLICAE DE EXCIDIO ISRAEL CP. 7-9.

ARG. — Etiam haec pars tribus sectionibus, sed inaequalibus, constituitur. Duae enim priores visiones, quibus poena *locustarum* et *ignis* exhibetur, id habent commune, ut Dominus precibus prophetae exoratus a castigatione infligenda desistat. Hisce igitur primam sectionem constare censemus (7, 1-6). Subsequuntur aliae duae visiones, quae iudicium imminens quod iam non averti possit symbolice adumbrant; post utramque visionem vates aliqua interponit, quibus et poenae infligendae necessitas magis declaratur et poena ipsa accuratius determinatur. Ita priorem visionem de *trulla caementarii* subsequitur narratio de persecutione et accusatione in prophetam mota et denuntiatio poenae in persecutorem ferendae; post alteram de *uncino pomorum* visionem vates longiore oratione et scelera iniustitiae perstringit et poenae gravitatem proponit (7, 7-8, 14). Ea sane apte alteram sectionem constituunt. Ultimum autem caput id singulare habet, ut prophetae in visione symbolica excidium templi hierosolymitani et ruina *totius theocratiae* proinde etiam regni Iuda ostendatur. Sed simul declaratur, fore instaurationem gloriosam collapsi tabernaculi David et regnum universale, perpetuum, uberrima benedictione insignitum (cp. 9). Ita cap. 9 satis ab antecedentibus discernitur et cum veteris theocratiae sortem et instaurationem messianicam complectatur, toti vaticinio apte finem imponit, ostendens fastigium illud et perfectionis culmen, ad quod tota V. T. institutio est ordinata.

I. — PRIMA SECTIO : PROPHETAE INTERCESSIO PRO POPULO 7, 1-6.

Inter praecipua, quibus propheticum munus insigne erat, illud imprimis recenseri debet, quod prophetae, uti Dei mandata, promissiones, minas ad populum deferebant, ita populi afflicti culpisque obnoxii causam apud Deum agebant intercessione et obsecrationibus. Tangebantur enim misericordia populi et eo, quo apud Deum favore fruebantur, ad gratiam Dei pro miseris implorandam et ad efflagitanda pro iis bona utebantur, veri scil. et potentes advocati populi. Quod enim Ieremias de se profitetur : « recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bona et averterem indignationem tuam ab eis », non exiguam muneris prophetici et partem et dignitatem continet; prophetarum nempe erat *opponere murum pro domo Israel et stare in die proelii* ; unde in rebus angustis ad prophetas tamquam apud Deum intercessores et mediatores et rex et populus confugit (Is. 37, 2 — et de hoc officio prophetali vide Ier. 14, 13 ; 18, 20. Ez. 9, 8. Hab. 1, 12) ; quod si Deus exacerbatus propter scelera et ad certam poenam infligendam omnino determinatus, hanc pro populo intercessionem et obsecrationem quandoque prophetis interdicit (cf. Ier. 7, 16 ; 11, 14 ; 14, 11) vel frustra eam adhiberi statuit (cf. Ez. 14, 14 - 20), hoc ipso, quantum eorum deprecatio valeat, comprobatur.

Eodem intercessionis munere Amos quoque functus est, neque frustra. Bis enim castigationem, quam Deus iamiam erat devoluturus in populum infidelem, suis precibus avertit. Quando id factum fuerit, ipse non refert; verum ex ipsa rei natura sat facile colligitur, id evenisse initio muneris, antequam populi interitum iam certo instare eumque averti nulla ratione posse vaticinari debuerit. Ipse *visionibus* eruditur divinitus menti eius immissis et symbolis rerum exhibitis. Haec cum in animo eius fiunt et a Deo effici intelliguntur, simul pro ipso propheta pignora sunt divini commercii et certissima divinae missionis documenta et solatia in rerum difficultate suavissima, quibus prophetae animus erigeretur et confortaretur. In eo quod visiones omnes in extremam libri partem post vaticinia edita reservatae sunt atque collectae, facile dixeris ipsum prophetam res inter se similes ordine hoc disposuisse.

Eadem formula (7, 1. 4. 7 ; 8, 1) visiones a Deo sibi immissas clare docet : v. 1 « *Haec ostendit mihi Dominus Deus : et ecce, fictor locustae in principio germinantium serotini imbris ; et ecce, serotinus post tonsionem regis* » ; — cur visiones has propheta referat, *Ps. Ruf.* ita declarat : « postquam excitatum iri gentem denuntiavit, quae eis esset allatura perniciem, ne ipsa iudicii brevitas non satis auditorem moveret, explicandis quas viderat imaginibus immoratur et per earum occasionem,

quam sedulo pro eis precaretur ostendit, ne quis eum vel insultantis, vel nihil dolentis animo annuntiare illas calamitates putaret ». Cernit Deum agmina locustarum fingentem « eisque numeros excedentibus id negotii delegantem, ut omnes segetum fibras et cuncta germina quasi indefessis morsibus pascerentur » (*Ps. Ruf.*) ; quod ait *in principio* ad augmentum cladis valet (*Ps. Ruf.*) ; nam locusta venit, « quando cuncta virent et parturit omnis ager et diversarum arborum flores in sui generis poma rumpuntur » (*Hier.*) tempore imbris serotini, qui verno tempore exspectatur, ut fructus ad maturitatem adducat ; « significat ergo tempus quo omnia germinant et omnium rerum abundantiam arbores et segetes pollicentur » (*Rib.*), quando quam maxime est fatalis locustarum incursus ; si enim post imbrem serotinum gramina depascuntur, spes omnis concidit, cum aestatis ardore mox subsequente nihil iam ab arido solo exspectari possit. *Serotinus* autem imber cadit *post tonsionem regis,* postquam herba prima in usum praesepis regii est demessa. De tali iure vel usu sacrae literae tacent, nisi eius rei vestigium 3 Reg. 18, 5 deprehendere posse tibi videaris : « dixit Achab ad Abdiam : vade in terram ad universos fontes aquarum et in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam et salvare equos et mulos et non penitus iumenta intereant » ; verba tamen latina ita interpretantur *Mar. Men. Tir. Calm. Schegg* et illud ius regium iam *S. Ephr.* in textu nostro asseri censet.

Cernit igitur vates in visione locustarum agmina omnia devastantia et quasi per aliquod tempus in eo aspectu attonitus haeret. Sed intelligens hoc symbolo terrae vastationem populique afflictionem praesignari a iusto criminum ultore immittendam, Dei miserentis gratiam implorat : v. 2 « *et factum est, cum consummasset comedere herbam terrae, dixi : Domine Deus, propitius esto, obsecro ; quis suscitabit Iacob, quia parvulus est* » ?— « si per tuam indignationem ad tantam exiguitatem, quantam hae pollicentur figurae, gens nostra perveniet, quis eam poterit ulterius suscitare, quam tali vastatione confeceris » (*Ps. Ruf.*) ? Quo efficacius moveat misericordiam, regnum Israel nomine *Iacob* patriarchae Deo dilecti et tot promissionibus ornati designat ; non illos, sed ipsum Iacob feriri in posteris, qui olim tot labores et molestias hauserit et nunc in prole eadem debeat experiri ; deinde regnum iam exiguum, debilitatum, multis partibus spoliatum et attritum exhibet, a quo manum ultricem cohibeat (cf. *Sanct.*) ; quid enim magis iram punientis coercet et sedat, quam debilis et exigua conditio puniendi ?

Et revera, vates non frustra precatur ; v. 3 « *misertus est Dominus super hoc : non erit, dixit Dominus* » ; — vel hebr. *poenituit Dominum* i. e. benigne consilium mutavit, ab infligenda poena destitit.

Ad haec varia notanda sunt. Et primo quidem לֶקֶשׁ *serotinum* a *S. Hier.* quasi מלקשׁ explicari, verum ab aliis rectius intelligi *serotinum gramen*, herbam seriorem, *cordum ;* id iam innuunt *Syrus, Chald.* et sequuntur *Pagninus, Vatablus* (cf. apud *Rib.* et *Lap.), Mar. Men. Calm.* et recentiores : unde sensus quidem in priore membro non multum mutatur : *ecce, formans locustas in principio ascensus (germinationis) herbae posterioris, et ecce cordum post detonsiones regis ; Chald.* eadem sic exprimit : « et ecce germinatio parva postquam detonsa fuit farrago regis » ; unde elucet idem ius regium asseri. Textus graecus : βροῦχος εἷς Γὼγ ὁ βασιλεύς ex paucarum literarum permutatione declaratur ; legebant enim ילק pro לקשׁ ; אחד pro אחר, et demum גוג pro גזי. Ipse *S. Hier.* ultimum membrum vertit : ecce post serotinum tonsor (sive tonsura) regis, et *tonsorem* hunc intelligit exercitum Chaldaeorum ; *locustam* vero Sennacherib explicat ; neque desunt, qui simili modo imagine *locustarum* invasionem Assyriorum cernunt expressam (cf. *Cyr. Theod. Theod. M. Rup. Alb. Barh. Rib. Lap.*) vel qui rem explicatius ita proponunt : vidit Amos herbam primo germinantem et luxuriantem, quae significabat res Israelis florentes ; vidit eam tonderi et demeti a rege i. e. a Benhadad rege Syriae, qui valde afflixit regnum Israel ; vidit serotinum post tonsionem regis i. e. vidit herbam a rege Benhadad demessam per imbrem serotinum subsequentem repullulare et reflorescere, id quod tempore Ieroboam factum est ; vidit demum in herbam repullulantem involare locustas i. e. Assyrios sub rege Phul, qui magno exercitu invasit Israel, attamen non destruxit, verum acceptis mille talentis argenti *est reversus et non est moratus in terra* 4 Reg. 15, 20 (cf. *Lap. Men. Tir. Gord.*) ; etiam *S. Ephr.* regem Phul, quem Phulbeloch nominat, hic delineatum esse censet. Haec de Phul explicatio id commodi habet, quod promissio Dei « non erit » scil. plaga illa, aliqua saltem ratione constat. Qui de Assyriis exponunt, poenam rogante propheta solum differri in aliud tempus, non condonari censent (cf. *Alb. Sanct.*), vel id solum effici volunt ab intercessione prophetae, ut Israelitae non penitus pereant, sed simul cum Iudaeis ad instaurationem admittantur (cf. *Sa*) ; qui Sennacherib depingi volunt, iam eo errant, quia non de regno Iuda, sed de Israel h. l. sermo est ; « non erit » ad unius urbis Ierusalem liberationem referunt (cf. *Rup.*).

Verum v. 3 poenam non tantum differri vel minui, sed penitus remitti, ita ut non immittatur, ipsa Dei promissione *non erit* quae verbis vestitur : *misertus est Dominus super hoc*, clare indicatur ; nam tali loquendi modo edicitur, toti visioni symbolicae causam et argumentum subtrahi vel simpliciter id non futurum esse, quod propheta iam in visione factum et completum aspexerat. Quare omnem eiusmodi explanationem *de eventu, qui postmodum contigerit*, ab hoc loco exsulare debere omnino censeo. Cui poenarum generi locustae quasi portentum et praesagium praelaturae fuissent, nisi Amos intercessisset, vel quid futurum fuisset sine obsecratione prophetae, quis audeat determinare ? Sed si plagam locustarum intelligis, non refragor.

Quis suscitabit, ita etiam LXX et *Syrus* ; legerunt ergo יָקִים ; text. hebr. quem sequitur *Chald.* יקום fert [1] i. e. *qualis consistet Iacob*, quomodo poterit perma-

1. Sed aliqui codices apud *de Rossi* ferunt יקים ; cf. supplementa p. 87. *Houbig.* quoque

nere? — De varia lectione in codicibus latinis et apud interpretes veteres vide *notationes Lucae Brugensis* ad h. l.

Post aliquod tempus impietate populi non solum perdurante verum etiam crescente aliud idque durius iudicium criminosis impendere Deus significat v. 4 « *haec ostendit mihi Dominus Deus : et ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus, et devoravit abyssum multam et comedit simul partem* » ; — hebr. *ecce vocans ad disceptandum in igne* i. e. ut puniret igne, uti etiam *S. Hier.* versionem suam intelligi vult : « vocat, ut faciat in igne iudicium . . . venit ignis ad iudicium » ; ignem vero cernit propheta in visione tam vehementem, ut *abyssum magnam* i. e. ipsum mare (cf. Gen. 1, 2 ; 7, 11. Is. 51, 10) exsiccaret et *partem*, hereditatem Dei, i. e. terram Israel vastaret ; est enim חֵלֶק *pars, sors* populo Dei attributa et possessio cf. Deut. 10, 9 ; 14, 27 ; 18, 1 et 32, 9 *pars Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius*. Symbolo *ignis* durior poena exprimitur ; aliqui aestum et ariditatem noxiam frugesque enecantem intelligunt (cf. Ier. 14, 1 ; et supra 4, 9 — *Mar.*), alii incursus hostiles (cf. *Hier. Rup. Rib. Sa*). Sed cum hanc quoque poenam efficaciter deprecaretur propheta, frustra quaesieris, qua re illud symbolum implendum futurum fuisset sine prophetae obsecratione.

Propheta enim hac visione sibi obiecta denuo Deum misericordem adit supplicatione v. 5 « *et dixi : Domine Deus quiesce, obsecro ; quis suscitabit Iacob, quia parvulus est* » ? — cf. v. 2. Neque frustra intercedit ; v. 6 « *misertus est Dominus super hoc : sed et istud non erit, dixit Dominus Deus* » ; — cf. v. 3 ; verba plane edicunt, poenam illam non tantum differri vel mitigari, sed remitti, ita ut id quod sub alia conditione futurum esse prophetae ostensum sit, iam simpliciter non contingat ; id enim indicatur locutione : *poenituit Deum* i. e. consilium mutat, desistit ab incepto vel concepto consilio ; id aperte asseritur emphatica affirmatione : *etiam hoc non erit* (hebr.), qua Deus altera vice se ad preces prophetae condescendere significat, propheta autem, ut Deus poenam cohibeat, tollat, ab ea desistat, omnino efflagitat.

Erat id tam explicite monendum, quia etiam hoc loco multi interpretes *ignem* illum in visione prophetae obiectum in rerum eventibus sibi quaerendum esse censent. Et alii quidem Nabuchodonosorem exprimi putant (cf. *Hier. Rup. Rib.*) ; alii Theglathphalasar, « qui post Phul quasi ignis ingenti ardore et ferocia Israelitas invasit atque abyssum multam i. e. innumeram turbam populi, tribus nimirum Ruben et Gad et dimidiam tribum Manasse, tribus Nephthali,

---

refert : « scriptum fuit יקים manu priori in codicibus quibusdam, in quibus fuit י manu posteriori productum, ut ex י fieret ך ».

Aser et Zabulon abduxit in Assyriam ac Samariam cum regno Israel evertisset, nisi Dominus flexus precibus Amos eius ardorem inhibuisset » (*Men.* sim. *Lap. Tir. Gord.*) ; alii plagam in Israel tamquam in *abyssum magnam* et in Iuda tamquam *partem* devolvendam exponunt (cf. *Barh.*). — Cum LXX v. 3 et 6 habeant μετανόησον, κύριε, graeci interpretes καὶ τοῦτο οὐκ ἔσται ita accipiunt, ut oratio prophetae a Domino respuatur (cf. *Cyr. Theod.*). —

II. — ALTERA SECTIO : DUAE VISIONES DE RUINA FUTURA 7, 7 - 8, 14.

a) **Visio de trulla caementarii et persecutio prophetae 7, 7 - 17.**

Bis averterat propheta indignationem Dei manumque iam ad puniendum extentam ; at cum populi emendatio adhortationem prophetae eiusque supplicationem non sequeretur, iustitia Dei et sanctitas multipliciter offensa iustae ultionis iura repetere debuit : sed « quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas » (3, 7), v. 7 « *Haec ostendit mihi Dominus : et ecce, Dominus stans super murum litum et in manu eius trulla caementarii ;* v. 8 *et dixit Dominus ad me : quid tu vides, Amos ? et dixi : trullam caementarii. Et dixit Dominus : ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel, non adiiciam ultra superinducere eum* » ; — rem bene proponit *S. Hier.* : « Dominus itaque cernitur stans supra murum *stannatum* sive litum et in manu eius *stannatio* sive trulla caementarii, qua solent superinduci parietes et non solum pulchritudinem accipere, sed et fortitudinem contra iniuriam imbrium et creberrimas tempestates. Legimus in Ezechiele (13, 13 seq.) Dominum comminantem, quod tempestate et grandine consurgente nequaquam linat nec vestiat parietem Israel, sed dimittat eum pluviis dissipari. Unde et nunc dicit ille, de quo scriptum est : structor maceriae vocabitur, ipse angularis lapis, aedificator domus, quod deponat trullam in medio populi sui Israel et cessare faciat atque torpere, ut nequaquam ultra superinducat eum et suo vestiat ac tueatur auxilio ». Sensum, uti infra declarabitur, optime assecutus est *S. Hier.* ; solum versus finem est in hebr. *non addam ultra parcere ei,* condonare, ignoscere, *transire* (cf. Mich. 7, 18. Prov. 19, 11). Stat Dominus super murum *stannatum*, i. e. qui non solum firmiter est exstructus, verum etiam *stanno* inductus i. e. plumbo, cui argentum admiscebatur, qua re murus et firmior reddebatur et praecipue pulchrior ac splendidissimus. Ita Deus populum suum et valide protexit et multis beneficiis exornavit ; est igitur murus fortis ac splendens reipublicae a Deo protectae et ornatae symbolum (cf. *Rib. Lap.*). Deus tale *stannum* in manu tenens exhibetur, tamquam is qui solus et protectionem et ornatum praestat.

Quaestione proposita attentio vatis excitatur (cf. Ier. 1, 11. 13). Comminatio in eo est, quod Dominus dicat *se ponere stannum* in medio populi, *se* iam desistere ab opere murum firmum ac splendidum reddendi, quare stannum collocat e manibus suis positum in medio populi, ut iam ipsi soli eius rei curam suscipiant et exerceant, si possint ; sed si Dominus non aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant illam ! Quare symboli propositi explicationem ipse subdit ; iam non parcam, eamque ulterius declarat v. 9 « *et demolientur excelsa idoli et sanctificationes Israel desolabuntur et consurgam super domum Ieroboam in gladio* » ; — hebr. *vastabuntur excelsa Isaac* i. e. arae in locis elatioribus, quas populus ab Isaac oriundus (?) erexit et *sanctuaria Israel in desolationem erunt,* sacraria et templa illa in Dan, Bethel, Galgala falso cultui dedicata (cf. 3, 14 ; 4, 4. 3 Reg. 12, 29) ; domus autem Ieroboam, regia familia, in qua tum sceptrum Israel erat, gladio exscindetur. Zacharias, Ieroboam filius, a Sellum percussus et interfectus est (4 Reg. 15, 10), qua caede domus Ieroboam regno est spoliata ; eam variae perturbationes in regno Israel subsequuntur, donec tandem ab Assyriis finis ei imponeretur. Vaticinio generaliori et remotiore tempore complendo specialius et propius imminens de gladio contra domum Ieroboam saeviente subiungit propheta intrepidus regnante et florente Ieroboam, ut altero impleto firmitas alterius magis animis imprimeretur. Solet Isaias quoque remotiori propius addere oraculum (cf. 14, 25 ; 20, 1 - 6).

Vox אֲנָךְ hoc tantum loco in hebr. obvia varie redditur. L XX vertunt ἀδάμας ; eodem modo *Syrus ; teste S. Hier. Aq.* interpretatus est γάνωσιν splendorem, vel, ut *Hier.* habet, *stannaturam*, Theodotio τηκόμενον . Cum vox in arabico et syriaco *plumbum* significet, plerique recentiores *murum plumbi* et *in manu eius plumbum* intelligunt de quodam instrumento plumbeo, et cum de destructione sit sermo ad quam etiam secundum alios locos *mensura* et *perpendiculum* adhibeatur (cf. Is. 34, 11. 4 Reg. 21, 13), illud *plumbum* statim intelligunt *perpendiculum* (cf. *Rib. Sanct. Lap. Mar. Calm. Hitz. Keil, Trochon).* At quam infirmo fundamento haec explicatio innitatur, in aperto est. Quomodo enim ex *plumbo* continuo efficitur *perpendiculum* plumbeum ? Vel annon potius risu dignum est, proponi *murum perpendiculi* ? explicant murum recta norma exstructum. Utique, ita esse debet ; alioquin statim suo ipsius pondere et vitio corrueret ; sed cur iste murus ex ea virtute nominetur, quae omni muro inesse debet, nemo attingit. Mitto, destructionem ab iisdem declarari eo, quod Deus perpendiculum applicet in medio populi. Unde *perpendiculi* notio gratuito est ficta et ad nostrum locum plane inutilis. Adde, quod ad destructionem non perpendiculum simpliciter, sed perpendiculum *thohu* et mensura *bohu* adhibetur vel sim. cf. Is. 34, 11. 4 Reg. 21, 13.

Fürst C. vocem intelligit de rostro, vel cuspide, vel stilo acuto, quo utitur architectus et insuper de *pinna muri* interpretatur ; quo iure, non explicat. — Veram significationem vocis ope inscriptionum cuneiformium deprehendere licet ; est enim

vox אנך in hebr. et arabico et syriaco vox peregrina ab Assyriis mutuata, apud quos metallum significat *plumbum* et ita crebris synonymis explicatur, ut simul litionem vel incrustationem murorum plumbo stannoque factam dicat, uti alias simili ratione sermo recurrit de muris aureis, argenteis, i. e. tali colore vel metallo vel metallorum quadam litione superinductis [1]. Qua de significatione conferenda sunt, quae *Strassmaier* S. I. in lexico acc. assyriaco s. v. *anaku* et *anna* n. 481. 537 collegit; ex quorum locorum collatione ea quae dixi consequuntur. Unde patet *S. Hier.* rem rite explicasse in commentario, sed de *trulla caementarii* eatenus tantum sermonem posse institui, quatenus *stannatura* illa in vase quodam haberi et asservari dicitur; *murum* autem *litum* proxime ad verum accedere. Veram significationem adhuc suspicatus esse videtur *Aq.*, dum γάνωσιν vertit; γάνωσις explicatur *splendor*; sed lexica etiam praebent γεγανωμένα *vasa cuprea stanno illita*. Alii, uti *Sanct. Lap. Fürst* C. referunt cum editoribus priscis (cf. *M.* gr. 16 c, 2967, fragm. hexapl.) *Aq.* vertisse ἀλείφωσιν, quae vox ad litionem et incrustationem ommino facta est. Forte cum cod. barberin. γάνωσις ad *Sym.* interpretem referri debet (cf. cod. syr. hexapl. p. 527). *Theod.* τηκόμενον fortasse materiam plumbeam vel stanneam *fusilem* dicit, quae ad litionem apta est.

Hebr. *excelsa Isaac* recentiores explanant. At restat tamen scrupulus, quem iam *Rib. Sanct.* iniecerunt, non esse credibile, cum alibi populus nunquam fuerit notatus eo nomine, nunc praeter consuetudinem novam hanc appellationem adhiberi. Quare haud spernenda erit *etymologica* LXX versio βωμοὶ τοῦ γέλωτος *altaria risus* i. e. vel irrisione et omni opprobriorum genere digna et afficienda contumeliis, vel « apud quae voluptatis fructum capiebant » (*Theod. M.*), ubi lasciva quadam hilaritate dissolvebantur. *S. Hier. excelsa idoli* ex textu graeco petiisse videtur, quem exponit de aris, quae risu et subsannatione dignae sunt.

Narratio quae subsequitur populi contumaciam et contemptum verbi Dei in persona sacerdotis Bethel adumbrat, ad cuius mentem et exemplum certo certius multi ex populo conformabantur. Primo enim ope regis conatur prophetae silentium imponere eumque criminis laesae maiestatis accusatum auferre; v. 10 «*et misit Amasias sacerdos Bethel ad Ieroboam regem Israel dicens: rebellavit contra te Amos in medio domus Israel; non poterit terra sustinere universos sermones eius;* v. 11 *haec enim dicit Amos: in gladio morietur Ieroboam et Israel captivus migrabit de terra sua* »; — Amasias, homo sane vafer, auget accusationem quantum potest, rem periculo plenam depingens: *coniurationem fecit contra te* (hebr.), eamque concitavit in medio regno quasi certus de successu et audacia elatus; sermones prorsus abominabiles spargit, qui totius regni quietem et securitatem funditus evertant et maximum quoddam incendium excitent. Tam valido usus prooemio iam certam ac definitam accusationem ex verbis prophetae depromptam ponit eamque ita componit, ut offensio regis et ira debeat commoveri [2], unde *in gladio morie-*

---

1. Cf. Ier. 22, 14 aedificium vel palatium pingi sinopide, milto; 3 Reg. 6, 22 templum auro tectum.

2. Bene *Rup.*: « Amasias dum prophetae rebellionis crimen impingere nititur, accusando

tur Ieroboam, dum Amos nomine Dei tantum sit vaticinatus: *consurgam super domum Ieroboam in gladio;* ipsum enim Ieroboam esse gladio perimendum vel domestica seditione vel ab hoste externo Amos non praedixerat; de populi captivitate vide 2, 13-16; 4, 2. 3; 6, 7. Quare praeeunte *S. Hier.* multi interpretes Amasiam mendacii et falsitatis arguunt. Optime designatur *sacerdos Bethel,* quippe qui timeat, ne falsi cultus sibi pereant fructus quotidiani, si populus dictis ac monitis Amos aures admoverit dociles (cf. *Theod. Theod. M. Rib. Lap. Men.*), unde *sacerdos* acerrimus exsistit verae religionis et prophetae hostis et persecutor et quem primorum nemo ab officio prophetali cohibet, eum *sacerdos* omni conatu, dolo et fraude, amovere studet; sunt etenim — nil novi sub sole — impii sacerdotes inimici religionis ac pietatis infensissimi.

Apud regem Ieroboam vero accusatio ea non multum valuisse videtur. Amasias enim sua auctoritate tentat prophetae persuadere, ut terram Israel relinquat; ergo rex criminatione ea non est incitatus, ut prophetam persequeretur. Censet quidem *Ps. Ruf.*: « cum ad Ieroboam mandata misisset, non contentus finem excitati quasi certaminis praestolari, sed ut quocumque modo vir sanctus fugaretur exoptans, ad ipsum accessit »; at id improbabile videtur; nam cum accusationem apud regem faciat, etiam sperat illa se aliquid effecturum; proinde censendus est exspectasse, donec certum haberet indicium, regem contra exspectationem nihil velle moliri adversus prophetam. Cur rex sacerdotis consilia neglexerit, *Theod. M.* reverentiam quam prophetae habebat et timorem « propter ea quae evenisse noverat sub prophetis nuperis Elia atque Elisaeo » assignat in causa fuisse; at vix in rege impio (4 Reg. 14, 24) talem suspicari licet adfuisse reverentiam vel fidem; *superstitionem* autem si dixeris timorem illum, ne scil. prophetae maledictis ipse statim malis oneraretur rex, fortasse rectius senties; at quam maxime impio regi convenire videtur, ut propter Dei contemptum etiam eius prophetam contemnens aliquid in eum moliri sit dedignatus. Quare Amasias propriae utilitati consulens prophetam alia via removere studet v. 12 « *et dixit Amasias ad Amos: qui vides, gradere, fuge in terram Iuda et comede ibi panem et prophetabis ibi* »; — hebr. *videns* חֹזֶה nomen est usitatum *prophetae*. Quo animo ita eum compellaverit, varie explicant; *ironice* ei indidisse hoc nomen putat *Theod. M.;* cum contumelia quasi falso prophetae censet *Cyr.*, verum cum reverentia opinatur *Ps. Ruf. Rib.* Forte media quadam via utens coniicere poteris, Amasiam nomen apud omnes

illum noluit purum eius referre sermonem, sed auxit de suo quidpiam adiiciens, in quo maius videretur crimen; videlicet parum illi videbatur ad excitandum regis furorem, quod dixerat ex ore Domini... et idcirco depravavit dictum testis mendax et falsus accusator » etc.

commune quo Amos designabatur, usurpasse (uti fit) neque in reverentiam neque in contumeliam. Sed certe contemptum suum satis manifesto prodit Amasias dicens *comede ibi panem* i. e. « exerce artem tuam per quam tibi reperias cibos ; ibi vaticinare in terra Iuda, ubi libenter audiuntur insani » (*Hier.*) ; vel secundum *S. Cyr.* : « tantum non dicit : si quaestum turpem desideras et velut magicis voculis auribus demulcendis ad vitam sustentandam necessaria corrogare quaeris, relicta Samaria loquere tribui Iuda ».

Cur propheta Domini non debeat prophetare in regno Israel, rationem prodit, qua simul absolutam illam a Domino defectionem manifestam facit v. 13 « *et in Bethel non adiicies ultra ut prophetes, quia sanctificatio regis est et domus regni est* » ; — i. e. in terram Iuda secede ; haec est terra Domini ; ibi propheta Domini munere suo fungi potest ; Bethel vero sanctuarium est *a rege* institutum (cf. 3 Reg. 12, 28) ; ergo ibi sacerdotes et prophetae pariter a rege instituti obeant munera, non alii ; Bethel *domus regni* est i. e. sedes praecipua religionis *huic regno* propriae ; sed « cuius regio, eius et religio », ergo in Bethel nullo modo licet contra regem et regnum Israel prophetare. Loquitur Amasias, quasi Dominus nullum ius, nullam partem iam haberet in Israel, sed omnia in uno rege divina et humana consisterent ! Tanta perversitas, contumacia in Deum, separatio profundissima a vero cultu Dei et regno Iuda. Ita sentit sacerdos ; num maiorem populi partem ab ea mente alienam esse iure opinabimur ? Ea proin narratione propheta necessitatem divinae castigagationis et ruinae impendentis illustrat et comprobat.

At propheta minis sacerdotis non cedit neque comminatione illa, regiam in se potestatem et iram esse animadversuram, movetur, sed *vocationem suam et missionem divinam,* cui obedire debeat, intrepide profitetur et declarat v. 14 « *responditque Amos et dixit ad Amasiam : non sum propheta et non sum filius prophetae, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros ;* v. 15 *et tulit me Dominus cum sequerer gregem et dixit Dominus ad me : vade, propheta ad populum meum Israel* » ! — i. e. neque propria voluntate et electione neque educatione vel institutione — filii enim prophetarum vocabantur eorum discipuli, qui prophetae se erudiendos docendosque traderent — munus propheticum capessivi ; nihil aderat in vita anteacta Amos, quo suo vel aliorum impulsu ad personam prophetae gerendam vel assumendam potuerit induci [1]. Id negatione praemissa iam *positive* declarat, vitae rationem, in

1. Subtilius respondet *S. Gregorius*, prophetam dicere potuisse : *non sum propheta*, quia eadem hora, qua requisitus est, prophetiae spiritum sibi deesse senserit ; cf. apud *Rib.* — Aliis placet, negari ab Amos, se esse prophetam tam potentem, sicut Elias (cf. *Cyr. Schegg*),

qua enutritus erat, enarrans : *armentarius*, βουκόλος [1], sed LXX αἰπόλον dixerunt, qui proprie pastor caprarum appellatur (*S. Hier.*), et cum dicat, se a Domino assumptum esse *a post gregem* (hebr.) צאן, quae vox *pecora,* oves et capras, non vero *armenta* significat, iure בקר sensu generaliori *pastoris* usurpatur. Humilem vitae conditionem, qua victum sibi comparaverit neque ad altiora capessenda animum intenderit, ulterius declarat : *vellicans sycomoros* « quidam ita edisserunt, ut sycamina velint appellari genus arborum, quae Palaestinae nascuntur in campestribus et agrestes afferunt ficus, quae si non vellicentur, amarissimas cariculas faciunt et a culicibus corrumpuntur » (*Hier.*) ; referunt enim sycomori poma non maturescere aut esse apta esui, nisi ungue scalpantur aut ferro (cf. *Theod. Sanct. Rib. Lap. Men.* — *Ges.* s. v. בלס), unde bene LXX κνίζων συκάμινα [2].

Vocationem divinam apertissime sibi factam asseverat, qua praecise ad populum Israel mittebatur ; unde in hac responsione simul continetur, cur Amasiae consilium nullatenus adoptare possit ; oportet enim magis Deo obedire quam hominibus (cf. *Cyr. Rup.*).

Deinde sacerdoti cultus falsi et contemptori verbi Dei, qui regia potestate officium a Deo commissum impedire tentavit, poenam denuntiat : v. 16 « *et nunc audi verbum Domini ! tu dicis : non prophetabis super Israel et non stillabis super domum idoli ;* v. 17 *propter hoc haec dicit Dominus : uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiae tuae in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur ; et tu in terra polluta morieris et Israel captivus migrabit de terra sua* » ; — en exemplum, quomodo Deus in V. T. conatum punierit impediendi exercitium iurisdictionis spiritualis ! *Stillare* idem est ac prophetare, verba scil. et oracula fundere [3] (cf. Ez. 21, 2. Mich. 2, 6). Subtilius explicat *S. Hier.* :

---

vel se esse prophetam talem, qualem Amasias censeat (*Barh. Sanct.*), vel negari munus propheticum ex humilitate (*Hier. Rup. Alb. Calm*).

1. Uti teste *S. Hier.* habent *Aq. Sym. Theod.* et quinta editio.

2. Verbum בלס alii tamen aliter explicant : *Aq.* ἐρευνῶν συκομόρους· *Sym.* ἔχων· *Theod.* χαράσσων συκαμίνους (ita pro χαρακῶν in fragm. hexapl. iam emendat *Schleusnerus* — cf. cod. syr. hexapl. p. 528 et affert ex Suida *Field* in fragm. Hexapl. ad h. l.) ; de aliis interpretationibus, quas rabbini confingunt, vide *Ges.* p. 213. — *S. Hier.* satius censet *rubos*, non sycomoros, interpretari in commentario « quia solitudo in qua morabatur Amos nullam huiuscemodi gignit arborem » ; at iure advertit *Sanct.* ex conditione quae fuerit tempore *S. Hier.* non valere conclusionem ad tempus Amos ; « ubi nunc aut etiam Hieronymi aetate in Iudaea arbores illae, quae pretiosissimo quondam stillabant balsamo, quarum Iosephi tempore species tota in Iudaea perierat » (*Sanct.*) ? Sycomorum arborem fuisse in meridionali parte Palaestinae frequentem elucet ex 1 Reg. 10, 27. 1 Par. 27, 28. 2 Par. 1, 15. Luc. 19, 4 ; cf. Is. 9, 10.

3. *Sym.* interpretatur : « non increpabis » cf. apud *S. Hier.* in com. ; cod. syr. hexapl. ad h. l. LXX οὐ μὴ ὀχλαγωγήσῃς. *Aq.* οὐ στάξεις.

« stillare prophetas idioma Scripturarum est, quod non totam Dei simul inferant iram, sed parvas stillas comminatione denuntient ». De *domo idoli* cf. v. 9; hebr. *de domo Isaac* [1]; LXX praebent ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακώβ.

Poena gravissima ita conformatur, ut omnium affectuum tormenta sentiat, « i. e. quae maritus, quae pater, quae clarus civis excipiat; uxor enim tua non clandestina turpitudine polluetur, sed in medio urbis vincentium libidini subiacebit, et liberos tuos gladius te spectante, cui non liceat lugere, vastabit; tuque simul dedecore et orbitate perculsus in terra polluta morieris, i. e. vel in ipsa Iudaeorum regione quam videlicet prius sacrilegia civium, deinceps vero facinora hostium polluerunt, vel certe in barbaris finibus » (*Ps. Ruf.*). *Fornicabitur,* « quod melius interpretatus est *Sym.* πορνευθήσεται: non quod ipsa fornicetur, sed quod passivo genere sustineat fornicationem » (*Hier.* sim. *Theod. Cyr.*); *humus tua* i. e. terra ipsius funiculo ab hostibus dividitur et novos cultores recipit (*S. Hier.*); funiculus igitur mensorius intelligitur ad sortes vel hereditates mensurandas et dividendas (cf. Zach. 2, 2). Terram sceleribus habitatorum pollui, foedari, frequens est loquendi usus in s. literis (cf. Lev. 18, 25. Num. 35, 33. Ier. 3, 2); quare *terra polluta* regio esse videtur extraneorum et scelestorum, regio gentilium (cf. *Theod. M. Sanct.*), in qua Amasias captivus moriatur; idque eo facilius ita interpretaberis, quia de captivi populi migratione statim mentio subiungitur. Ceterum ultimis verbis repetit vaticinium *iisdem* verbis, quibus Amasias retulerat v. 11; ut ostendat in edicto divino nihil mutari, neque se nuntium Dei propter comminationem ullo pacto aliter praedicare posse vel velle.

Quando Amasias eas poenas dederit, dici nequit. Sed prorsus probabile est, eum tempore calamitatis a Theglathphalasar illatae supplicia illa exsolvisse (cf. 4 Reg. 15, 29). — In martyrologio romano Amos dicitur ab Amasia frequenter plagis affectus et demum neci traditus.

b) Visio de fine — accusatio iniustitiae 8, 1-6.

Symbolo messis iamiam colligendae (cf. Os. 6, 11) ostenditur prophetae, populum satis superque ad punitionem maturuisse, segetem criminum iam esse demetendam, fructus scelerum iam colligendos et gustandos; v. 1 « *Haec ostendit mihi Dominus Deus: et ecce uncinus pomorum.* v. 2 *Et dixit: quid tu vides Amos? et dixi: uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: venit finis super populum meum Israel,*

1. Lectionem hebr. tuentur *Aq.* τοῦ γέλωτος, *Sym. Theod.* Ἰσαάκ: cf. cod. syr. hexapl.

non adiiciam ultra ut pertranseam eum » ; — vidit scil. uncinum expediri ad poma colligenda ; « sicut uncino rami arborum detrahuntur ad poma carpenda, ita ego proximum captivitatis tempus attraxi » *(Hier.)*. Monet *Cyr.*, Deum agrestius educato prophetae per ea quae ruri maxime fiunt, mysteria revelare. *Venit finis ;* adest in hebr. iucunda paronomasia ad ultimum verbum quod Amos dixerat קָיִץ, immediate enim pergit Deus בָּא הַקֵּץ ; unde et re et ipsa soni affinitate iudicium imminens certo certius declaratur ; *finis* populi est reipublicae destructio, populi in captivitatem abductio (cf. 7, 17) ; non adiiciam... vide 7, 8 ; « hoc significat, quod iniquitates populi sui ultra non transeat, nec negligat, neque impunita scelera transire permittat » (*Hier.*).

Qualis *finis* sit constitutus, accuratius declaratur v. 3 « *et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus; multi morientur, in omni loco proiicietur silentium* » ; — « hoc autem ὑπερβολικῶς accipiendum est, quod tam grave malorum pondus incumbat, ut ipsi quoque portarum cardines et excelsa laquearia (— ita enim LXX versionem quoque suae explanationi inserit *S. Hier.* —) ululent et incredibilem sentiant vastitatem, quando multi morientur et captis habitatoribus vel occisis in omni loco proiiciatur silentium » (*Hier.*); verum *stridere cardines* eo sensu plerique volunt dici, quia hostium multitudo praeceps per illos irrumpet, aut quia illos securi aut ariete confringent, vel igne absument et destruent (cf. *Ps. Ruf. Cyr. Theod. Theod. M. Rup. Rib. Lap.*) ; ita templo *in Bethel* excidium praedici (*Ps. Ruf. Rib. Lap. Men. Tir.*) ; nam de templo hierosolymitano (*Theod. M. Sa*) vatem loqui, negari debet[1]. — Proinde ira Dei exhibetur primo loco contra falsi cultus locum et usum ; idque forma poetica *: ululabunt cardines ;* dein contra cultores *multi morientur ;* demum contra universam rempublicam et humana omnia instituta : « solitudinem hostis in regionem inducet atque omnia triste silentium occupabit » (*Calm.*), erit scil. sicut in terris solitariis et inviis ; solitudinis, vastationis, mortis silentium longe lateque et stabili ratione dominabitur (cf. *Cyr. Theod. Rib.*).

Recentiores hebr. v. 1 communiter vertunt : *canistrum pomorum* (cf. *Mar. Calm. Schegg*) ; at noli cum plerisque intelligere *plenum pomis*, sed cum *Sanct. Schegg* ad poma colligenda dispositum ac paratum. Ita enim messis faciendae symbolum servatur. LXX h. l. habent ἄγγος ἰξευτοῦ ; sim. *Theod.* ἄγγος ὀπώρας θερινῆς ; *Aq.* ut videri potest κάλαθος — vide cod. syr. hexapl. p. 528 —. Vox כלוב non occurrit, nisi h. l. et Ier. 5, 27, ubi *S. Hier. decipulam* expressit plenam scil. avibus. Cur h. l. *uncinum* verterit, potest ex syriaco, chaldaico, arabico explicari, ubi vox significatione ferrei

1. Totus contextus magis decem tribubus convenit ; ita iam *Ps. Ruf.*, qui ad *templum* illustrandum provocat ad 7, 9 et 8, 14.

instrumenti occurrit. Et hanc significationem voci revera inesse, ex assyriaco *kalaba* confirmatur (vide *Strassmaier* s. v.). Quare hanc esse vocis genuinam notionem censeo ; neque repugnat Ier. 5, 27. Potest enim etiam ibi ita intelligi, ut rete avium unco vel uncis distentum et firmatum tale nomen ex parte illa praecipua sortitum sit. Tale rete inspice ex more Aegyptiorum factum apud *Lepsius* in monumentis aegyptiacis II Abtheilung, Blatt 43. 46. 105. Hebr. v. 3 שִׁירוֹת *cantica* templi ululabunt i. e. cantica gaudii cessabunt et lugubri sonitu commutabuntur ; *S. Hier.* ob oculos habuisse videtur, vel legisse צִירוֹת *cardines* cf. Prov. 26, 14. Ultimum membrum verte : *multa cadavera, in omni loco proiecit* (Deus ea), *tace* i. e. sileat unusquisque a facie Dei ultoris ; tacita cum reverentia et timore perferet mala — cf. הַס 6, 10. Iud. 3, 19. Hab. 2, 20. Soph. 1, 7. Zach. 2, 17. Alii interiectionem velut substantivum adhiberi censent : proiecit, extendit silentium *(Schegg)* ; alii modo adverbiali : proiecta sunt cadavera ubique cum silentio.

« Ne frustra videatur uncinus pomorum et vas aucupis (— ex LXX interpretatione —) esse monstratum et per haec vicina imminere captivitas, causae offensae Dei breviter describuntur » (*Hier.*) ; eas ex *avaritia* quae est idolorum servitus, repetit (cf. *Ps. Ruf.*) ; v. 4 « *audite hoc qui conteritis pauperem et deficere facitis egenos terrae,* v. 5 *dicentes : quando transibit mensis et venumdabimus merces? et sabbatum et aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram et augeamus siclum e supponamus stateras dolosas* » ? — hebr. *vos, inhiantes* [1] *in pauperes,* ut scil. eos opprimant et deleant. Tanta vero avaritia stimulantur, ut neomeniam et sabbatum abominentur, quia iis festis diebus a venditione et turpi lucro arcentur ; unde cum indignatione quaerunt expostulantes : *quando praeteribit novilunium et vendamus frumentum* (hebr.) ? Neomenia, quamvis in lege mosaica non operum servilium cessatione celebranda praescriberetur, tamen propter festi diei rationem (Num. 10, 10 ; 28, 11 - 15) mox etiam ea observatione videtur esse culta ; certe in festorum dierum numero habebatur [2]. Unius diei a negotiatione cessationem iam aegre ferunt. Eodem sensu *mensis* [3] est intelligendus, cum ipse *S. Hier.* in comment. *kalendas* substituat ; sim. *Rib. Sa, Men. Calm.* ; unius diei sabbati [4] requiem etiam fastidiunt ; ita cupido insatiabilis optime depingitur. Eam vero maxima cum iustitiae violatione coniungunt : mensuram enim qua vendunt imminuunt ; pretium vero augent i. e. pretium quod pendendum sit maius reddunt et quo magis lucrentur in

1. *S. Hier.* formam repetiisse videtur a שׁוּף Gen. 3, 15. Iob 9, 17 ; notum est eorum verborum participium etiam scribi א inserto.

2. Cf. Os. 2, 3. Is. 1, 13. Ez. 46, 1. 1 Reg. 20, 5. 6. 24. 29 ; 4 Reg. 4, 23. Iudith 8, 6.

3. Per errorem aliqui veteres legunt *messis* (cf. *Rup. Alb.*). Alii *mensis finem* exspectari et desiderari volunt, ut usuras exigant avari illi — cf. *Cyr. Theod. M. Calm.* — at de tali negotio in textu non est sermo. *Chald.* mensem intercalarem ponit.

4. Perperam alii de anno sabbatico cogitant ; cf. *Cyr. Rup. Sanct.* et iam apud *Chald.*

hac pretii appensione stateram *pervertunt* (hebr.) eamque stateram fraudis ac doli efficiunt. Sane artificiorum cumulus !

Alterum, cur dies sacros et a forensi strepitu alienos abominentur, est, quia istis diebus iudicia non celebrantur et tamen quaestuosi illi sibi velint adiudicari et in servitutem tribui debitores pauperes ; unde v.6 « *ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis et quisquilias frumenti vendamus* » ; — cf. 2, 6 ; pro argento, pro pecunia, quam debitor solvere nequit, ipsum in servum accipere volunt ; immo etiam si sit res minima, par calceorum ; quare simul iniustitia iudicum inde arguitur. Demum « in tantam lucri rabiem prosilistis, ut non frumenta, quorum esu hominum corpora sustentantur, sed quisquilias et purgamenta frumenti vendatis pauperibus, pulverem et paleas tritico commiscentes » (*Hier.*). Hebr. proprie *deciduum frumenti ;* non male *Syrus* expressit *fundum horreorum* i. e. purgamenta illa, quae ex tritico in fundo horrei converruntur.

Norma iustitiae et ordo rectus ac iustus in vita sociali servandus quam maxime clare natura duce homini imprimitur et illucescit, ita ut eius violatio non possit in criminis censu non haberi ; quare si talia crimina impudenter et in aperta luce grassantur, morum conditionem omni iniquitate esse abiectiorem manifesto comprobatur. Unde intelligitur, cur prophetae ista crimina iniustitiae praecipue efferant ac vituperent et maxima supplicia in eorum patratores denuntient. Ita quoque in subsequentibus.

c) Dispersionis denuntiatio 8, 7-14.

Sceleris enormitas iureiurando a Domino adhibito declaratur : « magnitudinem iniquitatis tuae, o Israel, Creatoris indignatio publicavit, qui se etiam obtestatione constrinxit, quod nullus tot malorum immemor redderetur, sed donec ultimo eos finiret exitio, vim severitatis intenderet » (*Ps. Ruf.*) ; v. 7 « *Iuravit Dominus in superbiam Iacob : si oblitus fuero usque ad finem opera eorum* » ; — i. e. vere, non obliviscar, idque iuro ! est enim אם *si* iuramenti negativi particula ; *in superbiam* i. e. contra superbam elationem, qua pauperes opprimunt *(Cyr. Hier. Alb. Calm.)*, vel opibus suis et arcibus fidunt, sese tutos censent (cf. 6, 1). Confert *Rup.* locutionem illam : « quibus iuravi in ira mea » Ps. 94, 11 ; ea observata etiam textum hebr. simili ratione explicare possumus [1] : cum

1. Plerumque tamen בְּ vertunt iurare *per* magnificentiam Iacob, i. e. per eum, qui sit magnificentia Iacob i. e. Deus ; vel per praeclaram possessionem Iacob, per hereditatem

tanta esset elatio Iacob, in superbia Iacob, vel propter iactationem eius. *Iacob* dici censet *Rup.*, ut patriarchae Iacob humilitate et labore fastus posterorum accusetur magisque damnetur. Bene monent *Rup. Rib.* : « trina iuramenti repetitio (cf. 4, 2; 6, 8 *iuravit Dominus in sancto suo — in anima sua*) valida vestrae condemnationis est confirmatio ». Poenam indicat diutissime duraturam ; populum iri abiectum et diutissime maledictionis divinae secum portaturum vestigia iam innuit, quia spondet se non oblivioni daturum *usque in finem* opera eorum. Eius poenae diuturnitatem in ultimo membro v. 10 indicat *novissima eius quasi diem amarum* se positurum ; et qua in re cernatur poena, v. 11 declaratur.

Comminatio illa, Deum in aeternum non esse obliturum scelera eorum, iam est terrore plena ; augetur terror iureiurando apposito ; quare quid factum tam terribile subsequi debeat, dicitur v. 8 « *numquid super isto non commovebitur terra et lugebit omnis habitator eius* » ? — i. e. nonne decet terram, quae iudice descendente contremiscat, etiam tali iureiurando audito terrore penitus concuti et omnia luctu cooperiri. Haec explicatio sane efficacior est et magis proprie contextui insistit, quam quae generatim proponitur : *super isto* i. e. super peccato (v. 4-6), superbia (cf. *Rup. Alb.*). — A qua strage vero poena illa iuramento firmata incipiat, inundationis symbolo declaratur : « *et ascendet quasi fluvius universus et eiicietur et defluet quasi rivus Aegypti* » ; — textum lat. ita fere concipiunt : sicut terra Aegypti obruitur Nilo, sic terra Israel opprimetur ab hostium invasione ; et ascendente exercitu hostili ipsi turmatim conglobati expellentur et inter numerosissimam gentem dispersi diffluent et fere non comparebunt (cf. *Rib. Lap. Mar. Men.*) ; in textu hebr. ipsa terrae concussio et eversio, qua fit quasi mare quoddam fluctuans, Nilo ascendenti, fluctuanti, descendenti comparatur : *et ascendet sicut fluvius* (Nilus) *universa terra, et fluctuat, et defluit* (descendit, demergitur) *sicut Nilus Aegypti* i. e. terra intumescit, tunc agitatur vel quasi propellitur, tunc demergitur, subsidet, vel quasi diffluit et dissolvitur : quae omnia symbola esse videntur acerrimi iudicii (cf. Is. 24, 4). Expeditior tamen et facilior est textus graecus, qui pro כֻּלָּה legit כָּלָה συντέλεια, consummatio *et ascendet sicut fluvius consummatio* ; sim. etiam *Syrus* [1] ;

Iacob, per opes, per templum (cf. apud *Sanct.* et *Lap. Mar. Calm. Schegg, Keil, Trochon* cf. Ez. 24, 21.

1. « Et ascendet finis eius sicut flumen » ; *Chald.* « et ascendet adversus eam rex cum exercitu magno velut aquae fluminis et operiet eam totam et expellet habitatores et inundabitur sicut fluvius Aegypti ». Hebr. in priore membro nunc scribitur כָּאֹר, forma, ut videtur, defectiva pro כִּיאוֹר, cum veteres omnes versiones *fluvium* exprimant et paralle-

i. e. « *ascendet..* omnia sternens, multisque et insuperabilibus fluentis totam Samariae terram inundans ; *descendet* vero similiter omnia incidentia secum trahens et nulli penitus parcens » (*Cyr*). vel, ut *Theod.* explicat : « obtegam vos multitudine hostium, sicut fluvius Aegypti obtegit terram ; terram autem vestram vacuam relinquentes vos captivos abducent ; hoc enim innuit, cum dixit descendet quasi fluvius Aegypti ».

Haec autem inundatio et simul submersio subito irruet et quasi densissimis tenebris omnia obvolvet ; v. 9 « *et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie et tenebrescere faciam terram in die luminis* » ; — Hebr. *occumbere faciam solem in meridie* i. e. « eius temporis erit tam tristis et acerba facies, ut die medio sol defecisse et nox irruisse videatur ; ita enim nulla ordinum distinctio, lux consilii nulla remanebit, ac si palpabiles tenebrae terram et coelum pariter miserorum oculis abstulissent » (*Ps. Ruf.* sim. *Hier. Cyr. Lap.*) ; in lumine enim et meridie fausta significatur ac laeta fortuna ; in nocte autem et tenebris [1] sors adumbratur tristis et infelix (*Sanct. Rib.*) ; *in meridie* i. e. dum omnia fluere faustissime censent, et inexspectato ; sim. Ier. 15, 9 *occidit ei sol, cum adhuc esset dies.* Subitanea hac rerum conversione terror describitur ac formido, quibus aspectu malorum obruendi erunt (*Theod. Calm.*). Quam tristem rerum conditionem, qua omnia iis lugere videbuntur, ulterius per singula vates prosequitur v. 10 « *et convertam festivitates vestras in luctum et omnia cantica vestra in planctum ; et inducam super omne dorsum vestrum saccum et super omne caput calvitium et ponam eam quasi luctum unigeniti et novissima eius quasi diem amarum* » ; — cf. Os. 2, 11 et supra 5, 1. 16. 17 — signa luctus sunt inter alia *saccus* i. e. vestis lugubris, angusta, ex panno crasso et aspero facta [2] et *calvitium*, quale sibi tondere solebant lugentes [3]. Acerbissimus luctus est de morte *unigeniti,* « ubi non solum amissa pignora, sed etiam posteritas exstincta lugetur » (*Ps. Ruf.*) ; praeterea *unigenitus* amore maximo diligi solet, cum parentes non habeant plures, in quos amor quasi diffluat ac veluti distrahatur ; unde talis amor ad ardentissimi amoris comparationem et amplificationem adduci solet (cf. 2 Reg. 1, 26. Ier. 6, 26. Zach. 12, 10 — *Sanct.*). *Ponam eam* scil. terram,

---

lismus id non renuat. Aliqui vocem כָּאֹר fingunt notione *luti.* Sed multi codd. apud *de Rossi* praebent scriptionem plenam.

1. Cum eiusmodi metaphora satis sit frequens et insuper hic de re futura sermo sit, frustra laborant, qui *solis eclipsin,* de qua Amos loquatur, calculo definire student ; et illam die 6 Aug. 803 a. Ch. vel illam die 9 Febr. 784 factam vel aliam ab Amos spectari opinantur — cf. *Usserius* ad an. mundi 3213 ; *Calm. Hitz* ad h. l.

2. Cf. Is. 3, 24. 2 Reg. 3, 31. 3 Reg. 21, 27. 4 Reg. 6, 30.

3. Cf. Is. 3, 24 ; 15, 2 ; 22, 12. Ier. 47, 5. Mich. 1, 16 etc.

ut interpretes latini communiter supplent ex v. 11 et etiam *Schegg* — affligam terram gravissime, ut acerbissime lugeat et ut etiam ea, quae novissima ei accident, sint luctus plena. Hebr. commodius explicabis : *ponam id* i. e. id efficiam, ut tota eorum agendi ratio luctum acerbissimum prae se ferat. Minae augentur, quia etiam *novissima eius* fore tristia et amara vates praedicit; quare calamitatem designat, quae etiam in tempore *novissimo* i. e. messianico eos opprimet (cf. *Schegg*).

Quaenam vero sint novissima illa amara, v. 11 et 12 declaratur; v. 11 « *ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram; non famem panis neque sitim aquae, sed audiendi verbum Dei;* v. 12 *et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab aquilone usque ad orientem circuibunt quaerentes verbum Dei et non invenient* » ; — i. e. quia nunc voces propheticas spernitis, immo prophetas a prophetandi munere cohibere studetis (7, 10 — cf. *Alb. Rib. Sanct. Mar. Tir.*), haec doctrina prophetica vobis subtrahetur; tunc demum magno eius desiderio conficiemini (cf. Ps. 73, 9). Per prophetas Deus loqui solebat ad populum, afflictos consolari, res futuras annuntiare; quare maximae poenae loco habebatur, si Deus munus propheticum subtraheret (cf. Lament. 2, 9. Ex. 7, 26. Os. 3, 4; 9, 7. Mich. 3, 7. Dan. 3, 38). Iam Israelitas tali subtractione iri punitum praedicitur; sunt, qui id ad tempus obsidionis Samariae referant (*Lap. Men. Tir.*); alii, iique plures, exsilii tempus spectari volunt (cf. *Theod. M. Cyr. Sanct. Calm.*). Id certe non excluditur; verum vaticinium latius extendi et generatim conditionem exhiberi Israelitarum, qui a Deo proiecti et abiecti perpetuis agitentur perturbationibus et pro veritatis doctrina absurdis implicentur erroribus, omnino cum *S. Hier. Cyr. Ps. Ruf. Estio, Schegg* assumendum est. Id enim suadetur, quia modo de *novissimis* amaritudine plenis sermo fiebat et quia v. 12 *a mari ad mare, ab aquilone et usque ad orientem* (hebr.) vagari, oberrare, *titubare* dicuntur; sed iste modus loquendi vagationem per *orbem terrarum* significat; cf. Ps. 71, 8. Mich. 7, 12. Bene notat *S. Hier.* : « ablata est ab eis lex et prophetae aeterno conticuere silentio; moventur a mari ad mare, ab oceano britannico usque ad oceanum atlanticum, i. e. ab occidente ad meridiem et ab aquilone usque ad orientem, toto orbe peregrini, verbum Dei non valent invenire ». Quid vero pro verbo Dei invenerint, exponit *Ps. Ruf.* : « pro virtutibus morum vitalibusque sacramentis intumescunt rebus pudendis et ludicris, carnis videlicet concisione et sabbaticis feriis gloriantes; consequenter nec doctor apud eos aliquis eruditus, nec princeps, nec sacerdos, a quo reformentur, exsistit, quia loquente Moyse oculi eorum velamine conteguntur, quod non aliter aufertur, nisi cum in Christo aboletur ». Maxima ista *fames* i. e. summa penuria verbi Dei et maxima privatio

cernitur, si quis insanias rabbinicas et quisquilias talmudicas obiter tantum inspexerit (cf. *Eisenmenger,* das entdeckte Iudenthum — *Welte,* Tübinger theol. Quartalschrift 1842; p. 41 et seq.).

Demum totam denuntiationem vates concludit totius populi tabem et intimam ruinae causam nervose complectens v. 13 « *in die illa deficient virgines pulchrae et adolescentes in siti,* v. 14 *qui iurant in delicto Samariae et dicunt : vivit Deus tuus Dan, et vivit via Bersabee! Et cadent et non resurgent ultra* » ; — si ipse flos et vigor iuventutis contabescit, certe totius populi tabes, defectio, ruina efficacissime delineatur. Ita vero deficient, quia *iurant,* i. e. cultu religioso ac divino prosequuntur *delictum Samariae* i. e. vitulos a rege Samariae erectos et consecratos (cf. 3 Reg. 12, 28) in Bethel et in Dan; qui cultus per emphasin *peccatum* Israel dicitur. Neque multum refert, si alii *delictum Samariae* de *Aschera* in Samaria culta intelligunt (2 Reg. 13, 6 hebr. — *Hitz. Schegg*). Iurant *per viam Bersabee,* i. e. non per cultum ibi exercitum (*Sanct. Calm.*) sed per iter sacrum, per peregrinationem, quam rem omnino sacram et caram habent et modo superstitioso et obeunt et venerantur (cf. *Hier. Ps. Ruf. Rib. Lap. Men. Tir.*); simili modo, ut v. g. Arabes hodiedum per peregrinationem meccensem iurare solent (*Schegg*). Iste cultus impius, ad quem adeo inhiant, omnium malorum fons est fecundus ; et uti ipsi Deum reliquerunt, sic Deus eos prosternit prostratosque deserit : *cadent et non resurgent ultra!* quantopere hoc in decem tribubus est impletum !

TERTIA SECTIO : POST RUINAM THEOCRATIAE INSTAURATIO CP. 9.

a) Ruina ineluctabilis 9, 1-10.

Visione symbolica cernit Dominum mandantem, ut templum collabatur ; quicumque templi excidio non obruuntur, cadent gladio : v. 1 « *Vidi Dominum stantem super altare, et dixit : percute cardinem et commoveantur superliminaria ; avaritia enim in capite omnium. Et novissimum eorum in gladio interficiam ; non erit fuga eis ; fugient et non salvabitur ex eis, qui fugerit* » ; — in hebr. altare holocaustorum designatur. Altare in Bethel intelligunt *Cyr. Ps. Ruf. Sanct. Lap. Men. Tir. Schegg* ; altare vero Dei in Ierusalem *S. Hier. Theod. M. Rup. Alb. Rib. Mar. Trochon;* hisce adstipulamur ; nam הַמִּזְבֵּחַ, τὸ θυσιαστήριον, altare cum articulo, proin *altare illud unum* notum non potest esse nisi altare Domini in suo templo ; in Bethel autem *plura* altaria describuntur 3, 14. Dein nescio quid incommodi mihi esse videtur in eo, quod Dominus ex-

hibeatur stans supra (vel ad) altare vituli; aptius sane et ad visiones symbolicas de interitu apud Ezechielem obvias magis accommodatum est, ut Dominus (vel angelus in specie Domini *Alb.*, cum in angeli figura ac forma Dominus apparere soleret) ad altare, quod ad reconciliationem efficiendam concesserat, neglectae expiationis pro delictis admissis iudex ac vindex stans poenas reposcat. Visione interna propheta percipit, quomodo Deus *cardinem percuti* iubeat et ita quidem percuti, ut superliminaria commoveantur, contremiscant et : *concide illa in caput omnium* (hebr.) i. e. superliminaria, templique structuram esse proiiciendam in hominum turbam congregatam. Praeclara sane imago ruinae theocratiae : Deus ipse suum sanctuarium deleri iubet et ea ruina populus involvitur. Sunt, qui putent prophetam iuberi *percute* (*Cyr. Sanct. Schegg*); at cum id verbis non exprimatur, magis ad indolem visionis esse videtur, ut propheta mandatum Domini audiat proferri, quod angelis, comitibus Dei et administris detur (cf. apud *Hier.* « ut multi putant », *Ps. Ruf. Rib. Lap.*) vel quod Deus generatim enuntiet iis, qui illud revera in tempore suo exsecuturi sunt (*Ps. Ruf.*). Textus lat. rationem excidii inserit : omnes turpi lucro et avaritia esse captos (*S. Hier.*); eos igitur domum Dei fecisse speluncam latronum, vel forum mercatorum et usurariorum, vel quasi thesaurum rapinarum. — Si qui ruinis non obruuntur, ii gladio interibunt; et qui fugere tentaverint, tamen fuga non se eripient. Ita omnia salutis subsidia amoveri indicat; hebr. non effugiet iis effugiens et non evadet iis evadens.

S. Hier. legit בִּצְעָם *quaestus eorum, avaritia*; sim. legit *Syrus*, vertit enim : « et dolus eorum in caput omnium ». Quid *Chald.* legerit, non adeo liquet, cum totum locum valde arbitrarie efferat : « nisi populus domus Israel convertatur ad legem, exstinguetur candelabrum, occidetur rex Iosias et vastabitur domus, destruentur atria, et vasa domus sanctuarii in exsilium ibunt ». Verum iam LXX legerunt, uti textus mas. fert בַּצְּעֵם διάκοψον, *concide, disseca* et haec lectio optime ad sensum quadrat et solum ea id exprimitur, quod necessario hic exspectatur : populum ruinis templi obrui. — Hebr. כַּפְתּוֹר *S. Hier.* in Ex. 25, 33; 37, 17. 19. 22 etc. vertit *sphaerulam*; Soph. 2, 14 *limen*, et h. l. *cardines*. Ex descriptione in Ex. est ornamentum candelabri aurei, quod LXX reddunt σφαιρωτῆρες; hic igitur commode ornamentum, corolla, vel capitulum columnarum intelligitur, quo percusso ipsa columna percuti et ruere censenda erit. LXX ἱλαστήριον, habent, unde magna literarum similitudine כַּפֹּרֶת legerunt; ex cod. syr. hexapl. *Aq.* vertit *structuram, aedificium*; pro *Sym.* et *Theod.* affertur vox syriaca קיבורין, quam vocem *Middeldorpfius* ait se frustra tentasse; sed fortasse est transscriptio aliquantulum infelix pro chaldaico כיפור vel pro hebr. כפרים *propitiatio*. Quodsi ita, *Sym.* et *Theod.* pro lectione LXX testimonium ferrent. Sed minime spernenda videtur sententia a *Field* proposita, vocem syriacam graecum repraesentare κιβώριον quod in architectura ecclesiastica Graecorum est conopeum vel tabernaculum super altare extensum. Sed mihi dubium est, num tempore *Sym.* et

Theod. ea iam significatio voci inhaeserit. Si priscus Graecorum usus spectatur, qualis cernitur apud Athenaeum (3, 73 ; 11, 477) et Diodorum Sic. (1, 34 — cf. *Pape,* Handwoerterb. d. griech. Spr. s. v.), significatio erui posse videtur, qua κιβώριον non adeo absit a corolla vel ornamento quodam columnarum ; praeterea textum *mas.* tuentur praeter *S. Hier. Syrus* et, ut videtur, etiam *Chald.*, nam *candelabri* mentio vocem illam supponit in Ex. ad candelabri descriptionem saepe usurpatam. Hebr. *et contremiscant limina* i. e. percussione illa templum a summo usque ad imum concutitur ; quod sequitur *et concide ea super caput omnium,* non potest dici de liminibus inferioribus, sed solum de *superioribus* ; quare vox סִפִּים vel pro omni genere liminum adhibetur (cf. *superliminaria*) vel suffixum pron. secundum sensum ad capitella confracta partesque decidentes refertur.

Nullum fore effugium sublimi amplificatione proponit, cuius rationem *Ps. Ruf.* bene declarat : « verum ne hoc ipsum breviter indicatum sensum eluderet audientium, pergit sententiam dilatare per species, ut affectum timoris longitudine descriptionis exasperet ; simulque commendat se indignante, qui sit totius orbis inspector, nullam regionem, nullam esse creaturam, quae vel auxilium aliquod vel solatium valeat praebere damnatis ». Adest simul gradatio : nam, ut *S. Hier.* advertit : « qui dixerat *non erit fuga eis,* nunc ipsam fugam in partes secat et hyperbolice etiamsi hoc et hoc fecerint evadere eos non posse testatur » ; v. 2 « *si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos ; et si ascenderint usque in coelum, inde detraham eos ;* v. 3 *et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos ; et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti et mordebit eos* » ; — hebr. *si perrumpent in infernum,* conatum et vim denotat, ut sese eripiant et alicubi tueantur (cf. Ez. 8, 8 ; 12, 5). Vertex Carmeli silvis est obsitus et specubus ac cavernis Carmelus insignis, unde aptissimus ad refugium et absconsionem locus ; solebant Israelitae tempore periculi in eiusmodi speluncas et latebras inaccessas confugere (cf. Ios. 10, 22. Iud. 6, 2. 1 Reg. 13, 6 ; 22, 1 etc.). Quae fieri possunt et quae non possunt, permiscentur, quo efficacius effugium ullum negetur. *Serpens* est draco marinus, monstrum quodlibet marinum (cf. Is. 27, 1).

Immo ipsi captivi, qui ab hostibus in alienas regiones asportantur, minime se securos putare debent et a mortis periculo exemptos vel satis iam servitute punitos : v. 4 « *et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio et occidet eos ; et ponam oculos meos super eos in malum et non in bonum* ; — cf. Ez. 5, 2. 12 : « tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam et gladium evaginabo post eos » ; magna sane Dei indignatio cernitur, cum servitutis miseriis nondum placatus miseros captivos caede prosternat ; et quam perseveranti furore eos afflicturus sit, minatur *ponam oculos* i. e. « intuebitur, non ut aliquid boni largiatur, sed ut decretam sibi poenam et ultionem immotam et quasi fixam habeat » (*S. Cyr.*).

« Et haec facturum esse se dicit omnipotens Deus, ad cuius tactum et nutum terrae fundamenta quatiuntur sive tabescunt et omnis eius habitator planctu et luctibus occupatur; quae loquitur ut ostendat magnitudinem divinae potentiae, ne forsitan velit quidem facere quod minatur, sed vires non impleant voluntatem » (*Hier.*); vel, ut *Ps. Ruf.* exsequitur, potentiae suae documenta proponit, ut in calamitate sibi inflicta *exiguum* virtutis divinae effectum agnoscentes sciant, minime Deum omne quod possit in ipsorum calamitatem expendisse; v. 5 « *et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram et tabescet et lugebunt omnes habitantes in ea et ascendet sicut rivus omnis et defluet sicut fluvius Aegypti* »; — cf. 8, 8; in hebr. etiam hic terra ipsa dicitur ascendere et defluere, quasi terrore fluctuare, et h. l. etiam *S. Hier.* versionem suam ita explanat: « et quomodo Aegypti fluvius decurrit in mare atque sorbetur, ita et terra Israel ». *Qui tangit terram* . . . cf. Ps. 96, 5; 74, 4. Mich. 1, 4.

Porro v. 6 « *qui aedificat in coelo ascensionem suam et fasciculum suum super terram fundavit; qui vocat aquas maris et effundit eas super faciem terrae; Dominus nomen eius* »; — prior pars satis obscura in variam partem trahitur: qui in coelo solium suum collocat, qui ad summos coelos ascendens ibi degit, et qui in terra *fasciculum suum* i. e. colligationem rerum fundavit et conservat (*Lap. Men. Tir.*) vel coetum cultorum suorum fundavit (cf. *Ps. Ruf. Alb. Rib. Sa, Calm.*) vel firmamentum, fornicem coelestem firmavit super terram (*Keil, Trochon*); de altero membro vide 5, 8; pluviae originem intelligunt alii (*Alb.*), alii (*Est.*) inundationem ad instar diluvii.

Vox hebr. אֲגֻדָּה adhibetur Ex. 12, 22 ad *fasciculum* hyssopi designandum, 2 Sam. 2, 25 cuneum, turmam, conglobationem hominum significat; Is. 58, 6 de colligationibus et nexibus illis dicitur, quibus ius perverti et opprimi solet. Exinde haec notio probabiliter colligitur ex priore parte membri: *qui gradus suos aedificat in coelis* i. e. varias quasi contignationes vel sphaeras (?) in coelesti regione exstruxit, per quas ad coelos altiores ascenditur et horum graduum vel orbium coelestium *colligationem* i. e. nexum illum et concentum motionum et ordinem stabilem *super terram fundavit* i. e. hisce in terris nexus ille orbium supernorum et ratio eorum ac gyrus constans ita deprehenditur sensibus, ut quasi in terra tamquam in centro immoto suum habere cardinem videatur. Neque modus loquendi, quasi gyrus ille virtute quadam terrestri contineretur vel fundamentum suum haberet super terram, aliquem iure offendere potest. Nam sermone communi de rebus loquimur, *prout sensibus percipiuntur*, vel sensibus apparent; ita solem dicimus oriri, occidere; idque verissime, quia locutio haec exacte id refert, quod sensibus obiicitur. Utrum *praeterea* in rerum natura haec eadem *eodem modo* peragantur, necne, sermo communis neque negat neque affirmat, cum ad illam provinciam sermo communis minime attingat.

Quare aliqui recentiores has et similes s. Scripturae locutiones (v. g. solem stetisse Ios. 10, 13) immerito tamquam *scientifice falsas* traducunt. Ii pro sermone humano qui communiter usurpatur aliquid exigunt quod minime locum habet. Bene de hac re agit *Franc. Schmid* (de Inspirationis Bibliorum vi et ratione, p. 326) qui inter alia : « quod homines per phrases istas significare volunt, sunt phaenomena omnibus notissima et verissima praecise qua talia, quocumque tandem modo eveniant et nascantur. Quare phrases istae revera in rigore aliud non significant quam certa naturae phaenomena quae omnibus nota sunt » ; et inter alia affert quae qui navi vehuntur, dicere solent : litus paulatim recedit. De qua re etiam cf. *Vigouroux*, Manuel bibl. I p. 56 ; Stimmen aus Maria-Laach 1882, XXIII p. 422. — Ad illam vocis notionem accedit vocabulum chald. אֲגַד *fulcrum*. *Chald.* vertit : coetum suum (synagogen) in terra ; LXX et *Syrus* τὴν ἐπαγγελίαν αὐτοῦ ἐπὶ γῆς θεμελιῶν ; unde verbum ad נָגַד hiph. *annuntiare* (cf. Haggada) referunt.

Habet igitur Deus *potestatem* eos perdendi. Id vero etiam facere constituit. Unde tacitae eorum obiectioni occurrit (*Rib.*), utpote qui propter electionem in Dei populum et patriarcharum merita in superbiam erigantur (cf. *Hier. Cyr. Rup. Sanct.*) et falsa quadam fiducia fulciantur (*Alb. Calm.*). Dicit enim, eos a se eodem loco haberi quo reliquas gentes, quibus sese similes reddiderint suis sceleribus (cf. *Cyr. Men.*) ; v. 7 « *numquid non ut filii Aethiopum vos estis mihi, filii Israel ? ait Dominus ; numquid non Israel ascendere feci de terra Aegypti et Palaesthinos de Cappadocia et Syros de Cyrene* » ? — agit propheta contra illam animorum contumaciam et elationem, qua gloriantur : *filii Abraham sumus* ; nihil prorsus prodesse docet nativitatem ab Abraham, si *mentem* priscorum patrum non expresserint ; sed eodem cum gentibus censu se haberi. Aethiopes autem nominat, « quia in colore nigro improbos mores significari et ingenium pravum, infidele, distortum notum est et probat satis oppositus color, quo vitae puritas et ingenii simplicitas exprimitur » (*Sanct.*). Deinde ne falso sibi blandiantur de eductione ex Aegypto, etiam translationem illam non per se et quasi ex ipso opere facto (*operato*) illis dignitatem et sanctitatem conferre docet exemplis Philisthiim et Syrorum, quos etiam ex aliena regione ad eas sedes, quas iam occupent adduxerit. Bene rem effert *S. Ephr.* : « si in exitu ex Aegypto gloriamini et non in me, ecce etiam Philisthaeos eduxi... ». In textu hebr. *Kaphtor* est regio illa, de qua migrarunt Philisthaei ; alii *Cretam* insulam [1], alii *Cyprum* assignant, alii partem septemtrionalem in Nili regione, quae *Delta* nomen habet (cf. *Ebers*, Aegypten und die Bücher

---

1. Alii urbem Kaphtor Cydoniam interpretantur ; vide *Vigouroux*, La Bible et les découvertes mod. 3 ed. III p. 344.

Mose p. 127-253 et periodicum, cui nomen Katholik 1870, II p. 215); de eodem eventu vide Deut. 2, 23. Ier. 47, 3. Hebr. *et Aram de Kir* [1] cf. 1, 5.

Dei illa electio eis facta et singularia beneficia iis praestita eos a castigatione non eximunt neque a ruina ; neque sibi propter promissiones datas blandiantur neque securitatem polliceantur ; Deo enim et populum transgressorem punire et suae providentiae consilia optime exsequi minime est difficile ; v. 8 « *ecce, oculi Domini Dei super regnum peccans et conteram illud a facie terrae ; verumtamen conterens non conteram domum Iacob, dicit Dominus* » ; — normam suam prodit, qua et singulos punire regnumque peccans destruere sciat et nihilominus promissis semel datis stare. Quare singuli ex illis promissis de foedere aeterno, a quo populus Iacob non sit excludendus, minime sibi debent impunitatem promittere vel censere, se non iri abiectum.

Quomodo non conterat domum Iacob et *quos* non abiiciat, explicatur v. 9 « *ecce enim mandabo ego et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro et non cadet lapillus super terram* » ; — i. e. dispersio in gentes est cribratio populi ; palea et pulvis et quaecumque corrupta sunt proiicientur et peribunt ; bona autem grana servabuntur maxima cura, ne unum quidem peribit. Similitudo optima est, qua delineetur, quem in finem illam in gentes dispersionem Deus permittat. Purgat populum suum quasi ventilabro (ita LXX et graeci interpretes) ; qui mali sunt et ad gentilium mores diffluunt, delentur ex censu populi Dei, peribunt, sese scil. cum gentibus permiscent et desinunt esse ex numero Israel ; qui *vere* sunt Israelitae, ii etiam in illa dispersione maxima providentiae cura servabuntur ; *fideles igitur Dei cultores* soli agnoscuntur Israelitae ; hos Deus reducet ; per hos erit, ut non penitus domum Iacob conterat. Locus iste insignis est, cum exsilii scopum clare doceat et modum proponat, quo Deus *instaurationem* sit operaturus ; neque enim omnes qui ad domum Iacob pertinent reducet, sed eos qui ex domo Iacob moribus gentilium implicantur, ex numero et dignitate populi sui *excludit*. Haec enim certe est vis comparationis, qua agitatio in vanno proponitur talis, ut avolet pulvis, sed ut ne unum quidem granum solidum (cf. *Alb. Lap. Men. Tir.*) cadat vel pereat. Atque hoc pro vaticiniis messianicis probe notandum est. Id enim si attenderis, facile perspicies falli eos, qui promissiones messianicas ad *Israel* dictas impleri volunt in iis qui inter gentes commorati earumque moribus

---

1. Adnotat *S. Hier.* : « pro Cyreno Aquila et quinta editio ipsum verbum hebr. posuerunt *Cir* (קיר), Septuaginta *foveam* i. e. βόθρον, Theodotio *parietem*, Symmachus *Cyrenem*, quem et nos in hoc loco secuti sumus ». Ex cod. syr. hexapl. *Sym.* etiam *Cappadociam* transtulit, dum *Theod.* Kaphtor retinuit.

imbuti reditum in Palaestinam renuerunt. Verum *hos* Deus ex Israel delet.

Quod textum spectat, *triticum* neque hebr. neque graecus neque syriacus neque chald. textus effert [1], sed facile subintelligitur. Similitudinem ita explanat *S. Hier.* : « Deus pro magnitudine sua utraque manu tenens margines terrae quasi cribrum huc illucque concutiet, ut paleis ac sordibus peccatorum in terram cadentibus, purum frumentum remaneat, quod condatur in horrea »; ex qua explanatione simul eius versio illustratur scil. quid voluerit per *lapillum* [2] dicere. Subtilius enim *Ps. Ruf.* perpendit *lapillum* : « quod autem lapillos ait inter frumenta residere, ad consuetudinem videtur respexisse purgantium, qui plerumque ad hoc in cribrum mittunt lapillos, ut vim concussui addant marginibus illisi et nihil de quisquiliis remanere patiantur ».

Ut a vana fiducia depellantur, denuo declarat normam divinam de *regno peccante* (v. 8) ; « deinde quasi quis obiiceret : si rursum Iacob salvabitur, in quos igitur intentantur minae? commode respondet, non confuse adversus omnes simpliciter furorem exserturum,... eos magis se invasurum, qui scelera intolerabilia perpetrassent » (*Cyr.*) ; v. 10 « *in gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt : non appropinquabit et non veniet super nos malum* » ; — cf. 5, 18 ; « i. e. qui sacris vatibus restiterunt et eos quasi convincere gestientes affirmabant, nihil calamitatum quas illi denuntiabant esse venturum, neque se ulla malorum experimenta capturos, hos, inquit, vindicta persequetur saeviens » (*Ps. Ruf.*) ; isti bello peribunt et hostium invasione morte violenta abripientur. Quod repetitis vicibus demum ad stragem completam pervenit (cf. 4 Reg. 15, 29 ; 17, 6 ; 25, 4), uno conspectu propheta proponit. Cladem enim spectari *totius* populi i. e. utriusque regni, ex templi mentione facta et ex ea, quae subsequitur, instauratione consequitur. Id enim certe instaurandum praedixit, quod casurum vaticinatus erat ; atqui tabernaculum David dicit reaedificandum, ergo in antecedentibus non de sola regni Israel ruina sermonem fecit. Insuper Amos saepius regnum Iuda respicit (2, 4 ; 6, 1) vel ea profert, quae ad *totum* populum aequa ratione pertinent (cf. 3, 1 ; 9, 7. 8).

b) Instauratio 9, 11-15.

Sollemne est prophetis post vaticinia de excidio regni theocratici eiusdem regni subiungere instaurationem salute, sanctitate, gloria insignem.

---

1. Quare non opus est cum *Houbig.* בר addere textui, quod propter vicinitatem literarum similium בכברה exciderit.

2. Est צְרוֹר ex etymologia *solidum, compactum* ; cf. 2 Reg. 17, 13. *Rup.* explicat de lapidibus ad instaurationem aedificii discusso pulvere aptis.

Dei enim foedera cum Abraham et patriarchis inita et promissa divina eis adnexa, quae foedere sinaitico confirmata erant quaeque postmodum domo David electa aliisque editis vaticiniis egregie illustrata sunt (cf. 2 Reg. 7, 14 seq.), eventu et successu carere nullo pacto poterant. Quare populus quidem Dei propter foedus violatum et scelera admissa erat castigandus, minime tamen ita abiiciendus, ut non ex ipsa veteris theocratiae ruina nova et insignis sanctioris theocratiae forma exsurgeret. Talem casus reparationem sublimiorem explicite iam delineavit Osee; cf. 1, 10. 11; 2, 18-24; 3, 5; illam adumbrat Ioel; cf. 2, 28; 3, 18; clare vaticinatur Amos. Dispersione enim facta et populo exsilii cribro concusso et purgato v. 9 quid rei futurum sit, hisce indicat v. 11 « *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit et reaedificabo aperturas murorum eius et ea quae corruerant instaurabo et reaedificabo illud sicut in diebus antiquis* »; — *in die illa* i. e. dum periodus illa quae in antecedentibus est descripta, volvitur vel postquam ea facta sunt quae v. 9. 10 assignantur, *suscitabo tugurium David collapsum* (hebr.); ipsa verba satis produnt, *splendorem* regium non solum a domo David recessisse, verum ipsam domum obscuritate obvolvi dignitate prisca fere exstincta. Illam enim comparat *tugurio collapso*; et haec domus David iam non habet regiam civitatem, sed quae ad ipsam pertinet regia civitas, moenibus ruptis et multiplici collapsu et vastitate est miseram in conditionem redacta. Unde Amos aperte vaticinatur, populi exsilium cum ipsa regni Davidici interruptione et pro aliquo tempore cessatione iri coniunctum. Sed quia Davidi regnum aeternum promissum est, domus eius in obscuritate illa non exstinguetur, verum suo tempore regnum Davidicum novo splendore suscitabitur, *sicut in diebus antiquis,* uti olim tempore David et Salomonis. Tunc enim Deus, qui nunc trullam caementarii deponere visus est prophetae i. e. deponere curam pro aedificii firmitate et ornamento (cf. 7, 7-9), curam illam denuo assumit, aedificium instaurat (cf. *Ps. Ruf.*).

Huius autem instaurationis ambitum et indolem declarat, dicens: v. 12 « *ut possideant reliquias Idumaeae et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens haec* »; — uti David Edomitas, a fratre Iacob progenitos sed Iudaeis infensissimos subiecit et suo regno addidit (2 Reg. 8, 14. 3 Reg. 11, 16), ita *regni Davidici instauratio* apte ab eodem eventu describitur, ut primum iis qui sanguinis cognatione iuncti sunt populo Dei, idem imperium restitutum saluti esse dicatur, et vetere odio sublato hostes infensissimi dominationi Davidicae colla subdant; *reliquiae* autem nominantur, quia ex 1, 11 etiam Edomitae iudicio et castigatione vexati et imminuti sunt. Deinde, prout David exteras quoque gentes sceptro suo subiugavit, ita

regnum Davidicum restitutum iam omnes possidebit et imperio continebit nationes, *super quas invocatum est nomen meum* (hebr.) i. e. quae nomini Domini consecrantur, ad ipsum pertinent, ex nomine Domini *populus Domini* appellantur; vel aliis verbis : omnes nationes, quae Dominum colunt et a Domino tamquam servi et cultores agnoscuntur, etiam regno David subditae esse debent; et regnum David suscitatur eo fine et successu, ut et cognata sanguine stirps tamquam pars ei subiiciatur, et omnes nationes efficiantur *populus Domini,* et tamquam tales illi regno coalescant. Invocari nomen alicuius super alium est ad eum cuius nomen invocatur pertinere, ei esse obsequentem et subditum, eius curae esse commissum eique variis titulis esse obstrictum ; cf. 2 Sam. 12, 28 (hebr.) : « ne ego capiam urbem et vocetur nomen meum super eam » ; Is. 4, 1 : « tantummodo invocetur nomen tuum super nos » i. e. ex tuo nomine nominemur ; volunt ad eum tamquam maritum pertinere, ut viduitatis et sterilitatis opprobrium auferatur. Illustratur eadem notio apud Is. 44, 5 : « iste dicet : Domini ego sum ; ille vocabit in nomine Iacob et hic scribet manu sua Domino et in nomine Israel assimilabitur » et Ps. 86, 5. 6 ex hebr. : « nonne Sioni dicetur : quivis natus est ibi ». Hac igitur appellatione conceptis verbis dicitur ceteras quoque nationes iam eo tempore in eodem esse apud Deum censu et ordine ; eousque Israel populus erat ex Domini nomine vocatus ; sed iam eius excellentiae consortes fieri reliquas nationes et eas in tale consortium dignitatis admissas ad sceptrum novi illius David applicari. Quare versio *S. Hier.* sensum rite exprimit : *eo quod invocatum sit...*

Porro eo ipso quod nationes ex nomine Domini appellantur, regni indoles spiritualis innuitur ; nam ratio regni suscitati eiusque profectus et incrementum in eo reponitur, ut nationes efficiantur *populus Domini* et eius cultores. In hac appellatione ex nomine Domini etiam ratio cernitur, cur novus Dei populus, populus scil. messianicus, saepe *Israel* vocetur, quamvis nativitatis originem minime trahat ab Israel ; fit Israel eo ipso, quia invocatum est nomen Domini super ipsum, quia in hanc unam et praecipuam dignitatem, quae olim soli Israel erat concessa, iam ex Dei gratia ingreditur.

Simul etiam advertere iuvat hoc loco, quomodo mentione facta instaurationis statim omnium nationum vocatio messianica annuntietur. Est enim indoles haec universalis quam maxime propria novae theocratiae. Nam dum vetus illa arctis unius populi limitibus circumscripta erat, id peculiare est cuivis regni messianici descriptioni, ut statim illa ad omnes gentes diffusio prodatur. Id iam insinuatur in vaticinio Noe : « dilatet Deus Iaphet et habitet in tabernaculis Sem » (Gen. 9, 27) ; clare effertur in promissione toties repetita : « benedicentur in te omnes gentes » ;

proponitur in celebri vaticinio Iacobeo : « donec veniat Schiloh et ei est obedientia populorum » (hebr. Gen. 49, 10) ; cernitur in Ps. 2, 8 : « postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae », in Ps. 71, 8-12 ; 21, 28 etc. habetur Os. 1, 10 ; insinuatur Ioel 2, 28. 32 ; et apud prophetas frequentissime nobis occurret (cf. Mich. 7, 11). Optime argumentatus est ex nostro loco Iacobus Apostolus pro gentium vocatione Act. 15, 14-18 ; verba recitantur ibi ex LXX versione, quae *eundem* cum hebr. *sensum* praebent : « ut requirant ceteri hominum Dominum et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec » ; neque haec verba textum hebr. supponunt nisi parva quadam literarum similium mutatione diversum [1] ; ei praeter *S. Hier.* suffragantur *Syrus* et *Chald.*

Tamquam certissimae rei confirmatio et obsignatio additur [2] *oraculum Iahve facientis haec* (hebr.) ; Dominus qui est ὁ ὤν, foederis Deus, pro cuius impletione ipsum nomen suum essentiale et incommutabile pignoris loco in tesseram dedit, h. l. per aliam emphasin ut *faciens haec* asseritur ; idque merito, quia regni messianici institutio et gentium vocatio opus est sola Dei gratia et potentia absque ullo hominum merito perficiendum.

Quamvis plerique interpretes ipso rei argumento suadente et duce *S. Hier.* vel potius Iacobo Apostolo (Act. 15, 15) locum hunc de tempore Christi et Ecclesia interpretentur, tamen etiam non deerant, qui reditum ex Babylone et tempora Zorobabel iis in verbis sensu literali designari et sensu altiore vel mystico demum tempora Christi delineari vellent (cf. *Cyr. Ps. Ruf. Theod. M. Calm.* et pro v. 13-15 etiam *S. Ephr.*). At reditus ex Babylone eo tantum modo h. l. praedictus esse censeri fortasse posset, quatenus *supponitur* praevius ad instaurationem regni Davidici ; at de Zorobabel nullo modo sermonem fieri, ex ipsa rerum serie iam perpendit *Theod.* : « noluerunt advertere, Zorobabelem cum brevi tempore praefuisset, e vita excessisse ; prophetiam autem aeternorum bonorum promissionem continere et omnes gentes cognituras esse Deum ; quorum nihil iis quae Zorobabelis tempore gesta sunt congruere invenimus ». Censet *Calm.* vaticinium de reliquiis Edom expletum esse, cum Hyrcanus Asmonaeus Idumaeos ditioni suae adderet et circumcisionem ritusque iudaicos admittere cogeret (cf. *Iosephus*, Antiq. 13, 17) ; at quo pacto demum eo tempore tabernaculum David collapsum suscitatum est ? — Cum apud LXX legatur οἰκοδομήσω καθὼς αἱ ἡμέραι τοῦ αἰῶνος, graeci interpretantur de aedificatione *in longum tempus, in aeternum* duratura ; sed *aedificabo* in aeternum non satis apte dicitur ; quare versio *S. Hier.*

---

1. Legebant enim LXX non ויירשו verum ידרשו ; non אדום verum אדם ; inde totum versionis discrimen est enatum.

2. Cf. *Rup.* ad h. l. : « et ut scias, quia quidquid audisti stabile et ratum est, nec infectum remanere potest, non alius, sed ipse *dicit Dominus faciens haec* ».

praeferenda est. *Chald.* in hunc modum sensum huius loci reddit : « tempore illo suscitabo regnum domus David collapsum et aedificabo propugnacula eorum et coetus eorum instituam ; et dominabitur in omnia regna et consumet et disperdet multos exercitus ; ipsum vero aedificabitur et fundabitur sicut diebus saeculi, ut possideant reliquias Edom et omnes populos domus Israel, super quos invocatum est nomen meum ». Locum nostrum de tempore Messiae Iudaei quoque intellexerunt ; inde petitum est nomen בַּר נִפְלַיָּם *filius cadentium*, quod indunt Messiae propter eius originem ex familia David in humilem conditionem redacta (vide *Reinke*, messianische Weissagungen III p. 194).

Ex argumentatione S. Iacobi (Act. 15, 15) luce clarius patet, instaurationem tabernaculi David in ipsa Ecclesiae Christi fundatione et propagatione contineri ; id quod contra *chiliastas* modernos notatu dignum est, qui in veterum vestigia ingressi imperium exspectant in Ierusalem fundandum et exinde in orbem terrarum diffundendum. Contra eos notat *S. Hier* : « et ne longo sermone regulam differam sponsionum, et in hoc propheta et in ceteris quaecumque de aedificatione Ierusalem et templi et rerum omnium beatitudine praedicantur, Iudaei in ultimo tempore vana sibi exspectatione promittunt et carnaliter implenda commemorant. Nos autem qui non occidentem literam, sed spiritum sequimur vivificantem, iam in Ecclesia convincimus expleta et quotidie impleri in singulis, qui ruentes per peccatum, reaedificantur per poenitentiam ». Atque crebro s. doctor contra eiusmodi *chiliastarum* opinamenta invehitur (cf. ad Os. 2, 24 ; 6, 1 ; 11, 11. Ioel 3, 7. Soph. 2, 8 ; 3, 14. 19 ; *M.* 25, 841. 867. 921. 982. 986. 1364. 1382. 1385. 1430. 1431 etc.).

Indolem novae illius theocratiae iam ex *sanctitate interna* describi ; eam vero ita exhibet, ut quae Moyses olim colentibus Deum et legem eius observantibus promiserat, iam maxima cum abundantia evenire dicat. Pollicitus enim erat Moyses : « si in praeceptis meis ambulaveritis et mandata mea custodieritis et feceritis ea, apprehendet messium tritura vindemiam et vindemia occupabit sementem » etc. (Lev. 26, 3. 5) ; ita scil. ex indole legis veteris et promissione data *nexus* adest inter fidelem Dei cultum legumque observantiam et terrae frugumque abundantiam isque talis, ut ex terrae fertilitate et ubertate messium concludere liceat ad populi mores ex lege Dei exactos. Quare propheta hanc ipsam terrae ubertatem iuremerito adoptat quasi imaginem et symbolum quoddam externum, *ex quo signo interna sanctitas cognoscatur*. Si ergo vates novam theocratiam proponit omni bonorum genere abundantem, pace fruentem et securitate maxima, fertilitate donatam laetissima, tum propter nexum illum divinis promissionibus in vetere lege stabilitum (cf. Deut. cp. 28. 29) eo ipso *sanctitatem internam adesse et florere* indicat, quia haec est conditio necessaria, *sine qua* bona illa non exsistunt, *cum qua* vero exsistere et florere perhibentur. Ad hanc rationem, quae ex indole veteris legis fluit accedit alia, quam *Theod.* tangit, bonorum scil.

temporalium exhibitione allici homines faciliusque in tali involucro spirituales promissiones capere; est enim homini quam maxime accommodatum, ut per sensibilia ad altiora appetenda ducatur. Ita Christus quoque *coelestia gaudia* sub imagine et symbolo convivii, nuptiarum etc. proponit; quare nemo mirabitur, prophetas usos esse rebus temporalibus, ut novae illius theocratiae desiderium et existimationem auditoribus suis iniicerent.

Haec si ob oculos habueris, rite explicabis imaginem uberrimae fertilitatis a propheta delineatam v. 13 « *ecce dies veniunt, dicit Dominus, et comprehendet arator messorem et calcator uvae mittentem semen et stillabunt montes dulcedinem et omnes colles culti erunt* »; — cf. Lev. 26, 5. Ioel 3, 18. hebr. et *omnes colles liquefient* i. e. quasi fluent musto, melle, lacte [1]. « Proverbialis forma, qua magna significatur rerum abundantia et fructuum perceptio iugis et continens, ita ut nullum sit temporis momentum, in quo aliquid terra non suppeditet » (*Sanct.*); tam celeriter messis maturescet et feliciter, ut dum quis adhuc arva subigat ad semen excipiendum, iam in alia campi parte laetae segetes atque maturae adstent; tanta copia uvae aderunt, ut vindemia usque ad tempus sementis sit producenda. Ipsa promissionum hyperbole, quae praecipue in priore membro cernitur — ut uno eodemque tempore et semen iaciatur et iam messis maturescat — insinuat id *parabolice* dici; quis enim talem terrae immutationem et naturalium rerum alterationem serio sibi persuadebit fieri unquam posse vel debere, praesertim cum rerum naturalium substantia peccato Adami admisso nulla ratione sit immutata? Est igitur ea imago similis ei, quam Is. 11, 6 depingit, ut pacis messianicae symbolum vivis coloribus exhibeat; est similis ei, quam Os. 2, 21-23 delineat.

Quia in nova theocratia *sanctitas interna* adest, ideo populus ille tutus erit ab hostium incursu, a spoliatione bonorum, ab eiectione in exsilium. *Peccantibus* enim dictum est: « vineam plantabis et vinum non bibes, olivas habebis et non ungeris oleo . . . disperget te Dominus in omnes populos . . . eiecit eos de terra in ira et in furore (Deut. 28, 38. 39. 64; 29, 27); quare si iam felicitas et securitas *stabilis* praedicitur, stabilis etiam morum sanctitas indicatur; v. 14 « *et convertam captivitatem populi mei Israel, et aedificabunt civitates desertas et inhabitabunt et plantabunt vineas et bibent vinum earum et facient hortos et comedent fructus eorum;* v. 15 *et plantabo eos super humum suam et non evellam eos ultra de terra sua quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus* »; —

1. LXX tamen et *Chald.* explicant sicut *S. Hier.* : ὄμβρυτοι ἔσονται, culti erunt.

hebr. *et non evellentur amplius* [1]. Theocratiae novae indefectibilitatem facile cernes hic expressam. Ita *S. Hier.* : « ex quo intelligimus Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti ; tentari non superari » (sim. *Sanct.*). *Et convertam* i. e. miseram populi conditionem in melius mutabo ; epiphonematis loco futuram calamitatem et quae inde enasci debeat gloriosam instaurationem paucis complectitur et hac rerum summa denuo proposita, quae est omnium vaticiniorum complexio, librum suum absolvit propheta. —

Qui v. 11 et seq. de tempore reditus a Babylone interpretantur, ea promissa conditionate proponi intelligunt : « suum propositum rerum Dominus publicavit, quod eos scil. ita restituerit finibus paternis, ut nunquam eos vellet expelli, si eorum vita pateretur ; sicque ad intelligendum pateret, adversa omnia quae sunt deinceps consecuta, illorum esse moribus imputanda » (*Ps. Ruf.*) ; et in similem sententiam hic *Theod.* quoque concessit. Verum prior explicatio sola consistit, quae ad v. 11. 12 ipsa contextus serie conformata est. Instauratione enim messianica adumbrata, in qua omnis prophetiae culmen et fastigium deprehenditur, toti vaticinio finis imponitur aeque sublimis ac sollemnis.

1. Ita etiam LXX καὶ οὐ μὴ ἐκσπασθῶσιν οὐκέτι ἀπὸ τῆς γῆς αὐτῶν· cf. Is. 65, 21. Ier. 24, 6 ; 29, 14 ; 32 ; 41. Ez. 28, 26 ; 34, 27 ; 36, 28 etc.

ABDIAS

PROLEGOMENA

De tempore Abdiae.

Cum oraculum sub nomine Abdiae [1] nobis traditum nihil pandat de propheta nisi nomen, quod *cultorem* vel *servum Domini* interpretaberis, nihil certi de ipso excepto nomine scimus. Variae tamen sunt veterum coniecturae; fuisse prophetam ex terra Sichem (cf. *Ephr. Barh.*), fuisse illum Abdiam, qui tempore Achab centum prophetas absconderit et paverit (3 Reg. 18, 3. 4 — ita *interpretum plerique* apud *Sanct. Rib.* et ex Hebraeorum traditione apud *S. Hier.* in Abd. 1) vel principem quinquagenarium illum, de quo sermo sit 4 Reg. 1, 13-16 (*Barh. Mar.*); alii eum aequalem asserunt Osee, Ioel, Amos (*Cyr. Ephr. Hier.* ad Os. 1, 1). Neque apud recentiores una est sententia, quo tempore vixerit; alii enim eum omnium prophetarum antiquissimum sub Ioram oraculum condidisse aiunt (ita *Hofmann*, *Delitzsch* apud *Keil*, Einl. §. 88; *Vigouroux*, Manuel bibl. II. p. 632; *Kaulen* Einl. p. 358; *Trochon*); alii tempore Oziae (*Hengstenberg*, *Caspari*, *Haevernick*); alii sub Achaz (*Vitringa*, *Carpzov*, *Kueper*); alii proxime ab exsilio babylonico (*Noeldeke*); alii proxime post urbem a Nabuchodonosor eversam (*Calm.* cum multis recentioribus : *de Wette-Schrader*, *Knobel*, *Bleek* etc.); demum *Hitz.* ei annum 312 a. Ch. assignant.

In tanta opinionum silva inquirendum erit, num quidquam obstet antiquissimo illi testimonio, quod ex ipso loco et ordine duodecim prophetarum colligitur. Ut enim iam ad Ioel monuimus, prophetarum ordo non sine serie quadam chronologica recensetur, si illos spectaveris, quorum tempus accurate designatur. Iam vero ex libri argumento omnino cer-

1. Hebr. עֹבַדְיָה; LXX Ἀβδιού vel etiam ex aliis codd. Ὀβδιού scil. ὅρασις. Eius nominis vel etiam forma pleniore עֹבַדְיָהוּ plures in s. literis nominantur cf. 3 Reg. 18, 3. 1 Par. 3, 21; 7, 3; 8, 38; 9, 16. 44; 12, 9; 27, 19. 2 Par. 17, 7; 34, 12. Esdr. 8, 9. Neh. 10, 6. In *vulg.* Obdia, Obadia, Obdias, Abdias, Obedia.

tum esse videtur, Abdiam non loqui de eversione urbis tempore Chaldaeorum, verum de aliqua urbis expugnatione priore. Si ita res est, profecto nihil impedit, quominus prophetam tempore Amos prophetasse dicamus, vel eo circiter ordine, qui ex ipsa serie prophetarum ei assignatur, (uti censent *Rib. Sa*, *Lap.*). Ergo stragem chaldaicam *non* describi, nobis erit demonstrandum. Id vero eo conficitur, quia neque de urbe *eversa* vel *destructa* neque de *totius populi* abductione sermo est, sed tantum de urbis expugnatione, de opum direptione, de militibus in captivitatem abductis (cf. v. 11-14. v. 20). Accedit, quod in salutis sioniticae descriptione nulla fit mentio de regione iudaica recuperanda, sed Iudaeos suam regionem occupare aperte v. 17. 19 supponitur et ex sua regione imperium in alias quoque terras protendere; ad eos, qui sede pulsi non sunt, v. 20 dicuntur accedere reduces *milites*, qui propterea appellantur *transmigratio exercitus huius filiorum Israel.* Ergo omnia illa desunt, quae in enarratione cladis et ruinae per Chaldaeos illatae alias distincte et clare proponuntur.

Iuvat id pluribus declarare et probare : v. 11 hostes diripiunt opes Ierusalem, ingrediuntur portas urbis, super populum mittunt sortem i. e. captivos vendunt in servitutem ; nihil de destructione vel incendio urbis et templi, cum tamen ea ruina, uti videmus apud Ier. et Ez. quam maximo dolore optimum quemque affecerit et calamitatis maximae summum censeatur fastigium. Iam quis sibi persuadebit, Abdiam de ea loqui strage et tamen quod praecipuum et potissimum in ea est non commemorari? Neque de ea eversione sermo fit in subsequentibus ; v. 12. 13 expressionibus prorsus *generalibus,* quae ad urbis expugnationem et captivorum militum abductionem ommino aptae sunt, vates utitur, diem vocans *calamitatis, perditionis filiorum Iuda, abductionis* in alienas regionis, *angustiae, mali, infortunii.* Habes igitur talia, quae omnino dici poterant in calamitate 2 Par. 21, 16 narrata : « et ascenderunt in terram Iuda et vastaverunt eam, diripueruntque cunctam substantiam, quae inventa est in domo regis, insuper et filios eius et uxores ; nec remansit ei filius, nisi Ioachaz qui minimus natu erat ». Ita sub Ioram. Certe, si filii et uxores regis abducebantur, etiam partem exercitus fuisse captam quis negabit? et si palatium regium spoliabatur et tota domus regia, rege solo et unico filio exceptis, interibat, quid de urbe, quid de incolis factum esse censebimus? Adde ea, quae Amos narrat 1, 6. 9. 11 de iniuriis a Philisthaeis, Phoenicibus, Edomitis perpetratis, de captivis abductis in alienas regiones, de caedibus commissis; adiunge, quae Ioel similia affert 3, 6 « et filios Iuda et filios Ierusalem vendidistis filiis Graecorum, ut longe faceretis eos de finibus suis » (ad quem locum omnino confer Abd. v. 20 « transmigratio Ierusalem quae est in Sepharad » (hebr.) i. e.

in regione prope Ioniam et Cappadociam[1]; vide infra in com.). Alia urbis expugnatio et direptio legitur sub rege Amasia 4 Reg. 14, 13; 2 Par. 25, 23. 24; quae tamen cum ab Israelitis facta sit, vix ab Abdia h. l. respicitur, quippe qui de *alienis, extraneis* hostibus loquatur, nisi dixeris cum Israelitis alias quoque nationes foedere iunctas fuisse. Verum etsi nos certe dicere non possumus, quam cladem Abdias commemoret, pro nostro proposito satis est demonstrare, eum non de chaldaica loqui. Id autem alia quoque confirmant; v. 13 admonet Edomitas, ne *ingrediantur portam* in die ruinae : ergo urbis destructio ei non obversatur; monet, ne manus extendant in opes (hebr.) in die אֵידוֹ i. e. *infortunii, calamitatis;* nihil commemorat de opera et studio Edomitarum in ipsa urbis destructione et de exsultatione et tripudio illo, quod tamen adeo Edomitis exprobratur Lament. 4, 21 et Ps. 136, 7 : « memor esto, Domine, filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt : exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea ». Igitur Edomitae magnis clamoribus postulabant ut urbs usque ad fundamenta everteretur! et *tali scelere omisso* Abdias solum conquereretur quod manus in opes extenderit?

Dein perpendendum est, a v. 16 nullum adesse vestigium, quo appareat prophetam supponere terram Iuda derelictam, populum abductum. Prophetae qui catastrophen illam tangunt, de reditu populi, de reductione etc. loquuntur; non ita Abdias : *in monte Sion,* inquit, *erit salvatio* et statim addit *et possidebit domus Iacob eos qui se possederant* vel ex hebr. *possessiones earum* (scil. gentium v. 16) : ergo *domus Iacob* e sede sua prope Sion non consideratur eiecta, sed reputatur ibi considere et ad suam quam habet possessionem alia adiungere. Et hanc esse veram explicationem[2] patet praecipue etiam ex eo, quia *domus Iacob* diserte ac explicite a *transmigratione* i. e. ab iis distinguitur, qui in captivitatem venditi sunt (v. 20); idem notatur v. 19 : *ii qui ad austrum sunt, qui in campestribus,* aliorum regiones obtinebunt; id tamen aperte innuit, Iudaeos qui *Negeb* et *Schephelah* occupant ibique sedent, dominium suum esse extenturos. Ipsos vero etiam antea debere in pristinas sedes reverti, non modo non indicatur, sed oppositione v. 20 excluditur. Nam v. 20 ad illos accessuram esse *transmigrationem* decla-

---

1. Fatendum est, hanc explicationem non omni carere dubio. *Delitzsch* quidem in medio reliuquit, utrum regio sit in Asia minore an in Media australi versus Babyloniam (cf. Wo lag das Paradies? p. 249).

2. Sunt enim, qui suffixum pron. הֶם ad *domum Iacob* referant; i. e. *suas ipsorum possessiones* possidebunt; sed de reditu et recuperatione non solet יָרַשׁ adhiberi, sed de occupatione; neque obest Deut. 30, 5; cum ibi hoc verbum seligatur propter memoriam patrum, qui *occuparant,* idque priore versus membro expressum sit.

ratur, proinde *transmigrationem* non totum populum posse intelligi extra controversiam est. Neque negligendum est, dici *exercitus* (*turbae*) *huius* et *Ierusalem transmigrationem*, quo loquendi modo iterum planum fit, de parte non de toto populo esse mentionem; auctorem proinde stragem ob oculos habere similem ei, quae sub Ioram acciderit. Quamvis igitur plerique interpretes v. 11 - 14 de expugnatione a Chaldaeis facta explicent, quam praevidisse et in antecessum descripsisse Abdiam veteres volunt, verba ipsa id minime suadent, immo totius rei color priorem aliquam calamitatem notat. Insuper satis mirum esset, si (cum veteribus) propheta Edomitas reprehenderet propter iniurias nondum perpetratas sed futuras, iisque excidium annuntiaret propter crimina, quae post multum demum temporis forent commissuri.

Uti certum est Abdiam de ultima clade urbis non loqui, ita dictu difficile est, quemnam eventum respiciat. Ad tempus Ioram omnia quidem apta sunt; at num Abdias iam eo tempore vixit? Ita enim loquitur, ut eventum nuper vel recenter factum ob oculos habeat. Fortasse optimum erit dicere, eum eosdem eventus tangere, quos Amos cp. 1 et Ioel 3, 6 in medium adducunt. In libris historicis narrationes non institui explicitas nemo mirabitur, qui attenderit, quam pauca ex multorum regum diuturno imperio literis prodita sint; at cf. 4 Reg. 14, 13. 14. 2 Par. 25, 23. 24; vel 2 Par. 28, 6 - 8 (?).

Hisce etiam iam quaestio soluta est, utrum Ieremias ab Abdia, an Abdias a Ieremia dependeat. Vaticinium enim Ieremiae contra Edom (49, 7 - 22) aliqua habet ita ad verbum et sensum conformata, ut certe alteruter ab altero rem et verba hauserit; v. g. lege Ier. 49, 7. 9. 12. 14 - 16 et Abd. v. 1-3. 5. 6. 8. Nuper quidem *Scholz* (Commentar zum Buche d. Pr. Ieremias) contenderat, Abdiam a Ieremia hausisse; id vero asserit, quia in descriptione Abdiae eversionem cernit urbis. At praeter temporis rationem pro Abdia a quo Ieremias mutuatus sit, haec certant: a) Abdiae oraculum optime in se cohaeret, clare tribus partibus distinctum argumenti explicationem et aptum progressum praebet; Ieremiae vaticinium vero illa interna unitate carens certa sententiarum serie ac progressu non constat, sed cladem Edomitarum variis modis sine certo ordine illustrat; b) Ieremias generatim ab aliis prophetis multa mutuatur et speciatim in vaticiniis contra gentes dicta et oracula priorum recolit cf. c. Philisthaeos cp. 47 et Is. 14, 28 - 32; c. Moab cp. 48 et Is. cp. 15. 16; c. Ammon cp. 49 et Amos 1, 13 - 15; c. Damascum 49, 23 et Amos 1, 3 - 5; c. Babel cp. 50. 51 et Is. 13 -14, 23; c) ea quae utrique prophetae communia sunt, apud Abdiam una serie optime inter se contexta exhibentur, apud Ieremiam variis locis dispersa et aliis rebus inspersa cernuntur; lege Abd. v. 1 - 8. Sed tali conditione om-

nino fit probabile, Abdiam oraculum primitus concepisse, Ieremiam autem ex illo iam noto aliqua sparsim in usum suum derivasse.

Si singula quaedam inter se comparantur, certe aptius ***auditum audivimus a Domino*** ab initio totius vaticinii ponitur, ut et eius origo divina innuatur et inde totius oraculi quasi cursus progrediatur, quam ut cernitur apud Ierem. in medio ; porro si Abdias libello suo inscribit : *visio Abdiae, haec dicit Dominus . . .* non fieri posse videtur, ut quae proponat ab alio propheta hauserit, vel saltem nequit admitti, ea ipsa quae *visionem* immediate ac per se constituant et totius oraculi quasi fons sint et principium, ab alio propheta esse transsumpta. Aliud cernitur apud Ieremiam ; cum enim generatim aliorum vaticinia contra gentes recolat et denuo tamquam mox et certe implenda inculcet, ipso suo consilio quasi cogitur, ut quae Abdias olim protulerit, sparsim et per partes proferat. — Exhortatio : *surgite et consurgamus . . .* apud Abdiam concinna magis est, ipsa sua brevitate emphatica ; personae mutatione, qua ipse nuntius ut belli socium se offert, efficax ; apud Ier. triplici verbo fit protractior et alterum membrum est tautologicum, diffusum, loquendi genus Ieremiae pandens simul cum paraphrasi versus concisi apud Abdiam.

Etiam in v. 2 oratio magis *incitata* ingreditur apud Abdiam ; caret particula כִּי, qua Ieremias nexum indicat. At in oratione affectibus agitata nexus non tam sollicite exprimitur, exprimitur vero ab interprete ; quare Abdias ex vehementiori animi affectione *auctor,* Ieremias a nexu logico restituto quasi *interpres* apparet. Item *vehementius* apud Abdiam : *contemptibilis tu es valde* ; sed ad parallelismum perfectum versus apud Ierem. *contemptibilis inter homines.* Etiam in v. 3 superbia Edom quaestione illa *quis detrahet me?* acrius depingitur apud Abdiam et hac quaestione proposita Domini effatum *ego detraham* magno pondere et vi eximia profertur, et ex illa demum confidentia *quis detrahet me?* aptissime enascitur responsio et exaggeratio *si exaltatus fueris ut aquila.* Ita apud Abdiam. Apud Ier. sermo est magis quietus ; deest exclamatio illa, unde assertio quoque Domini non tanta vi insonat, neque comparatio *aquilae* tam apte et quasi sua sponte fluit. Commotum animum apud Abdiam duplex comparatio et gradatio depingit. Sed facile quis concedet, in tali descriptione qui magis commovetur, tamquam rei spectatorem se prodere ; qui minus, tamquam rei ab alio acceptae narratorem.

Etiam in v. 5 maior vis, maior animi agitatio et commotio apud Abdiam facile deprehenditur. Id iam ex forma interrogatoria elucet, elucet ex sensu in aliam partem verso : accuratius et acrius hostes omnia esse perscrutaturos quam latrones et vindemiatores et omnia ablaturos. Vix credibile est, Abdiam tantum affectuum aestum praeseferentem ad animi commoti sensa communicanda versus illos ex vario loco et contextu apud Ier. sibi corrogasse. Id vero apud Ier. minime poterit esse offensioni, quippe qui concepto consilio priorum vaticinia denuo inculcat, ne quasi oblivione apud Deum deleta vel retractata videantur, sed ut certissime implenda intelligantur.

Scholz quidem contendit v. 7 imitationem esse ex Ier. 38, 22 ; 12, 6 ; sed

cur non vice versa? Neque cernitur, cur v. 18 nihil aliud sit, nisi, ut vult *Scholz*, inepta quaedam imitatio et coacta ex Is. 1, 31; cur non uterque propheta vel Abdias solus comparationem illam haurire poterat ex parabola Iud. 9, 15. 20? vel ex carmine noto Ex. 15, 7?

Quod Abdias v. 17 absolute dicit *et in monte Sion erit salvatio*, Ioel (2, 32) formula vestit *sicut dixit Dominus*; quare effici videtur, verba ea ex Abdia esse deprompta, utpote qui etsi aequalis Ioel fuerit, tamen ante ipsum oraculum fuderit. Neque est, quod in hac sententia iure aliquem offendat. Reliqua quae afferuntur, ut Abdiam probent a Ioele dependere, talia sunt, quae cum res similes tangant, utrique ex indole linguae sua sponte offerri facillime poterant v. g. iniquitas in fratrem Iacob v. 10 et Ioel 3, 19; super Ierusalem sortem mittere v. 11 et Ioel 3, 3; quia prope est dies Domini v. 15 et Ioel 1, 15; 2, 1; 3, 14; retributio tua revertetur in caput tuum v. 15 et Ioel 3, 4. 7; quia Dominus locutus est v. 18 et Ioel 3, 8. Sed quis non videt, eiusmodi a prophetis, qui *eadem doctrina* de rebus divinis, de populi Dei vocatione et sorte *erant imbuti*, quasi necessario usurpari? Equidem censeo, interpretes nimium eiusmodi similitudines venantes incaute statim de dependentia sermonem inferre. Nam ubi adsunt *eaedem* de multis rebus divinis et humanis ideae, ibi facillime eadem etiam verba enascentur idemque dicendi color subinde apparebit.

LIBER ABDIAE

Arg. — Contra Edomitas superbia elatos et arcibus suis natura et arte munitissimis nimium confidentes Deus suscitat bellum a gentibus inferendum, quo penitus deiiciantur, a sociis foedere sibi iunctis prodantur, omni salutis consilio destituantur (v. 1 - 9). Huius autem punitionis ratio est, quia in populum iudaicum, sanguinis cognatione adeo sibi iunctum, hostiles prorsus animos gerentes sicuti pessimi inimici egerunt, irrisione, contumelia, persecutione, caedibus populum cognatum affligentes. Sicut igitur Edomitae scelerum gentium participes se reddiderunt, ita communi quoque iudicio involventur, quod Deus oppressoribus sui populi statuit (v. 10 - 16). Verum in communi illa strage hostium salvatio erit in Sion, populus Dei hostes gloriose deiiciet, eorum regiones occupabit; et qui eiecti erant et prostrati cum gloria reduces erunt et regnum Dei, theocratiam novam constituent (v. 17 - 21).

a) Clades Edomitarum v. 1 - 9.

Titulo oraculi praemisso propheta nomine Dei annuntiat, se in visione prophetica percepisse, quomodo Deus misso praecone gentes ad bellum contra Edom advocet. v. 1 « *Visio Abdiae. Haec dicit Dominus Deus ad Edom: auditum audivimus a Domino et legatum ad gentes misit: surgite, et consurgamus adversus eum in proelium* »! — Cum *visio* omnes rationes complectatur, quibus res a Deo prophetis i. e. *videntibus* communicentur, apte vocatur oraculum visio, ipso iam nomine supernam originem denotante et claram certamque rei notitiam (cf. *Cyr. Theod. M.*). Illud statim declarat formula usitata: *haec dicit... de Edom* (hebr.); « non humana, inquit, ratione usus haec verba facio, sed Deus universorum tamquam organo quodam lingua mea utens Idumaeae futura praedixit » (*Theod.*). Verum cum sequatur: *auditum audivimus a Domino,* multos torquet quaestio, quomodo ad tale initium illud aptum sit prooemium *haec dicit Dominus*. Sunt qui verba *auditum* . . . usque ad v. 2 parenthesi inclusa velint, ut demum v. 2 verba Dei afferantur (cf. *Rib.*

Lap. Sa, Men.) vel ita, ut sermo Dei incipiat *surgite* (*Schegg*) [1]. At coacta sane explanatio et verborum collocatio haec est.

Possunt enim verba optimo sensu in serie relinqui. Si LXX et multo magis si ipsum Ieremiam (hunc locum respicientem) sequimur (Ier. 49, 14), praeferenda erit lectio *auditum audivi;* tunc autem explicatio obvia et facilis ea est, ut ipsa prophetae verba quibus rem sibi a Domino communicatam annuntiat, verba Dei et locutio Dei dicantur, id quod et muneri prophetico prorsus congruit, sunt enim prophetae os Dei ad populum, et notionem inspirationis praeclaram declarat; ea est enim inspirationis vis, ut quae auctor humanus dicat, Deus per ipsum ad homines dicere verissime censendus sit. Proinde vates insinuat Deum voluisse, ut aliis ipsum illum modum internum, quo auribus mentis rumorem bellicum et Dei consilium perceperit, verbis suis pandat. Visio enim illa interna et ipsius rei quam annuntiaturus est experientia in mente vatis facta pondus aliquod addit annuntiationi, sicuti generatim *symbola* rem futuram efficaciter efferunt. Sensus idem erui potest, etsi leges cum textu hebr. *Syro, Chald. audivimus* [2]; sed id non pluralem quendam maiestaticum [3] explicabis, verum cum veteribus interpretibus de aliis quoque prophetis intelliges, qui uti Amos Dei iussu et inspiratione cladem Edomitis praenuntiarunt (cf. Am. 1, 11). Verum commodior et aptior est lectio τῶν LXX.

Qualem vero nuntium (i. e. auditum) a Domino acceperit, declarat: *legatus inter gentes missus est* (hebr.) [4] i. e. visione prophetica percepit, Deum quasi nuntio misso gentes ad bellum incitare; nuntium alii angelum censent, vel quod alii malunt, ipsum motum a Deo gentibus impressum quo bellico ardore corripiantur, ita vocari (cf. *Sanct. Lap.*). Sed cum res agatur in visione et propheta visionem referat, nihil obstat, quominus dicamus menti prophetae tale obiectum fuisse schema, quo legatum illum divinum quasi cerneret euntem et gentes excitantem *surgite* et se ipsum tamquam belli ducem et commilitonem et adhortatorem praebentem *consurgamus adversus eum in proelium*; nuntius enim, quo rem acrius urgeat animosque et stimulos addat, seipsum bellatorem pugnaeque socium offert.

---

1. Mitto alios, qui verba *haec dicit Dominus de Edom* deleri volunt — verum quid tum sibi vult *adversus eum*? — alios, qui (mirabile dictu!) statim sermone vix incepto vatem a consueta forma in anacoluthon labi censent.

2. Versio arabica alio modo solvit difficultatem; praebet enim: auditum audistis a Domino.

3. Talem enim exstitisse apud priscos Hebraeos probari nequit.

4. צִיר cf. Is. 18, 2; 57, 9. Prov. 13, 17; 25, 13 etc. ita quoque *Syr. Chald. Sym.* ἀγγελίαν vertit; LXX περιοχήν; cod. syr. hexapl. *angustias* cf. de Rossi ad h. l., cui interpretationi compara 1 Sam. 4, 19. Is. 21, 3. Dan. 10, 16.

Quod sequitur v. 2 « *ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde* », — non ad statum ignobilem ac tenuem refertur vel ad angustam ac sordidam fortunam, qua Edomitae ab origine usi sint (cf. *Hier. Haimo, Rup. Sanct. Lap.*), sed statim effectus asseritur et illa conditio, in quam ex verbo Domini et bello excitato redigendi sunt (*Theod. Theod. M. Rib. Sa, Schegg*) ; nam Edomitas ab initio sorte vili non esse constitutos et rerum gestarum narratione probatur (cf. Gen. 36, 31. Num. 20, 15 seq. 4 Reg. 8, 20) et ruinis quoque magnificis Petrae urbis usque in hodiernum diem demonstratur (cf. *Keil*). Quare non sine emphasi exhortationi ad bellum inferendum statim strages efficienda subiungitur et miseria adumbratur modo ad Edomitarum crimina apto. Quo magis enim superbos et audaces spiritus assumpserunt, eo maiore contemptu erunt conculcandi. Unde v. 3 « *superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo : quis detrahet me in terram* » ? — hebr. *superbia cordis decepit te* [1], *habitantem in cavernis petrarum* (*in*) *altitudine* [2] *sedis eius* (?) ; erat enim regio Edom vel montes Seir rupibus inaccessis horridi, indeque arces et urbes munitissimae et ab expugnatione securae ; regio cavernis et specubus abundat (cf. Deut. 2, 12. 22) ; inde igitur ab omni hostium invasione se tutos censebant (cf. *Cyr.*).

Verum nihil est inaccessum militibus quos *Dominus* miserit ; quare per hyperbolen v. 4 « *si exaltatus fueris ut aquila et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus* » ; — fastum et superbam gloriationem, qua sese iactant dicentes : *quis me detrahet?* sequitur iisdem verbis comminatio divina, quae simul *irrisionem* continet exaggeratione : etsi incomparabiliter maioribus polleres subsidiis, immo si non in altis rupibus, sed inter ipsa coeli sidera arces tuas collocares, inde misero praecipitio facile deturbareris ! Hebr. *si in alto posueris ut aquila* scil. nidum. Extremam miseriam et omnium rerum spoliationem comparatione effert : peius cum Edomitis agetur, quam in latronum invasione fieri solet v. 5 « *si fures introissent ad te, si latrones per noctem — quomodo conticuisses ! — nonne furati essent sufficientia sibi ? si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi* » ? — hebr. *nonne relinquerent racemum?* et in versione *S. Hier.* rite legitur : *numquid non saltem racemum reliquissent tibi?* et ita *S. Hier.* quoque explicat : « si fures et latrones qui de nocte

1. Hebr. נִשָּׁא ; ita *Syrus* quoque et *Chald.* et ex cod. syr. hexapl. etiam *Aq. Sym. Theod.* dum LXX et *S. Hier.* נִשָּׂא legerunt ; quam lectionem per *sin* etiam aliqui codd. apud de Rossi praebet.

2. Consentiunt cum hebr. *Syr. Chald.*, sed LXX et *S. Hier.* pro מְרוֹם legerunt מָרוֹם

domos suffodere consueverunt et rapere quae in domibus sunt, introissent ad te et absconditi tenebris circuissent domus tuae angulos, utique hoc tulissent quod sibi putabant posse sufficere et aliquid in aedibus tuis vel per satietatem vel per ignorantiam reliquissent. Si vindemiatores introissent vineam tuam... quamvis diligens eorum fuisset vindemia, tamen racemos vitibus foliisque celatos inter palmites reliquissent » (sim. *Cyr. Theod. Rib.* [1] *Sanct. Lap. Men. Tir.*). Illud *quomodo conticuisses!* hebr. *quomodo excisus* [2] *es*! per modum exclamationis sortem Edomitarum praeoccupat.

At acerbior est sors Edomitarum v. 6 « *quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita eius* » ? — hebr. *quomodo perquisiti sunt Esau (Edomitae) investigata abscondita eius*? nihil hostes intactum reliquerunt, omnia funditus rapiunt, funditus delent Edomitas; omnia eorum secreta et cavernas et foramina speluncarum perlustrant *(Hier.)*. Cladem futuram ita describit prout eam in visione prophetica viderat i. e. quasi iam factam. Exclamatio repetita *quomodo!* quae est particula admirationis et lamentationis, stragem maiorem dicit quam quae verbis exprimi possit et animum prophetae calamitatis aspectu motum et afflictum ostendit. Erat *Sela* vel *Petra* emporium ditissimum commercii inter Syriam et Arabiam (cf. *Diod. Sic.* 19, 95 — *Keil*).

Ad superbiae deiectionem et divitiarum spoliationem accedit auxilii omnis destitutio et exterioris, quod a sociis foedere iunctis exspectari possit, et interioris, quod in sapientia, consilio, virtute consistat *(cf. Alb.)*; ita scil. res eorum ruunt. In calamitate illa nihil auxilii a sociis inveniunt, e contra opprobria, insidias experiuntur v. 7 « *usque ad terminum emiserunt te, omnes viri foederis tui illuserunt tibi, invaluerunt adversum te viri pacis tuae; qui comedunt tecum, ponent insidias subter te; non est prudentia in eo* »; — obscurum est membrum primum et varie id elucidare conantur : te in captivitatem migrantem usque ad terrae tuae terminum ficta commiseratione comitantur, vel tibi adsunt et assistunt usque eo, quo periculum instat (cf. *Schegg*); usque ad terminos terrae, i. e. in exsilium et captivitatem te eiecerunt [3], quia tempore periculi a te recesserunt et te hostibus prodiderunt (ita plerique); socii te et legatos tuos auxilium contra hostes petentes mittunt ad ter-

---

1. *Rib.* bene advertit, *numquid* in vulg. saepius pro *nonne* poni.

2. Hebr. niphal est verbi דָּמָה cf. Os. 4, 6; 10, 7. 15. Is. 6, 5. *Syrus* : quomodo siluisti ? LXX verbum רָמָה *Chald.* verbum דמם legisse videntur ; illi enim habent ποῦ ἂν ἀπεῤῥίφης; hic : quomodo somno oppressus fuisti ?

3. *Chald.* habet : *ex* termino in exsilium te abduxerunt ; id quod ad illum sensum magis congruit ; verum reliqui testes omnes *usque ad* praebent.

minum terrae, ad confinia, i. e. vacuos illos e regione sua abire iubent (*Keil*), vel te et fugitivos tuos de finibus suis ubi refugium quaesierunt, expellunt, ad regionis terminum te propellunt et ita e finibus eiiciunt; idque commodissum videtur et optime adnectitur : *illuserunt tibi* vel *deceperunt te* antea tempore belli opem non ferentes et tempore fugae refugii locum negantes ; et qui pace et amicitia iuncti erant, iam insurgunt contra eos vel hostibus se iungentes vel Edomitis novas clades inferentes vel devictos spoliantes ; *qui comedunt tecum* i. e. quos intima familiaritate et vitae societate tibi devinctos putaveras (cf. Ps. 40, 10), ii tibi dolose struunt insidias, ad quas cum non attendatur incaute succumbis.

Quod textus mas. fert לַחְמְךָ יָשִׂימוּ מָזוֹר תַּחְתֶּיךָ sensu caret ; *Keil* hanc proponit ac defendit versionem : panem tuum faciunt vulnus sub te i. e. panem quem apud te et a te acceptum comederant in tuam vertunt perniciem ; sed quis non videat coactum loquendi modum ? Facillimam lectionem praebet *Syrus* : viri pacis tuae *et* panis tui sub te posuerunt insidias ; *Chald.* : comedentes mensae tuae posuerunt offendiculum subter te ; LXX vero prius verbum omittentes praebent ἔθηκαν ἔνεδρα ὑποκάτω σου [1]. Quare textus hebr. emendatione indiget ; omissum videtur אֹכְלֵי *comedentes*. Ex versionibus allatis simul patet, quomodo veteres מָזוֹר acceperint ; ea notio ad contextum apta est (cf. Prov. 1, 17). Dum autem insidiae struuntur, *non est prudentia in eo*, ad id non advertitur.

Tam misere autem ab hostibus vincuntur et a sociis decipiuntur, quia Deus quos perdere vult dementat et sapientissimos quosque consilio et intelligentia privat v. 8 « *numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumaea et prudentiam de monte Esau* » ? — cf. Is. 19, 11-16 ; 47, 12. 13. Idumaeos fuisse sapientia celebres, vide Iob 2, 11. Baruch 3, 22. Ier. 49, 7. Illos sapientes *ariolos* intelligit *S. Cyr.*, qui cladem imminentem frustra avertere sint conati ; melius autem dicemus, generatim consilium eripi a senibus et prudentiam ab his qui rem administrabunt publicam et eos spiritu quodam vertiginis percelli (cf. *Sanct.*).

Ita misere timore tabescent et peribunt v. 9 « *et timebunt fortes tui a meridie, ut intereat vir de monte Esau* » ; — hebr. *et consternabuntur fortes tui, Theman* ; de regione *Theman* cf. Am. 1, 12 ; ad idem recidit, quod *S. Hier.* ex LXX affert : « *pavebunt pugnatores tui de Theman* quod nos interpretati sumus *meridiem* » i. e. fortes qui venerint a plaga edomitica ad austrum vergente. « Habet autem multum energiae ver-

---

1. Aliqui codd. addunt οἱ συνεσθίοντές σου· ex cod. syr. hexapl. *Sym.* habet οἱ φαγόντες παρά σοι ποιήσουσιν ἀπαλλοτρίωσιν· *Aq.* ἄρτον σου θήσουσιν ἐπὶ τὸν σύνδεσμον vel ἐπὶ τὴν ἐπίδεσιν· — alterutro enim modo מזור ab *Aq.* exprimi *S. Hier.* ad Os. 5, 13 advertit ; sim. *Theod.* ἄρτον σ. θ. καὶ σύνδεσμον ὑποκάτω σου.

bum חַתּוּ, non est enim quovis modo *timere*, sed frangi animo et consternari » (*Rib.*); similis energiae est in hebr. *ut exscindatur* vel *deleatur vir de monte Esau*. Quod *vulg.* ad sequentia traxit, textus mas. hic adiungit : *interfectione* ; ita *Chald.* quoque. Verum alia iunctio, quam LXX quoque et *Syrus* addita particula *et* commendant, planior est et magis apta, qua ratio tanti excidii reddatur ; cf. v. 10.

b) Edomitarum in Iudaeos iniuriae v. 10-16.

Cur autem Edomitae excidio adeo misero devovendi sint, declaratur v. 10 « *Propter interfectionem et propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob operiet te confusio et peribis in aeternum* » ; — i. e. caedes, oppressiones et iniuriae commissae in populum adeo sanguinis propinquitate coniunctum poenam illam exigunt ; *operiet* i. e. te totum involvet ; *perire in aeternum* cf. Mal. 1, 4 : « quod si dixerit Idumaea : destructi sumus, sed revertentes aedificabimus quae destructa sunt, haec dicit Dominus exercituum : isti aedificabunt et ego destruam » ; ruina irreparabili prosternentur.

S. Hier. in commentario quidem ita scribit, quasi *propter iniquitatem et interfectionem* ad superiora retulisset : « idcirco interibit vir de monte Esau et peribit sapientia de Idumaea et prudentia de monte Esau, quia interfecisti germanum et inique egisti contra fratrem tuum Iacob... cuncta quae supra scripta sunt patieris, quia occidisti fratrem tuum... operiet ergo te confusio.. ». Sed nexus in vulg. exhibitus optimus est ; nam ita assignatur causa ruinae, quae in subsequentibus per singulas partes declaratur, et statim ab initio res tota pertractanda compendio proponitur. Neque *propter interfectionem* potest adiungi superioribus, quia ita solitarie positum sensu caret, vel *exscindi interfectione* languide additur ; neque *asyndeton* in hebr. potest esse offensioni, cum v. 7 etiam habeatur. Praeterea eo nexu duplici verbo *operiet, peribis* correspondet duplex membrum concinnitate perfecta (cf. *Schegg*).

Iam iniurias fratri illatas evolvere aggreditur v. 11 « *in die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum eius et extranei ingrediebantur portas eius et super Ierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis* » ; — hebr. *quando abducebant alieni opes eius* [1] i. e. Edomitae cum hostibus Ierusalem sociati contra Iudaeos pugnabant, opes et spolia sibi rapiebant ; *sortem mittere* i. e. opes et praedam Ierusalem inter se dividere, ad arbitrium et iure

1. Hebr. חֵילֹ cf. v. 13 ; *opes* vocem vertit *S. Hier.* Ez. 26, 12 ; *divitias* Prov. 31, 29. Ps. 49, 11 ; 62, 11 (hebr.) ; praeterea vide Gen. 34, 29. Deut. 8, 17. 18. Is. 10, 14 ; 60, 5.

belli et expugnationis de civitate eiusque rebus disponere et captivos inter victores sorte distribuere (cf. Ioel 3, 3. 2 Par. 21, 17). Et ita egit *frater* contra fratrem : *etiam tu* (hebr.) *sicut unus ex eis*. Hac iam locutione (verbum *eras* non adest in hebr.) factum praeteritum quasi praesens sibi sistit propheta ; quare pergit quasi *nunc* admonens Edomitas de iniuriis, quas non debuerant Iudaeis inferre. Modus autem iste loquendi eo magis aptus est, quia simul eos arguere vult, ne hostiles animos ultra gerant neve eos in posterum iterum iterumque prodant. Ita enim in hebr. v. 12 *ne oculos pascas* [1] *in die fratris tui... neve laeteris...* i. e. ne oblectamentum et gaudium capias ex die miseriae et calamitatis fratris tui. Ita LXX quoque μὴ ἐπίδῃς. Et eodem sensu explica v. 12 « *et non despicies in die fratris tui in die peregrinationis eius, et non laetaberis super filios Iuda in die perditionis eorum et non magnificabis os tuum in die angustiae* » ; — *peregrinationem* dicit captivorum in peregrinas regiones (hebr.) abductionem ; monet, ne odium prodant aspectu et oculis, ne animorum laetitia, ne verborum iactantia et opprobriorum iaculis ; *os magnum facere* (hebr.) est quasi rictu aperto contumelias et probra in alios effundere vel in immensum gloriari.

Dein monet, ne in bona Iudaeorum manus extendant v. 13 « *neque ingredieris portam populi mei in die ruinae eorum ; neque despicies et tu in malis eius in die vastitatis illius, et non emitteris adversus exercitum eius in die vastitatis illius* » ; — ultimum membrum in hebr. non agit de expeditione bellica, sed de eo quod ingressum urbis expugnatae sequi solet, scil. *ne mittas* (*manum*) *in opes eius* [2] cf. v. 11 (*Lap. Mar.*).

Maximam vero iniuriam et perfidiam ne iterum patrent, graviter increpat v. 14 « *neque stabis in exitibus, ut interficias eos qui fugerint ; et non concludes reliquos eius in die tribulationis* » ; — i. e. « cum coeperint fugere per notas sibi vias et diverticula et calles ad solitudinem perferentes, non stabis *in bivio* nec venientes exspectabis in compitis, ut interficias eos qui fuerint liberati aliosque comprehensos recludas et vel ipse capias vel captivitati hostium serves » (*S. Hier.*). ; *concludere* cf. Amos 1, 6. 9 i. e. tradere, tenere conclusos.

Forma loquendi a v. 12 varias nacta est explicationes. Aliis placet eam explicare eo solum, quod propheta vivo quodam modo tempus praeteritum tamquam praesens describat ; alii formam hebr. intelligi posse censent quasi dica-

---

1. רָאָה cum בְּ iunctum dicit *videre cum gaudio et delectatione* vel *irrisione* cf. Ps. 22, 18 ; 54, 9 ; 112, 8 ; 118, 7 (hebr.). Mich. 7, 10 etc.

2. Ita explicite *Chald.* vertit. Formam hebr. תִּשְׁלַחְנָה *S. Hier.* ut *passivum* legit ; LXX habent μηδὲ συνεπιθῇ ; quomodo appositum נָה sit explicandum, incertum est ; aliqui legi volunt יָד *manum* ; at cf. Ps. 18, 17 (hebr.).

tur *non debuisti despicere; tum non debueras laetari (Sanct. Sa, Mar.)*. Sed prius non sufficit, alterum ex lege grammaticali nequit asseri. Alii rem futuram accipientes ita connectunt : cum ipse malis obrutus fueris atque hostium potestati traditus, fratri non illudes tuis ipsius calamitatibus satis occupatus (cf. *S. Hier. Lap. Calm.)*. Ergo propheta non iniuriam illatam accusaret, sed miseriam Edomitarum praediceret; verum ex v. 11 prius necessario exspectatur, idem ex sequenti *sicut fecisti.*

Illas Edomitarum in Iudaeos inimicitias inanes esse, stultas, ipsis auctoribus fatales propheta ostendit ex veritate iam a Ioele proposita et partim etiam ab Amos inculcata de iudicio quod Deus exerciturus est in gentes inimicas v. 15 « *quoniam iuxta est dies Domini super omnes gentes; sicut fecisti, fiet tibi; retributionem tuam convertet in caput tuum* »; — cf. Ioel 3, 2 (*Cyr.*). Am. 1, 3 etc.; scit enim propheta, omnem potestatem inimicam esse deiiciendam, ut demum regnum Dei exsurgat. Id iam in oraculis a Balaam datis enuntiatur (Num. 24, 17-24); innuitur in cantico Annae (1 Reg. 2, 10), in ultimis verbis David (2 Reg. 23, 5-7); clare proponitur in psalmis 2 et 109 etc. Illud vero *iuxta* est, non quasi uno ictu vel impetu esset proximo iam tempore in omnes simul devolvendum, sed quia quaevis potestatis Deo inimicae deiectio gradus quidam et pars illius iudicii et quaevis castigatio superbis hostibus inflicta praeparatio quaedam et quasi prolusio eius merito habetur. Pro Edom par pari referetur. Hebr. *retributio tua revertetur in caput tuum* i. e. id quod operibus tuis debetur iniuria et perfidia plenis, tibi rependetur et quae male patrasti, in tuum caput recident.

Idque vates illustrat et confirmat ex norma generali, qua apud Deum statutum est, ut quicumque populo Dei iniurias intulerint iram et vindictam Dei in se experiantur secundum illud, quod in ipso foederis primordio iam dictum fuit ad Abraham : « benedicam benedicentibus tibi et maledicam maledicentibus tibi » (Gen. 12, 3) et quod inter ceteras benedictiones Isaac quasi iure hereditario ad Iacob transmisit : « qui maledixerit tibi, sit maledictus (Gen. 27, 29); v. 16 « *quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes iugiter et bibent et absorbebunt et erunt quasi non sint* »; — i. e. sicuti *bibistis* [1], tu Edom et reliquae gentes per circuitum (cf. v. 11. 2 Par. 21, 16) — « indicatur, ut puto, mos triumphantium de hostibus, qui de

---

1. LXX praebent ἔπιες; commoda lectio et obvia, cum in antecedentibus continuo ea ratione ad Edom sermo fieret. At textui hebr. cum *S. Hier.* concordant *Syr.* et *Chald.* et videtur retinendus, quia transitus ad plures gentes iam v. 11 praeparatur et hoc loco propter sententiam generalem suadetur. Demum lectio hebr. *difficilior* est, neque ulla cernitur ratio, cur si originitus *bibisti* scribebatur, eam lectionem quis voluerit mutare; bene vero, cur emendandum censuerit *bibisti*.

victis insolenter gloriabantur, festos dies cum compotationibus agebant, atque etiam voces laetas de parta victoria iactabant et ut ebrii se gerebant » (*Cyr.* sim. *Hier. Haimo, Rup. Alb. Lap. Mar. Men. Tir.*), ad quod adiunge, quod *Theod.* et *Theod. M.* notant, locum Deo sacrum profanationi ab iis esse datum — ita iusta vindicta ***bibent omnes gentes*** calicem furoris Dei eumque ad fundum usque exsorbebunt et hac ira perculsae suae impotentiae sibi consciae erunt, dum conatus earum a Deo in nihilum redigantur, immo ipsae deleantur et evanescant. Ludit propheta in verbo *bibere.* Bibent *iugiter* [1] i. e. omnes serie quasi non interrupta ; singuli suo ordine et loco et tamdiu, donec *erunt quasi non sint,* iudicia Dei in suos populique sui hostes sine intermissione effundentur et repetitos eorum conatus repetitis poenis reprimet. Haec bibendi metaphora plane est in usu cf. Iob 21, 20. Ps. 74, 9. Is. 19, 14. Ier. 25, 16. 26. 27. 28; 49, 12. Hab. 2, 16. Bene exponit sensum *Chald.* : «sicut laetati estis de excidio montis mei sancti, bibent omnes gentes calicem retributionis suae iugiter; bibent et absorbebuntur et erunt quasi non sint » ; de re ipsa cf. Zach. 12, 2. 3.

Immerito aliqui (cf. *Rib. Sa)* supplent *super te,* quasi solius Edom interitus praediceretur ; sed quanta verborum exaggeratione ad unum Edom exscindendum vates convocaret *omnes gentes* easque *iugiter* bibentes et ex tali super Edom potatione poculum mortis et interitus haurientes proponeret? Abs re quoque est, quod aliquibus placuit (cf. *Ros. Calm.*), *bibisti* ad Iudaeos referre : nam nullo indicio cerni potest ad eos sermonem transferri, neque *bibere super montem* ullo pacto explicari potest : vos qui sedem habetis in monte sancto meo bibistis calicem furoris Domini ; insuper quando unquam dicitur Iudaeos esse vel vivere *super montem* Domini? et quamvis hoc dici posset, tamen non ea est indoles linguae hebr., ut *super montem* idem sit quod οἱ super montem. Neque iuvat ad Ier. 49, 12 provocare : ecce quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris? Quid enim hic locus ad nostrum similitudinis habet? Pro *absorbebunt* LXX praebent καταβήσονται, id quod etiam cod. syr. hexapl. exprimit et versio arabica in Polygl.

c) Salus in Sion v. 17-21.

Sicut impletur « maledicam maledicentibus tibi » (v. 15. 16), ita in Abrahamidis illud quoque exsecutioni mandabitur : « benedicentur in te omnes tribus terrae ». Quare dum hostes irreparabili ruina prosternantur tamquam *hostes* et qua tales esse desinant hostili potestate destructa, quaenam sit et ubi sit salutis via, aperitur v. 17 « *Et in monte Sion*

---

1. Multi codd. hebr. et editiones apud *de Rossi* exhib. ut סביב *in circuitu ;* quae lectio fortasse fluxit ex Ier. 25, 9 coll. v. 15. Sed *iugiter* confirmatur a *Syro, S. Hier. Chald.*

erit salvatio et erit sanctus et possidebit domus Iacob eos qui se possederant »; — cf. Ioel 2, 32; 3, 17. 19. Am. 9, 11. 12; *erit sanctuarium* (hebr.); Deus enim sui sanctuarii honorem tuebitur; ibi elegit habitationem, inde bona foederis initi communicabit; mentio autem fit *domus Iacob* i. e. Iuda et Beniamin (cf. v. 18), quia in hac domo Iacob regnum Davidicum aeternum est constitutum, cui esse debet per Schilo *obedientia populorum* (Gen. 49, 10); id exprimitur *et possidebit domus Iacob possessiones eorum* [1] (hebr.) vel, uti veteres versiones habent, *eos qui se possederant* cf. Am. 9, 12. Ps. 2, 8.

Ea possessio autem talis est, ut alii populi vel cum Israelitis in unum Dei populum coalescant, vel si id renuerint exstirpentur. Quam facile vero et quam efficaciter Israel inimicos in restituta illa theocratia sit conculcaturus, exemplo Edom declaratur v. 18 « *et erit domus Iacob ignis et domus Ioseph flamma et domus Esau stipula: et succendentur in eis et devorabunt eos et non erunt reliquiae domus Esau, quia Dominus locutus est* »; — instauratione enim facta divisio illa inter regnum Iuda et Israel, tot malorum origo et apostasiae a Domino prima manifestatio, cessabit (cf. Os. 1, 11. Ez. 37, 19); *ignis* metaphora exprimit *zelum* Dei, quo potenter removet et destruit impedimenta (cf. *Theod.*); omnes Edomitarum conatus irritos fore (cf. Mal. 1, 4).

Dein possessionis modum per exempla illustrat v. 19 « *et hereditabunt hi qui ad austrum sunt montem Esau et qui in campestribus Philisthiim; et possidebunt regionem Ephraim et regionem Samariae et Beniamin possidebit Galaad* »; — i. e. quod apud Isaiam ratione generali propositum legimus: « dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos et clavos tuos consolida » (Is. 54, 2) metaphora a tabernaculo petita, id per enumerationem Abdias exhibet et latam illam novae theocratiae diffusionem per singulas partes adumbrat (cf. *Cyr.*). Haec delineatio adeo certis regionibus et limitibus exhibita etiam eatenus veritati prorsus consona est, quia tempore Machabaeorum et Edomitae devicti [2] sunt et Iudaei regiones ante enumeratas saltem partim victoria et imperio tenebant (cf. 1 Mach. 5 cp. *Alb. Rib. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord.*). Neque illi, quos iniqua belli sors in alienas regiones abripuit, a Dei populo alieni erunt, sed revertentur ad sacrum coetum v. 20 « *et transmigratio exercitus huius filiorum Israel omnia loca Chananaeorum usque ad Sareptam et trans-*

---

1. Cum veteres versiones uno consensu praebeant τοὺς κατακληρονομήσαντας αὐτούς *qui se possederunt*, certe legerunt מוֹרִישֵׁיהֶם pro מוֹרָשֵׁיהֶם text. *mas.* quam formam relictis punctis tamquam *defective* scriptam considerare poteris.

2. Etiam eatenus deleti, quatenus coacti circumcisionem assumere a moribus et ritibus suis removebantur (cf. *Iosephus*, Ant. 13, 15, 4).

migratio Ierusalem quae in Bosphoro est, possidebit civitates austri » ; — i. e. uti illi qui in regione Iudaeae australi, *Negeb,* incolunt terminos extendent occupata terra Edom et qui in regione depressa versus mare mediterraneum, *Schephelah,* occupata regione Philisthinorum et ut septemtrionem versus Iudaei Ephraim et Samariam tenebunt et Beniamin regionem Galaad, ita reduces illi, qui olim in varias regiones venditi deportati erant, sedes suas extendent usque in Phoenicen [1] ; est enim *Sarepta* oppidum Phoenicum inter Tyrum et Sidonem situm (cf. 3 Reg. 17, 9. Luc. 4, 26. *Iosephus*, Ant. 8, 13, 2) ; et qui ex Ierusalem in servitutem venditi erant et in *Sepharad* commorabantur, civitates in Negeb, in australi parte Iudaeae occupabunt.

De *Sepharad* ita *S. Hier.* disserit : « nos ab Hebraeo qui nos in Scripturis sanctis erudivit, didicimus *bosphorum* sic vocari, et quasi Iudaeus, ista, inquit, est regio, ad quam Hadrianus captivos transtulit ». Ad nomen *Sepharad* egregie accommodatum est nomen *Sparad* quod legitur in titulo cuneato Darii, qui Persiae populorum indicem continet, in quo post Assyriam, Gordyenem, Armeniam, *Cappadociam* et ante *Ioniam* memoratur populus *Sparad* (cf. *Ges.* s. v.) ; inscriptio cui a Behistun est nomen, hanc seriem praebet : Sparda, Iauna, Mada, Armina, Katapatuka, Parthava (Sparda, Ionia, Media, Armenia, Cappadocia, Parthia) ; neque dubitarunt aliqui viri docti, *Lydiam* i. e. *Sardes* in eo nomine agnoscere. Quod *Schrader* obiicit (Keilinschriften und Geschichtsforschung p. 117 — Keilinschriften und A. T. p. 446), prorsus carere probabilitate, Nebucadnezar Iudaeos etiam in Asiam minorem transtulisse, id falsa laborat suppositione, quasi hic de tempore Chaldaeorum esset sermo. Regio illa prope *Iavan* optime congruit ad id quod etiam Ioel exprobrat Phoenicibus : *filios Iuda et filios Ierusalem vendidistis filiis Iavan* i. e. filiis Graecorum (Ioel 3, 6 ; hebr. 4, 6). Alii praeferunt explicationem de *Sparta* (cf. 1 Mach. 14, 16. 20. 23 ; 12, 2. 5. *Keil*), cuius regionis nomen per Phoenices ad Iudaeos translatum sit. *Lenormant* regionem in Mediae parte australi designari censet eandem, quae in inscriptionibus Sargon *Sha-pa-ar-da* dicitur (cf. *Schrader* l. c.) et quae prope Charchar sita erat (cf. *Delitzsch,* Wo lag das Paradies ? p. 249). Iam in versione syriaca legitur אספניא [2] apud *Chald.* אספמיא i. e. Hispania et apud medii aevi rabbinos Hispania nomine Sepharad venit ; *Levy* (Chald. Woerterb.) vocem chaldaicam forte de Apamia explicandam esse opinatur. Sepharad esse Hispaniam iam multis reiiciunt *Rib. Sanct.* LXX praebent Ἐφραθά. *S. Hier.* praeter explicationem iam datam chaldaicum סְפַר, *terminus* ob oculos habens scribit : « quia ergo lingua Assyriorum *terminus* ... dicitur *sepharad*, hunc sensum esse coniicio : transmigratio Ierusalem quae in cunctis terminis regionibusque divisa est, urbes austri i. e. tribus suae recipiet » ; scil. quam vocem Syri occidentales in statu emph. *sephoro* pronuntiant, eandem Syri orientales, quos Assyrios vocat, vocali clariore *sephara* efferunt. — Alii coniecerunt *Saphar* urbem in Arabia etc. —

In v. 18 LXX praebent καὶ οὐκ ἔσται πυρφόρος ἐν τῷ οἴκῳ Ἠσαῦ· *S. Hier.* legit apud

---

1. Poni per modum synecdoches nomina determinata pro re generali *Cyr.* quoque censet : « perinde est ac si dicat forte, omnia quae ad austrum, quaeque ad boream, quaeque ad orientem, quaeque ad occidentem spectant, eorum plena erunt ».

2. *S. Ephr.* generatim *regiones longinquas* vocem explicat, *Barh.* autem *Romam.*

LXX πυροφόρος « quem nos in *frumentarium* vertimus » ; verum ipse advertit, esse qui πυρφόρον h. e. *qui gestare possit igniculum* a LXX translatum putent, et ita legunt et explicant *Cyr. Theod. Theod. M.* et consentit cod. syr. hexapl. et versio coptica et arabica. Iam *Theod.* refert, *Sym.* interpretatum esse διασωζόμενον, *Aq.* et *Theod.* καταλελειμμένον ; et ea consentiunt hisce, quae apud *S. Hier.* et in cod. syr. hexapl. adnotantur.

Demum « in summam colligit prophetiae scopum » (*Cyr.*) v. 21 « *et ascendent salvatores in montem Sion iudicare montem Esau et erit Domino regnum* » ; — uti olim tempore iudicum Deus *salvatores* suo populo concessit — vocatur v. g. *salvator* Othoniel Iud. 3, 9, Aod v. 15 et vide 4 Reg. 13, 5 et Neh. 9, 27 — ita Deus promittit afflictum populi statum se sanaturum per viros eximios, dum interea Edomitae iudicio Dei perimendi sint. Tales autem salvatores qui res israeliticas restituerunt et *regnum Domini* praepararunt, revera exstiterunt Zorobabel, Esdras, Nehemias, Machabaei (cf. *Alb. Rib. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord.*). Unde Abdias quoque clare praedicit, fore, ut Israelitae postquam afflicti sint e miseriis emergant, ad novam theocratiam formandam vires Deo adiutore assumant, hostes suos et Dei inimicos ope divina superent et ut demum *regnum Domini* exsistat. Quare *Theod.* : « simul praenuntiat exhibitam omnibus in Sion salutem, indeque in omnem orbem terrarum per crucem salutarem diffusam sanctificationem ». *Erit Domino regnum* : hoc est omnis prophetiae fastigium, ad hoc tota veteris foederis institutio dirigitur, ad hoc eventus singuli ordinantur ; hoc Dei regnum praedicitur in *obedientia* illa populorum, quae fiet sceptro Iudae (Gen. 49, 10), hoc in regno aeterno Davidi promisso (2 Reg. 7, 14) ; hoc annuntiavit Osee 1, 11 ; 3, 5 ; 14, 5-9 ; hoc praedicto Ioel concludit vaticinium 3, 17-21 ; hac laeta promissione Amos vaticinium absolvit 9, 11-15 ; eadem oraculum suum verbis breve, re et argumento fecundum coronat Abdias.

Notat *S. Hier.* : « pro eo quod nos interpretati sumus *salvatores* ac LXX transtulerunt *hi qui salvi fuerint*, in hebr. scriptum est *mosim* [1], qui non ut *Aq.* et LXX et *Theod.* passive σεσωσμένοι vel ἀνασωζόμενοι, sed iuxta *Sym.* σώζοντες i. e. active *salvatores* intelligendi sunt ; siquidem salvati *pheletim* (פלטים) hebraeo sermone dicuntur ». Exstabat scil. in codd. etiam lectio defectiva משעים (pro מושיעים), quod מֻשָּׁעִים legebatur *salvati ;* verum haec forma non in usu fuisse videtur, cum solum pro forma passiva *niphal* inveniatur, idque *vicies* (cf. *Fürst C.* s. v.), dum *hiphil* saepissime occurrit.

---

1. Adest in opp. *S. Hier.* nota h. l. non spernenda : « Palatini mss. cum duplici i legunt *mosiim*, quod non improbo ».

IONAS

PROLEGOMENA

I. — De Iona eiusque libro.

Magno consensu et veteres interpretes et recentiores assumunt, Ionam prophetam de quo sermo sit in libro Ionae nomine inscripto, esse eundem Ionam prophetam, cuius mentio fit 4 Reg. 14, 25 : « ipse (scil. Ieroboam II) restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Ionam filium Amathi prophetam qui erat de Geth quae est in Opher ». Et cum non solum prophetae *nomen congruat,* sed etiam patris *Amathi* appellatio eadem ibi et Ion. 1, 1 inveniatur et insuper ratio temporis Ieroboam II non sit aliena ab ordine, quo liber Ionae in serie prophetarum minorum adnumeratur *cum* Amos *in diebus Ieroboam* et *ante* Michaeam *in diebus Ioathan,* non est, cur sententiam illam adeo communiter receptam in dubium vocare quis iure possit.

Erat igitur Ionas ex *Geth Opher* גַּת הַחֵפֶר oriundus, qui viculus est in tribu Zabulon (Ios. 19, 13) et ex *S. Hier.* : « in secundo Saphorim milliario quae hodie appellatur Diocaesarea [1] euntibus Tiberiadem haud grandis viculus, ubi et sepulcrum eius ostenditur » ; addit tamen : « quamquam alii iuxta Diospolim, id est Liddam, eum et natum et conditum velint, non intelligentes hoc quod additur *Opher* ad distinctionem aliarum Geth urbium pertinere, quae iuxta Eleutheropolim sive Diospolim hodie quoque monstrantur » (prolog. in Ion.). Eum fere tempore floruisse, quo Osee et Amos, plerique statuunt, idque *S. Hier.* ex traditione quoque Iudaeorum refert : « tradunt Hebraei, Osee et Amos et Isaiam ac Ionam iisdem prophetasse temporibus ». Alii temporibus antiquioribus eum accensent, et *Schegg* quidem regno et tempori *Ioachaz* et *Ioas,* qui ante Ieroboam II regnarunt ; ille per annos 17, hic

1. Hodie ibi situs est viculus Meshad vel El-Meshhed ; cf. *Trochon.*

per 16; *Calm.* regno Ioas et Ieroboam. Sed ex 4 Reg. 14, 25 non colligitur, vaticinium illud diu ante Ieroboam debuisse dari et iam patri eius Ioas, dum regnum variis calamitatibus perturbatum capesseret, consolationis causa fuisse propositum. Nam prophetia haec non ad impios reges confortandos vel consolandos est pronuntiata (id quod *Schegg* vult) — nam quo pacto id asseri potest, cum de Ioachaz et Ioas et Ieroboam dicatur : « et fecit quod est malum coram Domino, non recessit ab omnibus peccatis » ? Cf. 4 Reg. 13, 2. 10 ; 14, 24. — Neque l. c. innuitur, prophetiam ad populum consolandum iam *diu* ante esse datam, sed illam esse adimpletam, i. e. terminos Israel fuisse restitutos, « quia vidit Dominus afflictionem Israel amaram nimis . . . nec locutus est, ut deleret Israel, sed salvavit eos in manu Ieroboam »[1]. Quare non est, cur Ionam antiquiorem Osee et Amos faciamus.

Liber Ionae inter prophetas singulari ratione distinguitur, cum nullum vaticinium, sed rei gestae narrationem exhibeat. Uti enim prophetarum plerique vaticinia contra gentes edentes Deum Israel esse omnium gentium Deum omniumque gubernatorem providum atque iustum reipsa demonstrarunt, ita Ionas eandem Dei de gentibus curam et providentiam exemplo magis splendido omnibus ob oculos ponere iubetur. Mittitur scil. ad Ninivitas, ut Dei nomine iis interitum annuntiet, qui certo certius eos obvolvisset, nisi sincera poenitentia iustum vindicem placassent. Atque in *hac ad gentes* missione singularis Ionae dignitas cernitur, qua Deum omnium esse Dominum et Salvatorem, qui gentes quoque ad sua consilia exsequenda adhibeat earumque salutem provide ac benigne procuret, praeclare comprobaverit. Atque in maxima illa promptitudine, qua Ninivitae vaticinio minaci perculsi ad opera poenitentiae confugerint, gravissima continetur Iudaeorum accusatio ac condemnatio, utpote qui tot prophetarum vocibus totque Dei miraculis surdas aures obfirmatosque in peccatis animos opposuerint. Est illa Ninivitarum conversio quasi praesagium quoddam et praeludium ad illud Isaiae : « quaesierunt me qui

---

1. Alia argumenta ex internis rationibus petit *Schegg* : miracula in libro Ionae relata omnino spectare ad *aetatem heroicam* prophetarum et indolem referre temporis grandis Eliae et Elisei, Ionam proinde iisdem temporibus esse accensendum et Elisei successorem immediatum. Talia mo non perspicere fateor ; equidem puto potentiam Dei miracula quaelibet patrandi non esse ex indole temporis dimetiendam. Ceterum verum est, traditionem hebraicam nexum quendam statuere inter Eliam et Ionam ; sed quare ? audiamus : « tradunt Hebraei, hunc (Ionam) esse filium viduae sareptanae (? ex *Geth Opher* !), quem Elias propheta mortuum suscitavit, matre postea dicente ad eum : *nunc cognovi quia vir Dei es tu et verbum Dei in ore tuo est veritas* ; et ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum ; *Amathi* enim in nostra lingua veritatem sonat et ex eo quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis » (*S. Hier.* prolog. in Ion.). Ex *Seder Olam* propheta ille, quem Eliseus misit, ut Iehu in regem Israel ungeret, erat *Ionas* ; cf. Chronologia Hebraeorum, interprete *Genebrardo*, cp. 18 (Lugduni 1608) ; et ei sententiae subscribit *Kaulen*.

ante non interrogabant, invenerunt qui non quaesierunt... expandi manus meas tota die ad populum incredulum » (Is. 65, 1. 2) i. e. gentes iri assumptum in regnum Dei et cum gaudio suscepturas verbum Dei, filios vero regni abnuituros esse et iri eiectum. Quare Christus quoque Ninivitarum exemplum valere dicit ad condemnationem [1] Iudaeorum (Matth. 12, 40).

Altera eaque maxime insignis Ionae dignitas in eo consistit, quod docente Christo Ionas eximius est typus Christi ab inferis resurgentis : « sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus » (Matth. 12, 40; vide ad Ion. 2, 1). Voluit scil. Deus, ut advertit *Calm.*, in eo viro non figuram simplici tantum sermone comprehensam exhibere, sed spirantem quandam imaginem rerum futurarum exprimere, cum scil. illum post tridui moram e ventre ceti incolumem illaesumque eduxit.

Hac una re typicam Ionae rationem non exhauriri, doctores catholici unanimiter sentiunt ; eamque accuratius per singula prosequuntur in commentariis praecipue *S. Hier. S. Cyr. Theoph.*, quamvis et ipsi quoque moneant, non omnia typice esse interpretanda. Audi v. g. *Cyr.* : « non singula quae scriptis et typis insunt, ad spirituales considerationes apta sunt, sed si persona afferatur alicuius imaginem quandam Christi nobis subiicientis, humana merito praeteribimus, solisque necessariis immorabimur, undique conquirentes quae ad scopum rei propositae conducere possint » ; dein quaedam assignat, in quibus Ionas deficit : Ionas missus praedicare gentibus fugit : Christus missus ad suum ministerium impigrum se et alacrem praebet ; Ionas graviter doluit de misericordia Ninivitis concessa : Christus de salvatis immense gaudet. Qua ratione singula quaeque typice explanentur, specimen habes in opere olim S. Augustino attributo *de Symbolo*, sermo ad Catechum. 4 n. 6 ; quod quia instar multorum est et veterum explanationes typicas in commentariis sparsas fere colligit et exhibet, hic transscribere non piget : « missus est Ionas ad civitatem Ninive, ut eius finem praedicaret ; missus est Christus a Patre, ut finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Ionas in Tharsis a facie Domini : fuga Ionae, velox transitus Christi, de quo dicit propheta : *exsultavit ut gigas ad currendam viam.* Ascendit navem propheta fugiens : lignum Christus ascendit, per mare huius saeculi transiens. Irruit tempestas magna in mari ; perturbatio maris, perfidia Iudaeorum. Data est sors, ut propheta fugitivus in mare mitteretur ; sors

---

1. Cf. *Theoph.* in *argumento. Calm.* notat : « Ninivitarum conversio veluti pignus habenda erat certum assertumque futurae infidelium ad fidem traductionis, atque Ecclesiae Iesu Christi super eversae synagogae ruinas erectionis ». Unde multi etiam sentiunt, Ionam fugam arripuisse, ne in eam condemnationem inciderent Iudaei ; vide ad 1, 3.

data est super Christi vestimenta, ut unitas omni mundo praedicaretur. Proiectus est e navi Ionas in mare : mors Christi in cordibus gentium collocata est. Susceptus est a bestiis propheta, custodiendus, non comedendus. Audi hic ipsius vocem Christi per sanctum David : *non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* In ventre bestiae marinae positus Ionas sanctus oravit : in inferno Christus descendens mortuos suscitavit. Tertio die propheta litori incolumis est redditus ; die tertio Christus de sepulcro surgens super coelos est exaltatus. Ad praedicationem Ionae per poenitentiam salvata est civitas : per Christi praedicationem sancta Ierusalem redempta est civitas » (*M.* 40, 666).

Propter varia miracula in libello narrata viri critici, praesertim recentiores historicam indolem libri negantes varias explicationes tentarunt.

Alii enim narrationem ita emollire conati sunt, ut quae cp. 2° habeantur, per modum somnii vel visionis Ionae contigisse velint ; alii allegoriam ad docendum confictam in narratione proponi docent, qua varia doctrinae capita de Dei cura et providentia, de munere prophetico, de vaticiniorum minacium explicatione etc. adumbrentur ; alii allegoriam ibi cernunt *historicam*, qua scil. « per elegantem metonymiam in scita prosopopoeia » Manasses eiusque fata, dein Iosias delineentur. Alii mythum e Graecorum fabulis [1] ad Iudaeos pervenisse et ita apud Iudaeos transformatum opinati sunt, uti eum in libello nostro legimus. Alii nucleum agnoscunt historicum, quem omni mirabili eventu spoliatum exhibent et ad quem traditio popularis et fama miraculorum appetens mira illa adiecerit. Iam quo pacto singuli illi critici sententiam suam accuratius explicent proponere, non est in animo ; tot enim sunt sensus, quot capita ; si vacat, adi *Ros.* Prolegg. in Ion., *Bleek — Kamphausen*, Einleitung in d. A. T. § 252 ; *de Wette-Schrader* Einl. § 291 et videbis, homines doctos ingenia exercuisse, ut ex pisce magno, qui devoraverit Ionam, facerent navim piscis insigni instructam, quae eiectum prophetam suscepisset ; vel Ionam e mari ereptum carmen illud cp. 2 composuisse, ex quo carmine male intellecto aliquis male sedulus historiam confinxerit etc. etc. Iidem librum ad tempus exsilii vel post exsilium reiiciunt.

Indolem autem vere historicam [2] ex eo probamus, quia 1° narratio ita confecta est, uti miracula illa in libris historicis relata de Elia et Eliseo aliisque ; ergo si illa miracula referuntur uti facta et nequaquam ad allegoriam vel symbolicam docendi rationem trahi possunt, etiam narratio haec eodem stilo eademque simplici assertione conscripta idem

1. Scil. quomodo Hercules liberaverit Hesionem, Laomedontis filiam, a monstro marino ; vel quomodo Perseus Andromedam ad litus prope Ioppen monstro marino expositam servaverit ; cf. *Hitz. de Wette-Schrader*, Einleitung § 291 ; ex veteribus *Ros.* ; prioris mythi mentionem etiam ingerit *S. Cyr.* ad Ion. 2 cp. — Alii mythum accersunt babylonicum de Oanne monstro marino.

2. Cf. *Kaulen* p. 2-3.

genus historicum exhibet; 2° verba *Christi Domini* expresse prolata apud Matth. 12, 40; 16, 4. Luc. 11, 29 omnem prorsus dubitationem de re vere gesta tollunt et impium est atque blasphemum (nisi ignorantia insigni, qua de Incarnationis mysterio tenentur, excusantur critici quidam moderni), asserere Christum Dominum in rebus historicis sui temporis erroribus fuisse obnoxium, neque *humanam* eius cognitionem limites temporis sui atque populi superare et excedere potuisse. — In textu graeco Tob. 14, 6 etiam eius mentio iniicitur.

Alia est quaestio quam libere in utramque partem agitare poteris, utrum Ionas ipse librum composuerit necne. Solida ratio, cur id negetur, non apparet [1]. Indicia enim temporis posterioris, quae in lingua aliqui deprehendunt, neque in se adeo certa sunt, neque si certo tempus posterius indicarent, iam continuo Ionam auctorem excluderent. Quis enim adeo audax est asserere, Iudaeos posteriores in libris describendis antiquioribus *nunquam* vel per errorem vel ex consulto formas grammaticales recentiores et vocabula magis recentia et usitata inseruisse? Exempla satis luculenta habes in iis psalmis, qui *bis* in Scriptura exhibentur; vide v. g. Ps. 18 et 2 Sam. 22 (hebr.) et comparatione instituta deprehendes duos illos eiusdem psalmi textus plus quam nonaginta locis inter se differre et vocabulis et formis grammaticalibus. — Sed neque adest ratio certa, cur libellus ipsi Ionae debeat adscribi.

Volunt aliqui indolem linguae arguere tempus post exsilium (cf. *de Wette-Schrader* l. c. § 292), sed exempla allata minime id ostendunt. Sunt enim potissimum haec: 1) רַב 1, 6; at ea vox eodem sensu certe iam tempore Ieremiae erat valde usitata: cf. Ier. 39, 9 et videtur petita ex usu aramaico, ex quo etiam 2) סְפִינָה *navis* depromitur 1, 5. Neque id mirum; cum navigationi operam darent Phoenices et cum iis certe etiam Aramaei, eiusmodi vocabula ex lingua aramaica esse adhibita patet: 3) formae בְּשֶׁלְּמִי 1, 7; בְּשֶׁלִּי 1, 12 et שֶׁ pro אֲשֶׁר 4, 10; sed si Iud. 5, 7. 6, 17; Cant. 1, 6. 7; 8, 12 aliique loci comparantur (cf. *I. Olshausen*, Lehrb. d. hebr. Spr. p. 439), facile cernitur, eiusmodi formas etiam priscis temporibus non fuisse ignotas; 4) עָשַׁת 1, 6: at eodem verbo iam usus est Ier. 5, 28; vel usum refert aramaicum, qui apud prophetam ex Galilaea oriundo et in Mesopotamia praedicante non potest iure esse offensioni. Idem valet de voce מָנָה 2, 1; 4, 6; quae insuper Hebraeis quoque valde erat familiaris cf. Num. 23, 10. Is. 65, 12. 2 Sam. 24, 1. 2 Reg. 12, 11. Ier. 33, 13. Ps. 61, 8. Iob 7, 3 etc.

5) קָרָא 1, 2; 3, 2; sed etiam in significatione *praedicandi* haec vox apud priscos invenitur cf. iam Ex. 32, 5 [2]. Ioel 4, 9. Prov. 1, 21; 8, 1: 20, 6. Is. 40, 6; 44, 7;

1. Cf. *Kaulen* p. 9. *Trochon* p. 218.
2. Qui locus a *de Wette-Schrader* § 188 attribuitur « narratori prophetico »; sed « narrator propheticus » secundum § 205 vixit *omnino* (jedenfalls) inter 880-800, vel accuratius sub Ieroboam II 825-800 — at § 292 vox haec קָרָא argumento esse debet originis serioris! Praeclara arguendi constantia! —

38, 1. Ier. 2, 2 ; 7, 2 et saepius ; 6) טעם 3, 7 ; sed haec vox praecise ea est, qua utuntur Assyrii pro mandato vel praecepto; ea igitur potius ostendit rem ab homine esse conscriptam, qui res assyriacas noverit (cf. ad 3, 6 — usus est idem ac si nos loquamur de lege lata in Anglia vel Russia et illam *Bill* vel *Ukas* vocamus) ; 7) רבו 4, 11 ; sed quomodo probari potest, Hebraeos priscos non habuisse vocem pro *myriade* eandem, cum Ps. 68, 18 legatur רבותים *duae myriades* et cum insuper רבבה fuerit valde usitata cf. Lev. 26, 8. Deut. 32, 30. Iud. 20, 10 etc.

8) אלהי שמים 1, 9 ; sed qua ratione haec phrasis posterioris temporis indicium esse possit, minime apparet, cum praeter alia iam Gen. 24, 3 inveniatur, quem locum ipse *Schrader* § 187 adscribit « narratori prophetico », qui sub Ieroboam II scripserit (cf. *de Wette-Schrader* l. c.).

Atque haec sunt [1], quibus originem libri aetati seriori adscribere volunt. At ea esse inefficacia, satis esse ostensum opinor.

II. — Quae fuerit regni assyriaci conditio.

Ex paucis quibusdam inscriptionibus, quae inventae sunt in *Nimrud* et *Nebi Iunus*, et ex indiciis, quae praebentur in catalogo praesidum (Eponymenliste), haec de rebus assyriacis sub *Rammannirar* (a. Ch. 810 - 782) colligi possunt : imperium assyriacum extendebatur usque ad Babyloniam et sinum persicum et occidentem versus etiam Phoenices, Hethitae, Syri, Israelitae, Edomitae saepius iam potentiam assyriacam experti vel tributa pendebant vel regis assyriaci hegemoniam agnoscebant. Etiam quaedam pars Medorum et Armenia meridionalis imperio assyriaco obediebat. Salmanassar III (a. Ch. 781 - 771) varia gessit bella et expeditiones militares suscepit; in Armeniam fere singulis annis, sed etiam versus Damascum et Syriam. Sub ipso, praesertim vero sub duobus eius successoribus *Asurdanil* (a. Ch. 770 - 752) et *Asurnirar* (752 - 745) imperium debilitari et variis perturbationibus internis concuti coeptum est ; ex annis 765 et 759 pestis vel morbus letifer refertur stragem edidisse ; alii anni 763 - 759 memorabiles dicuntur propter perturbationes et seditiones in praecipuis imperii urbibus exortas (in Libi - alu — Asur ? in Arbacha, in Gozan) quas haud leves fuisse inde forte licebit suspicari, quia anno 758 eas feliciter fuisse compositas adnotatur in catalogo praesidum verbis adscriptis « pax in terra » ; in eodem catalogo alii anni v. g. 764. 757. 756. 753 - 750 designantur verbis appositis « in terra » veluti expertes omni expeditione militari et a rebus praeclare gestis vacui.

Hoc igitur tempore 760 - 750 Ionam adiisse Niniven aliqui haud im-

---

1. Alii ad « aramaismos » libelli etiam referunt 1, 4 הטיל ; sed cf. 1 Sam. 18, 11 ; 20, 33. Ier. 16, 13 etc. ; sed etiam ex « aramaismis » nihil pro tempore posteriore concludi, vide *Volck* in *Herzog*, Realencykl. 2 ed. VII p. 86.

probabiliter suspicati sunt (cf. *G. Rawlinson* II p. 126. *Civiltà cattolica* 1882, XI, 2 p. 403), i. e. ultimis annis Ieroboam II. Atque sane si eius missio incidit in tempus, quo imperium assyriacum ab antiquo splendore recedere et peste et variis seditionibus ac periculis concuti coeptum est, quo igitur Ninivitae iam partim a prisca superbia et gloria deiecti, partim variis terroribus et calamitatibus perterriti imperii imminutionem vel ruinam facile suspicari vel saltem timere poterant, ne tale quid immineret, facilius nobis explanare poterimus, cur prophetae Domini voces ac minae tantum subito iis incusserint timorem, tantam excitaverint poenitentiam morumque derepente mutationem. Ceterum adde ea, quae ad cp. 3 invenies adnotata. Id saltem certum exploratumque esse debet, *tristi* temporum conditione et imminentibus undique periculis animos hominum melius disponi, ut minis divinitus promulgatis fidem adhibeant iisque percellantur, quam si eaedem minae in rerum omnium abundantia et laetissima prosperitate annuntiarentur.

LIBER IONAE

CAP. I.

Arg. — Ionas mandato a Domino accepto, ut in urbe Ninive praedicaret, conscensa navi in Tartessum fugere tentat (1, 1-3). At subito mare vehementissima tempestate cohorruit, cui cum nihil nautae obtendere possent opportunum, ad preces confugiunt sortesque mittunt, (1, 4-7), quibus Ionas deprehensus se tempestatis esse causam fatetur et ut ad sedandam tempestatem in mare deturbent ipsum, hortatur (1,8-12). Inviti et facinus deprecantes eum eiiciunt. Statim consedit tempestas ; admirati nautae Deo victimas immolant et vota nuncupant (1, 13-16).

a) **Ionas fugit 1, 1-3.**

V. 1 « *Et factum est verbum Domini ad Ionam, filium Amathi, dicens :* v. 2 *surge et vade in Niniven civitatem grandem et praedica in ea ; quia ascendit malitia eius coram me* » ; — incipit libellus ab *et* ; hebr. enim וַיְהִי propter usum frequentissimum in praeteriti temporis particulam fere abiit ita, ut notio copulationis quasi oblivioni daretur ; quare complures libri ab eadem voce inchoantur (cf. Ios. 1, 1. Iud. 1, 1. 1 Sam. 1, 1. Ruth. 1, 1. Esth. 1, 1. Ez. 1, 1) [1]. In hebr. mandatum exprimitur sine copulae particula modo magis concitato : *surge*, *vade*. Ex inscriptionibus cuneatis scimus, Salmanassar II (a. Ch. 860-825) sexto imperii sui anno victoriam reportasse ad Karkar de duodecim regibus

1. Alii etiam libri a ו incipiunt ; cf. Ex. Lev. Num. 1 Reg. Esdr. Rationem reddunt ex eo, quod omnis eventus temporis serie antecedentibus adnectatur (*Keil, Trochon*) et narratio quaevis quasi ex medio rerum fluxu deprompta sit (*Hitz.*), vel saltem ex cognata quadam eventuum serie proponatur (*Schegg*). Dubito explicationi adeo philosophicae in tanta rei simplicitate subscribere. — Iam *Rup.* de illo *et* philosophatur : « mirabiliter et gravissime sonat auribus nostris initium huiusmodi ; scil. filii Israel non audierunt quae praeceperat Dominus, mittens ad eos in manu servorum suorum prophetarum... et idcirco factum est » ; et *Alb.* : « cum enim non copulet aliquid ante in sermone, necesse est quod copulet ad id quod praecessit in mente ; unde *glossa* : multa in spiritu videns, de multis in haec verba prorupit ».

foederatis Damasci (Benhadad), Israel (Achab), Hamath, Aegypti, Arvad, Ammon; eum anno regni sui 11. et 14. expeditionem militarem suscepisse contra Syriam, Hamath, oram maritimam; eum plura alia bella gessisse contra Damascum et tributa exegisse a Iehu, filio Omri, a Phoenicibus etc. regem quoque Assyriae Rammannirar (a. Ch. 810-782) anno octavo regni expeditionem suscepisse in oram maritimam i. e. Palaestinam, eique Tyrum, Sidonem, Samariam, Edom, Philisthiim tributa pependisse [1] — unde diu ante Menahem (4 Reg. 15, 19) Iudaeis et Israelitis regnum Assyriorum notum erat. De *Ninive, civitate grandi* cf. 3, 3; erat sita ad Tigridem. Urbis magnitudinem, quam Ionas certe iam fama acceperat, commemorat, « ut magis ipsum inflectat ac permoveat accelerare profectionem; non enim est, inquit, exiguus locus, non vile oppidulum, sed civitas non una ex multis, verum magna, quare non est quod ipsam asperneris » (*Theoph.*). *Quia* non dicit argumentum praedicationis (*Theoph.*), sed « praecepti causam et necessitatem » (*Alb.*) indicat; ad coelum clamare vel *ascendere coram Domino* dicuntur peccata [2], quando publice, inverecunde, cum totius ordinis naturalis ac moralis subversione committuntur (cf. *Rib. Sanct.*). Uti alias prophetae vaticinari iubentur contra exteras gentes, ut Dominus omnium populorum rex ac gubernator agnoscatur a Iudaeis, ita nunc prophetam suum etiam ad gentes amandat, ut omnium se Deum esse ostendat, qui illorum etiam curam gerat et gentes quoque ad Dei cognitionem iri assumptum insinuet (cf. *Cyr. Theod. Theoph. Rib.*). Talem autem curam Assyriis impendi etiam ex eo intelligere licet, quia regnum assyriacum ex Dei providentis consilio et pro populo Dei et pro multis aliis gentibus potestate et imperio florere debuit lata quadam dominatione fundata. Quare cavendum erat, ne pessimorum vitiorum colluvie abundaret. Etsi per singula non possimus enumerare, quid praedicatio Ionae mutationis morum permanentis induxerit quasque vitiorum scaturigines perpetuo obstruxerit, tamen certum esse debet, resipiscentiam illam, de qua 3, 6-10 sermo est, diu multumque salutarem fuisse et morum perversitati aggerem aliquem obiecisse; quantum vero id necessarium fuerit, cum Assyrii tot gentes longo tempore suo imperio continuerint, nemo non videt (cf. *Schegg* p. 403). Is finis praecipuus est; quodsi *S. Hier.* asserit: « in condemnationem Israelis Ionas ad gentes mittitur, quod Ninive agente poenitentiam illi in malitia perseverent », id secundario et ex consequenti tantum intelligi debet (cf. Matth. 12, 41).

1. Cf. *F. Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes, 3. éd. IV p. 36. *Schrader*, Keilinschr. u. d. Alte T. 2. edit. p. 189. 199. 201-210. 464. *G. Rawlinson*, The five great Monarchies, 2. ed. II p. 103 et seq.

2. Cf. Gen. 4, 10; 18, 20.

At Ionas mandatum Dei detrectat v. 3 « *et surrexit Ionas ut fugeret in Tharsis a facie Domini et descendit in Ioppen. Et invenit navim euntem in Tharsis et dedit naulum eius et descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini* » ; — iussus surgere, ire Niniven, surgit, sed in oppositam et longe remotam regionem fugere tentat, in Tartessum Hispaniae, ut *a facie Domini*, quae est Dei in Ierusalem, in templo, in populo suo manifestatio [1], quam longissime recedat et ita extra aleam quasi ponatur, ne iterato tale mandatum ingratum ipsi fiat. Ioppe, quae hodie *Iaffa* nominatur, urbs erat Philisthaeorum non longe a termino tribus Dan ad mare mediterraneum (cf. Ios. 19, 46. 2 Par. 2, 16. Esdr. 3, 7. Act. 10, 6). Cur fugerit Ionas, ipse rationem reddit 4, 2 ; eamque ita expendit *Theod.* : « neque ignavia illum metusve in fugam impulit, sed cum misericordiae fontes non ignoraret, quibus utens is qui eum praedicare iusserat, omnia administrat, sciretque Ninivitas si resipiscerent, divinam misericordiam omnino adepturos esse, indecorum ducebat praedictionem suam falsam declarari seque pro propheta mendacem vocari. In hanc vero suspicionem eum impulit ipsa minarum, quae ultionem intentabant, denuntiatio ; consideravit enim illum praenuntiaturum non fuisse, si punire voluisset, cum supplicii comminatio invitatio sit ad poenitentiam » (sim. *Rib. Lap. Sa, Est. Tir.*), quare *Sanct.* eum accusat magis suae ambitioni quam Dei gloriae consuluisse. Ceterum vide ad 4, 1. 2.

Aliam rationem alii reddunt ; « scit propheta, quod poenitentia gentium ruina sit Iudaeorum. Idcirco amator patriae suae non tam saluti invidet Ninive quam non vult perire populum suum » (*Hier.* ; sim. *Theod. M. Haimo, Rup. Barh. Kaulen*) ; at ea ratio est et longe petita neque Ionas ullo pacto suspicari potuit fidem Ninivitarum ruinae fore Israelitis. Varie quoque explicant *fugere a facie Domini*. Atque *Cyr.* quidem fieri posse censet, ut Ionas simul cum aliquibus vetustioribus in ea fuerit opinione, potentiam et imperium Dei solis Iudaeae finibus circumscribi ; verum talis error prophetae adscribi non potest. Melius sane dices cum *Theod.*, eum arbitratum esse in sola Hierosolyma Deum sese ostendere, vel rectius cum *Theod. M.* dici *fugere a facie Domini*, quia ea regione excedebat, qua se Deus revelare solebat. Ad hanc loquendi formam compara : *apparere coram Domino ; laetari coram Domino* i. e. in templo se sistere ; ante tabernaculum foederis, ante habitationem Dei epulis sacrificialibus accumbere etc. — Alio parumper modo locutionem explanat *Rib.* ; illos scil. dici ante faciem Dei, quos Deus intueatur et alloquatur ; illos discedere a facie Dei, qui nolint Deum secum loqui ; « quoniam ergo Ionas cupiebat in longinquas regiones fugere, unde propter locorum distantiam mitti Niniven non posset nec Deum

---

1. Quos Deus ex sua terra in alienas regiones eiicit, proiicere dicitur a *facie sua* 4 Reg. 17, 20. 23, vel *auferre a facie sua* l. c. 23, 27 ; 24, 20. 2 Par. 3,

id praecipientem audiret, metaphorice fugere dicitur a facie Domini ». At ea ratio vix cuiquam satisfaciat; nam si viam illam fuga emetiri potuit, cur non posset denuo iuberi relegere gressus ? Addit *Lap.* sperasse Ionam, Deum se ita profugum et renitentem ex remotissimis regionibus non revocaturum nec remissurum in Niniven. Utique humanae contumaciae est, quod in Tartessum, regionem longe remotam ire voluerit, ut ipsa fugae longinquitate quasi sollemniter declararet se recusare missionem eamque abhorrere (cf. *Cyr. Gord.*). Censet *S. Hier.* Tharsis usurpari pro mari [1], quia de navibus Tharsis sit sermo (Ps. 47, 8. Is. 23, 1) : « super quo ante annos plurimos in epistola quadam ad Marcellam dixisse me memini ; non igitur propheta ad certum fugere cupiebat locum ; sed mare ingrediens quocumque pergere festinabat et magis hoc convenit fugitivo et timido non locum fugae otiose eligere, sed primam occasionem arripere navigandi ». Verum quidem hoc et psychologicum est ; at cum tam diserte dicatur : *surrexit, ut fugeret in Tharsis* [2], id ex eventu mere narrari, quia fortuito navis aderat vela solutura in Tharsis, non ausim dicere, neque enim *Tharsis* nomen est generale maris. *Cyr.* urbem Tarsensem interpretatur, *Theod.* et *Theoph.* Carthaginem, uti teste *Theod.* in Is. 23, 1 *Aq. Sym.* et *Theod.* vocem Tharsis interpretati sunt. Communis recentiorum [3] opinio, haud infirmis fulta praesidiis est intelligi *Tartessum* in Hispania baetica ; nomen enim omnino congruit, praesertim si pronuntiationem aramaizantem *Tharthisch* attenderis (cf. Atur pro Assur [4], Batanaea pro Basan) ; dein in sacris literis regio valde remota, ex qua Phoenices argentum, ferrum, stannum, plumbum acquisierint, designatur (cf. Is. 66, 19. Ps. 71, 10. Ier. 10, 9. Ez. 27, 12. 25. 38, 13), quae omnia in Hispaniam baeticam conveniunt (cf. *Diodor.* 5, 35. *Strabo* 3, 147), ubi emporium erat Phoenicum et colonia.

« *Dedit naulum eius,* sive mercedem navis i. e. subvectionis eius, iuxta hebraicum ; sive *naulum pro se,* ut Septuaginta transtulerunt. Et *descendit,* ut proprie continetur in hebr., ut fugitivus sollicite latebras quaereret. Vel *ascendit,* ut scriptum est in editione vulgata (ἐνέβη), ut quocumque navis pergeret, perveniret ; evasisse se putans, si Iudaeam relinqueret » *(Hier.)*. Placet demum adscribere, qualiter in carmine vetusto de *Ninive,* quod Tertulliano adscribunt (cf. *M.* 2, 1108), ratio reddatur fugae Ionae :

sed conscius ille
Parcere subiectis et debito cedere poenae
Supplicibus, facilemque boni, cessabat obire
Ne vanum caneret, cessura pace minarum.

---

1. Uti etiam h. l. *Chald.* vocem *Tharsis* exprimit.

2. Et cf. 4, 2 : propter hoc praeoccupavi ut fugerem in Tharsis.

3. Quaestionem hanc fuse pertractavit *Fr. Lenormant* in periodico : Revue des questions historiques t. 32 ; 1882, 2 p. 5. Aliorum sententiis recensitis, ipse gentem Tursensem vel Tyrsensem in litore occidentali Asiae minoris et in insulis maris aegaei olim habitasse censet, dein saeculo 15. vel 16. in Italiam immigrasse ; inde factum esse, ut *Turschisch* Phoenicibus esset nomen, quo partes occidentales designarent et primo Italiam, dein dilatato eorum commercio Hispaniam.

4. Vide *Winer* s. v. Tharschisch.

b) Tempestas valida 1, 4-7.

Verum, uti in carmine, de quo modo mentio est facta, dicitur : nec denique mirum,

Si Dominum in terris fugiens, invenit in undis,

sic accidit v. 4 « *Dominus autem misit ventum magnum in mare et facta est tempestas magna in mari et navis periclitabatur conteri* » ; — hebr. proprie, *iaculatus est* vel *proiecit ventum magnum* ; bene LXX καὶ ἐγένετο κλύδων μέγας. «Magnum tempestatis argumentum, quod ipsi quoque nautae percussi terroribus sine intermissione deos suos ut iam desperata salute opem rogitent » *(Cyr.)* ; ita enim v. 5 «*et timuerunt nautae et clamaverunt viri ad deum suum et miserunt vasa quae erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis. Et Ionas descendit ad interiora navis et dormiebat sopore gravi* » ; — hebr. *et clamaverunt ad suum quisque deum* i. e. erant scil. nautae ex variis oppidis in quibus alii et alii dii tutelares praecipue colebantur ; proiecerunt *vasa* i. e. supellectilem, merces, varia quibus navis onerata erat ; quae tempore periculi ipsis quoque quasi onera incumbebant, quippe quae submersionis periculum augerent ; unde in hebr. *ut ab ipsis (desuper ipsis) levarent.* « Clamat unusquisque ad Deum suum ; ignorantes veritatem non ignorant providentiam et sub errore religionis sciunt aliquid esse venerandum ; proiiciunt onera in mare, ut magnitudinem fluctuum classis levior transiliret » (*Hier.*). *Et descendit* certe explicari debet : iam ante tempestatem exortam descenderat Ionas ad interiora navis (cf. *Cyr. Theod. M. Theoph. Rib. Sanct. Kaulen*) ; soporem autem eius non habebimus (ut uno in loco *S. Hier.*) securae mentis ac tranquillae indicium, sed alteram, quam assignat *S. Hier.* causam adoptabimus, Ionam moerore, tristitia [1], lassitudine et conscientiae stimulis oppressum aliorum societatem fugisse, quaeritasse solitudinem et demum post talem conflictationem internam viribus exhaustis gravi sopore esse sepultum ; neque enim supponi potest, cum sine vehementioribus animi commotionibus, remorsibus, fugam arripuisse ; ea autem lucta, eo angore et ipsa viae quam confecerat fatigatione demum somno traditum fuisse, nemo mirabitur ; apte monent aliqui, etiam discipulos Christi dormivisse *prae tristitia* (Luc. 22, 45 — cf. *Theod. Theoph. Rib. Sanct. Lap. Mar. Men. Kaulen*).

Nautarum trepidatio et vehementia tempestatis etiam eo ostenditur,

---

1. Cur tristitia somnum efficiat, explicat *Alb.* : « tristitia est motus secundum systolem cordis et in tali motu calor et spiritus et sanguis ab exterioribus organis sensuum retrahuntur ad interiora, quibus retractis organis sensuum subrepit frigiditas, quae somni causa est ».

quod *nautarum princeps* (hebr. πρωρεὺς LXX) etiam Ionam ad numinis opem implorandam excitat; solemus enim in desperata salute nervos omnes intendere et quamlibet salutis umbram avide persequi; unde v. 6 « *et accessit ad eum gubernator et dixit ei : quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis et non pereamus* »; — rem expendit *S. Hier.* : « naturale est unumquemque in suo periculo de alio plus sperare; unde gubernator sive proreta, qui vectores timidos debuerat consolari, cernens discriminis magnitudinem, excitat dormientem et arguit improvidae securitatis commonetque ut ipse quoque pro virili portione deprecetur Deum suum, ut cuius erat commune periculum, communis esset oratio ». LXX τί σὺ ῥέγχεις *quid tu stertis?* hebr. *quid tibi sopito?* i. e. quid habes, quid tibi in mentem venit, ut dormias?

Hebr. יִתְעַשֵּׁת *S. Hier.* rite expressit *recogitet*; ad hanc vocis notionem prorsus revocantur alii loci Ps. 146, 4 (hebr.) *peribunt omnes cogitationes eorum*; Iob 12, 5 *apud cogitationes divitum*; Dan. 6, 4 *rex cogitabat*; neque minus Ez. 27, 19 et Cant. 5, 14, ubi עֲשׁוֹת et עֶשֶׁת significat *fabrefactum*, artificiose factum opus, i. e. arte et scientia excogitatum. Unus obstare videtur locus Ier. 5, 28, ubi vocem *oleo splendescere* ex contextu plerique explicant, etiam LXX et *S. Hier.*; quare alii nostro etiam loco ex hac notione derivant significationem : *serenum se exhibere* (*Hitz.*). Sed non opus est recedere ab ea notione, quae apud Chaldaeos et Syros quoque deprehenditur et quae etiam Ier. 5, 28 adhiberi potest; nam vox si sequentibus iungitur, explicari potest: *excogitant, machinantur res malas*. Locum nostrum *Chald.* reddit : « si forte misericordia concedatur nobis a Domino »; LXX εἴπως διασώσῃ ὁ θεὸς ἡμᾶς; et ita quoque *Syrus*.

Cum communis omnium oratio nil proficeret — Ionam enim admonitum etiam ad preces confugisse, per se liquet — immo tempestas solito vehementius fureret, numinis offensi vindictam in ea cerni nautae sibi persuadent; « noverant naturam maris et tanto tempore navigantes sciebant tempestatum ventorumque rationes, et utique si solitos et quos aliquando experti fuerant fluctus vidissent consurgere, nunquam forte auctorem naufragii quaererent et per rem incertam certum cuperent evitare discrimen » (*S. Hier.*); v. 7 « *et dixit vir ad collegam suum : venite et mittamus sortes et sciamus, quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, et cecidit sors super Ionam* »; — *vir ad collegam suum* hebraismus est pro : dixerunt inter se. Res est ad gentium mores prorsus facta [1]; at « fugitivus sorte deprehenditur, non viribus sortium et

1. Neque desunt, qui tempestatem variis miraculis exornant : alios sine periculo mari tranquillo navigasse, solam navem cum Iona agitatam esse (cf. *Theod. Theod. M. Theoph.* — at merito id reiicit *Rib.*). Alia rabbinorum figmenta refert *Calm.*

maxime sortibus ethnicorum, sed voluntate eius qui sortes regebat incertas » (*S. Hier.*).

c) Ionas se reum fatetur 1, 8-16.

Sortibus iactis et Iona deprehenso v. 8 « *Et dixerunt ad eum : indica nobis, cuius causa malum istud sit nobis? quod est opus tuum? quae terra tua et quo vadis? vel ex quo populo es tu* »? — hebr. *propter quem hoc malum nobis* i. e. quis tu, cuius causa id fit? *opus* i. e. negotium quaerunt; *et unde venis, quae est terra tua* (hebr.). Quaestiones repetitae bene depingunt animorum commotionem. Haec autem omnia studiose exquirunt, quia in singulis irati numinis causa latere potest : exercesne usuras, rapinas, magiam vel similem artem diis exosam? venisne ex scelerata regione, numini infesta? venisne ex populo diis inviso (cf. *Lap.*)? Ceterum bene *S. Hier.* : « quem sors indicaverat, cogunt voce propria confiteri, quare contra eos ira Dei desaeviat; et notanda brevitas, quam in Virgilio admirari solebamus [1]; interrogatur persona, regio, iter, civitas, ut ex his cognoscatur et causa discriminis ».

V. 9 « *Et dixit ad eos : Hebraeus ego sum et Dominum Deum coeli ego timeo, qui fecit mare et aridam.* v. 10 *Et timuerunt viri timore magno et dixerunt ad eum : quid hoc fecisti? cognoverunt enim viri, quod a facie Domini fugeret; quia indicaverat eis* ». — *Hebraeus*; observari potest, nomen usurpari vel ab alienigenis (Gen. 39, 14; 41, 12. Ex. 1, 16. 1 Reg. 4, 6. 9; 13, 19; 29, 3. Iudith 12, 11), vel a Iudaeis quando cum alienigenis colloquuntur (Gen. 40, 15. Ex. 2, 7; 3, 18; 5, 3 etc.); עִבְרִי [2] περάτης, qui e regione trans fluvium Euphraten venit; Iahve, Deum coeli (Gen. 24, 3. 7) *timeo* i. e. colo, veneror, bene LXX σέβομαι; *timere* enim est religiose colere et *timor* saepe fere idem ac *religio*; brevi sed efficaciter Dei sui potentiam delineat et quantum ab idolis et diis particularibus et popularibus distet exprimit; « *mare*, in quo fugio; *aridam* de qua fugio » (*S. Hier.*). « Statim subnectitur, quod idcirco timuerunt, quia eis indicaverat se Domini fugere conspectum et eius non fecisse praecepta. Denique causantur : si times Deum, cur fugis? si tantae potentiae praedicas quem colis, quomodo te putas eum posse evadere » (*Hier.*)? Ionas ipsa sua confessione *qui fecit mare,* prodit quam

1. Affert ex Aeneid. l. 8, 112 seq. : Iuvenes, quae causa subegit
Ignotas tentare vias, quo tenditis, inquit,
Qui genus, unde domo, pacemque huc fertis, an arma?

2. Pro quo LXX עבד י legerunt; habent enim δοῦλος Κυρίου ἐγώ εἰμι· sed testes reliqui omnes lectioni hebr. suffragantur; ita *Aq. Sym. Theod.* in cod. syr. hexapl.; ita *Syrus*, *Chald.* et ipso sensu commendatur propter quaestionem positam et molestam tautologiam in LXX.

stulte se mandato subtrahere conatus sit, ut merito ethnicorum audiat reprehensionem et admirationem tanti stuporis a se admissi (cf. *Theod.*).

Gentibus circa Palaestinam incolentibus magnam quandam reverentiam Domini insedisse, pluribus ostendi potest (cf. Ex. 15, 15. Ios. 2, 9; 5, 1. 1 Reg. 4, 7. Iudith 5, 9 et seq.); quare a verosimili minime abest, quod notat *S. Hier.* : « timent autem timore magno, quod intelligunt sanctum et sanctae gentis virum et tamen fugitivum celare non possunt. Magnus est qui fugit, sed maior ille qui quaerit; non audent tradere, celare non possunt; reprehendunt culpam, timorem confitentur; rogant, ut ipse remedio sit, qui auctor peccati fuerat »; unde v. 11 « *et dixerunt ad eum: quid faciemus tibi et cessabit mare a nobis? quia mare ibat et intumescebat.* v. 12 *Et dixit ad eos: tollite me et mittite in mare et cessabit mare a vobis; scio enim ego, quoniam propter me tempestas haec grandis venit super vos* »; — postulant ab ipso, qua ratione numen quod offenderit, placari velit ac debeat, simulque perspiciunt expiationem ab ipso praestandam esse (*tibi*), ut divino favore tranquillitas maris redeat; incremento tempestatis numinis vindictam augeri iramque magis magisque in fugitivum accendi cernunt — phrasis enim hebr. *quia mare iens et procellosum* idem est quod : magis magisque intumescebat cf. Gen. 8, 5. 1 Sam. 2, 26; non male LXX ὅτι ἡ θάλασσα ἐπορεύετο καὶ ἐξήγειρε μᾶλλον κλύδωνα —. Bene *S. Hier.* : « propter te dicis ventos, fluctus, mare, gurgites concitatos? exposuisti causam morbi, indica sanitatis!... nostrum est praebere manus; quid fieri iubeas, tuum est imperare ». Credunt enim ipsum etiam cognoscere quomodo Deus suus placari possit.

Ionas peccati admissi vera poenitentia tactus « non tergiversatur, non dissimulat, non negat; sed qui confessus fuerat de fuga, poenam libenter assumit, se cupiens perire, ne propter se et ceteri pereant » (*S. Hier.*). Unde ex ipsa tempestate, qua omnibus mors imminet, concludit Deum morte eum velle mulctare, eamque poenam humili animo et cum magnanimitate in se suscipit; quare postulat : *mittite in mare*, « non est enim nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter excipere » (*S. Hier.*), neque enim quisquam obligari potest, ut sui ipsius sit carnifex. Eam sententiam in se esse latam a Deo et a nautis exsecutioni mandandam, prophetico spiritu Ionam cognovisse satis probabile est (cf. *Sanct.*).

Nautae vero duram sententiam declinare conantur et hominem Domini cultorem morti obiicere verentur v. 13 « *et remigabant viri, ut reverterentur ad aridam; et non valebant, quia mare ibat et intumescebat super eos;* v. 14 *et clamaverunt ad Dominum et dixerunt : quaesumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem; quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti* »; — hebr.

proprie : *et perrumpebant* (scil. fluctus), *ut reducerent navim* ; bene LXX καὶ παρεβιάζοντο omni conatu nitebantur navim ad terram reducere. Horret enim natura humana et refugit videre vel efficere alterius mortem. Insuper timor eos invaserat, audientes cultorem Dei, in quem manus iniicere et cuius sanguinem fundere verentur, ne ira Dei in ipsos convertatur. Verum increscente tempestate facinus apud Dominum deprecantur non sine quodam timore superstitioso, qui tamen eo magis apud ethnicos excusationi patet in tanta re, cum apud ipsos etiam Israelitas ex lege Dei variae actiones et conditiones necessariae, quae vel praeceptae erant vel evitari nulla ratione possunt, maculam immunditiei leviticae habeant adnexam et expiationem per sacrificia postulent. Quare dicunt : « nolumus interficere prophetam tuum, sed iram tuam et ipse confessus est et tempestas loquitur ; voluntas tua expletur per manus nostras » (*S. Hier.*).

Unde v. 15 « *et tulerunt Ionam et miserunt in mare, et stetit mare a fervore suo* » ; — « non dixit arripuerunt, non ait invaserunt, sed tulerunt : quasi cum obsequio et honore portantes miserunt in mare non repugnantem, sed praebentem manus ipsorum voluntati. Et stetit mare [1], quia invenerat quem quaerebat » (*S.Hier.*).

Nautae autem, uti fit quando eventus quidem superhumanus et supernaturalis cernitur [2], sacro quodam timore corripiuntur et magna Domini reverentia perfusi eum adorant ; v. 16 « *et timuerunt viri timore magno Dominum et immolaverunt hostias Domino et voverunt vota* » ; — statim in navi victimas [3] mactant ; alias se oblaturos spondent in futurum vel votis susceptis ad certa quaedam in cultum Dei peragenda se obstringunt. Ita cognitionem Domini acceptam et praesentem ab imminenti periculo ereptionem laetis animis celebrant neque Ionae irascuntur boni nautae, quod stulta sua fuga illos onere navis et mercibus spoliaverat tempestate propter ipsum exorta (cf. v. 5. 12). Benignam nautarum indolem iam aliqui interpretes agnoscunt ad v. 8, cum non acri ira in Ionam mali auctorem invehantur, sed magis amice eum interrogent et praesertim v. 13, cum eum non sine propriae vitae periculo ab undis servare studeant. Immo suspicantur aliqui, illos factos esse proselytas ; ita Iarchi apud *Lap. Kaulen*. At merito subiungit *Kaulen* : sed haec mitto.

---

1. In carmine, de quo supra, ita Ionas loquitur inter alia : navemque levantes
Unum onus hoc magnum pelago iactate volentem.
Et rei eventus describitur : Cumque viro coeli rabiem pelagique voravit,
Sternitur aequoris unda, resolvitur aetheris umbra.

2. Unde v. g. in apparitione divina etiam viri sancti terrore quodam concutiuntur cf. Gen. 28, 17. Is. 6, 5 (hebr.). Ez. 2, 1. Dan. 7, 15 ; 8, 18 ; 10, 7. Luc. 1, 29. Apoc. 1, 17.

3. Perperam *Chald.* : dixerunt se sacrificia oblaturos. Simile quid etiam *S. Hier.* innuit et *Trochon* vult, quia ex v. 5 omnia in mare proiecissent ; sed *omnia* esse proiecta, minime dicitur.

CAP. II.

Arg. — Ionas in mare proiectus a pisce grandi absorbetur; miro Dei favore in eius ventre vivus servatur (v. 1. 2). Inde orationem ad Deum fundit spe ac fiducia plenam (v. 3-10). Deo mandante Ionas a pisce in terram eiicitur (v. 11).

a) Ionas in ventre piscis 2, 1.

Dum nautae benigni numinis experiuntur opem (1, 15), ea Ionas quoque fruitur : v. 1 « *Et praeparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Ionam* » ; — hebr. *destinavit*, constituit i. e. « iuxta navem fecit venire, ut praecipitem Ionam in suos reciperet sinus et pro morte praeberet habitaculum ; ut qui in navi iratum senserat Deum, propitium in morte sentiret » (*S. Hier.*). Piscem LXX κῆτος vocant, uti etiam Matth. 12, 40 vocatur. Olim communis opinio *balaenam* interpretabatur, contra quam tamen iam *Sanct., Lap. Men.* aliique advertunt, balaenam etsi oris hiatu grandi polleat, tamen gula esse angustiore ; quare de *cane carcharia* esse cogitandum dicunt. Ei sententiae etiam recentiores subscribunt (cf. *Schegg, Keil*); intelligunt scil. *squalum vel canem carchariam,* gallice *requin,* germanice *Hai* dictum, qui in mari mediterraneo frequens est et usque ad 15 pedes longitudine excrescit et non solum hominem deglutire potest [1], verum equos et boves integros (*Kaulen*). « *Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus* ». — Haec in pisce commoratio certe sine insigni Dei miraculo explicari nequit. At non est impossibile apud Deum omne verbum, et cum ex ipsis Christi verbis edoceamur, tali typo Christi commorationem apud inferos eiusque resurrectionem a mortuis praefigurari Deum voluisse, ad tantae rei typum merito assumi grande mi-

---

1. Varia exempla vide, si lubet, apud *Scheuchzer*, Physica sacra t. 4. p. 1124; Mémoires de Trevoux an. 1719 p. 1476 ; *Calmetus*, Dissertationes t. 2. p. 524 ; Nouvelle Encyclopédie Théologique, publiée par Abbé *Migne* t. 15 (Zoologie) p. 1383. — De cetero audi *Kaulen*: « sane valde mirificum est, quod stomachi acrimonia propheta debilitatus non fuit ; vix enim dici potest, quam brevi tempore ad concoquendum piscibus opus sit. Cetera omnia ex squalorum natura haud ita difficiliter demonstrantur. Gula eis est membranacea, per longitudinem rugosa et quae recto itinere dilatata ingentem ventriculum efficit ; ita fit, ut magna corpora ne minime quidem laesa eo descendant. Pars autem interior illorum piscium concava loca permaxima continet, in quibus nescio an aër vitalis omnino non deficiat. Physicis compertum est, et adesse ibi principium quod dicunt azoticum et oxygenium abunde hauriri ex aëre aquis immixto. Vide Cuverii librum Hist. nat. des Poissons t. 1. p. 518. Paris 1828 » (*Kaulen* l. c. p. 35 in nota). Etiam *Fillion* (cf. Atlas d'Histoire naturelle de la Bible p. 60) cum piscem fuisse censet *carchariam glaucum* (*L.*) qui in mari mediterraneo invenitur. Huiusmodi disquisitiones tamquam inutiles reprehendit atque reiicit *Trochon* : « nous sommes ici en plein récit miraculeux. Pourquoi chercher à une action toute surnaturelle des agents naturels » ? Sed ut commune fert philosophorum axioma : entia non sunt multiplicanda sine ratione, ita etiam dicere licet : miracula non sunt augenda neque multiplicanda sine ratione. Solet enim Deus uti rebus naturalibus, in quantum earum indoles et natura effectui producendo est adaptata. Ita v. g. Christus non quinque *lapidibus*, sed *panibus* usus est ad hominum millia satianda.

raculum quis negare audebit? Ex ipsa proinde *figurae* admiratione eventus praesignati portenditur magnitudo, et si miraculum pro Iona patratum magnum censes interrogans, cur prophetam inobedientem re adeo insolita ad obedientiam revocaverit vel vivum servaverit is, cui subsidia alia innumera aliique prophetae magis dicto audientes praesto erant, oculos ad eventum signandum converte, et ex figura huius aestimationem et admirationem alte imprime in animum! Ne quis miraculi magnitudine a fide deterreatur, *S. Hier.* monet, fideles multo maiora credere cogi : « quomodo tres pueri missi in caminum aestuantis incendii, in tantum illaesi fuerint, ut ne vestimenta quidem eorum odor ignis attigerit; quomodo recesserit mare et ad instar murorum hinc inde rigidum steterit, ut praeberet viam populo transeunti; quomodo humana ratione aucta fame leonum rabies praedam suam timens aspexerit nec tetigerit; et multa huiuscemodi »; similiter *S. Augustinus* [1] aliique. Ut rem aliqua saltem similitudine illustrent, *Cyr.* et ex eo *Theoph.* in mentem revocant conditionem infantis in utero matris inclusi : « etiam in utero infans humori naturali innatat et in ventre praegnantis veluti sepultus respirare non potest : vivit nihilominus et servatur, Dei nutu mirabiliter nutritus », cuius comparationis vis ea saltem est, ut qui vitam vitaeque propagationem condidit, illam quoque contra conditiones naturales servare posse sit censendus.

Loquendi modus *tribus diebus et tribus noctibus* non dicit temporis spatium per 72 horas, verum solum indicat, Ionam si v. g. feria secunda in mare sit proiectus, ibi degisse partem illam feriae secundae quae supererat, deinde per feriam tertiam et feria demum quarta fuisse liberatum. Hic enim est loquendi usus apud Hebraeos receptus, ut quaecumque νυχθημέρου pars quasi integrum νυχθήμερον (dies et nox) in computum recenseatur (cf. Matth. 12, 40). Id illustratur Esth. 4, 16; 5, 1 : Esther enim proponit : « non comedatis et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus et ego cum ancillis meis similiter ieiunabo et tunc ingrediar ad regem »; nihilominus 5, 1 dicitur : « die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis » etc., ergo die tertio illud ieiunium per tres dies ac noctes

1. Cf. ep. 102, quaestio sexta, de Iona proph. *M.* 33, 382. Notat multo cachinno a paganis graviter irrisum esse, quomodo Ionas vivere potuisset. « Ad hoc respondetur, quod aut omnia divina miracula credenda non sint, aut hoc cur non credatur, causa nulla sit. In ipsum autem Christum, quod tertio die resurrexerit, non crederemus, si fides Christianorum cachinnum metueret paganorum. Cum autem hinc quaestionem non proposuerit amicus noster, utrum credendum sit, vel Lazarum resuscitatum esse quarto die, vel ipsum Christum tertio die resurrexisse, multum miror hoc quod factum est de Iona, eum pro incredibili posuisse, nisi forte facilius putat mortuum de sepulcro resuscitari, quam vivum in tam vasto ventre belluae potuisse servari. Ut enim omittam commemorare quanta magnitudo belluarum marinarum ab eis qui experti sunt indicetur, venter quem costae illae muniebant, quae Carthagine in publico fixae populo notae sunt, quot homines in spatio suo capere posset, quis non coniiciat? quanto hiatu patebat os illud, quod velut ianua speluncae illius fuit »

tres iam erat finitum ; similia invenies Tob. 3, 10. 12 et 1 Reg. 30, 12. 13 Amalecites qui nudiustertius a Domino relictus est, iam tribus diebus et tribus noctibus non comedisse dicitur [1].

b) Ionae oratio 2, 2-11.

V. 2 « *Et oravit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis* » ; — i. e. « intelligimus eum postquam in utero ceti sospitem esse se senserit, non desperasse de Domini misericordia et totum ad obsecrationem esse conversum » (*S. Hier.*) ; eo ipso enim quod se vivum ac spirantem deprehenderit, Dei opem iam agnovit et in ea maioris misericordiae pignus (*cf. Cyr. Theoph. Rup.*) ; quare « totum affectum mentis in Deum direxit » (*Alb.*).

Duo ex ipsa re nata animum orantis commovent atque replent : periculi domiciliique horror, salutis desiderium et spes. Hisce eius oratio constat, quae vivide refert animi affectus et quasi sponte sua ex occasione data enascitur. Et primo quidem statim duo illa, quae totius orationis summam constituunt, proponit (v. 3) ; dein singula, ut est animi vehementer commoti, latius prosequitur atque depingit, ita ut *bis* gradatione quadam et pericula sua exponat et laetam spem profiteatur (v. 4. 5 ; 6-8) ; demum laude et gratiarum actione precationem concludit (v. 9. 10).

Haec oratio [2] plura refert ex psalmis. Praecipua sunt haec : ad v. 3 cf. Ps. 17, 7 ; 119, 1 . v. 4. Ps. 41, 8 . v. 5. Ps. 30, 8 ; 5, 8. v. 6. Ps. 17, 5 ; 68, 2. v. 7. Ps. 29, 4. v. 8. Ps. 141, 4 ; 142, 4 ; 17, 7 ; 87, 3. v. 9. Ps. 30, 7. Sunt igitur ex psalmis *Davidicis* et duobus, qui *filiis Core* inscribuntur i. e. Ps. 41 et 87. Quare etsi allusiones et verba ex psalmis deprompta esse dixeris, nihil contra Ionam auctorem asseruisti. Nam Ionae psalmos Davidis fuisse familiares eumque iis saepe tamquam precationis formulis usum fuisse, nemo negabit, qui recogitaverit psalmos in sollemnitatibus publice cani solitos esse (cf. 1 Par. 16, 7 seq. 2 Par. 7, 6 ; 29, 30. Ier. 33, 11 et pro tempore posteriore Esd. 3, 10). Quare Ionae oranti locutiones ex psalmis sua sponte offerri, minime mirum est ; nam nobis quoque orantibus formulae orationum consuetarum quasi invitis et non cogitantibus occurrunt et verba secundum usitatum precandi modum ultro efformantur. Sed praeter istas similitudines perpende, quam proprie ad Ionae conditionem singuli versus efferantur, quam particulari colore e re ipsa enato et singularem illam conditionem aptissime exprimente singuli praediti sint atque tincti, quam vere et efficaciter animi commoti affectus reddant, quanta fulgeant sublimitate coniuncta cum vera et grandi dictionis simplicitate — quae si attente consideraveris, mecum fateare oportet, nihil afferri posse ex *internis* rationi-

1. Similia cf. de *tertio die* 1 Reg. 20, 5. 12. 18. 19. 34. Generatim in tali computatione *usum* quam maxime esse attendendum patet; cf. modos loquendi : heute in 8 Tagen ; spatium dierum quod nos vocamus 14, apud Gallos audit *quinze jours* ; apud Romanos *a. d. 3 Non. Oct.* dicitur dies 5, licet die 7° iam sint Nonae ; eodem modo numera et perpende : *octavo Kal. Septemb.* etc.

2. Eam versibus seu stichis duodecim syllabas habentibus explanatam et transscriptam invenies apud *Bickell*, carmina vet. Testam. metrice p. 211.

bus quas vocant, cur non ipse Ionas rem expertus animi sui commotiones et desideria hisce postea expresserit, postquam in alvo piscis similem in modum precatus est. — Ex interpretibus unus *Sanct.* non orationem cernit in ventre piscis fusam, neque omnino precationem agnoscit, sed *narrationem* contineri vult a v. 3-7 eorum quae propheta pertulerit eiectus e navi, antequam esset exceptus a marina bellua; a v. 8-10 eorum, quae in angusto illo ac sordido conclavi cogitaverit, fecerit. Verum sententia haec refutatione non indiget, cum ipso textu : *oravit et dixit* satis iam confodiatur; quare laudatorem merito invenit nullum.

Precationis summam exhibet v. 3 « *et dixit : clamavi de tribulatione mea ad Dominum et exaudivit me ; de ventre inferi clamavi et exaudisti vocem meam* » ; — iam certum dicit, preces suas esse exauditas in eo ipso quod *vivat* in ventre piscis divinae misericordiae et gratiae certissimum agnoscens testimonium (cf. *Theod. Theoph.*) ; et eam exauditionem eo mirabiliorem praedicat magisque gratiosam, cum non solum ei obtigerit de *tribulatione* quadam cum ceteris multis communi, verum *de ventre inferi* i. e. non de ventre ceti (*Hier. Cyr. Theod. Theoph. Rup. Rib.*), sed ex ipsis mortis et inferi faucibus, ex summo illo mortis periculo, cum in mare proiectus procellosum et piscis ore devoratus iam duplici titulo morti et inferis iuremerito videatur adscriptus et mortis imperio ac ditioni plane attributus (cf. *Sanct.*).

Iam prius membrum de tribulatione accuratius sibi depingit v. 4 « *et proiecisti me in profundum in corde maris et flumen circumdedit me, omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt* » ; — in hebr. etiam magis ad horrorem phrasi indeterminata : *in cor marium* ; in media maria ab omni ope humana remotissima ; *flumen* i. e. vehementiores illi aquarum cursus, meatus, qui in ipso mari deprehenduntur ; dein *aestus tui* (hebr.) *et fluctus tui*, ubertate verborum pelagus immensum immensasque aquarum copias in quibus medius est demersus, ob oculos ponit ; *circumdedit* explica per tempus praesens eo scil. modo, quo apud Hebraeos tempus etiam praesens designatur (cf. *Ges.* Hebr. Gram. § 124, 3). Ceterum in textu hebr. habes modo imperf. modo perf., qua temporum commistione conditio praesens atque perdurans describitur. Quod in Ps. 41, 8 metaphorice contigisse dicitur de fluctibus calamitatum et malorum, id Ionas literali sensu expertus est : fluctus tui super me transeunt.

In ipsa sua in mare proiectione fatetur se primum interitum suum ac iustam a Deo abiectionem suspicatum esse, quae tamen tristissima apprehensio mox laeta fiducia ac spe excepta sit : v. 5 « *et ego dixi : abiectus sum a conspectu oculorum tuorum ; verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum* » ; — qui *a facie Domini fugere* tentavit, merito timet, ne a tenera Dei cura alienus efficiatur, a favore divino, quo Deus in suos dicitur oculos dirigere et beneficia praestare (cf. Ps. 10, 5 ; 32,

18; 33, 16. 3 Reg. 8, 29. 52; 9, 3 etc.) reiectus ipso munere vitae privetur. Cum mortui iam non sint participes *novorum* beneficiorum Dei, a Dei oculis [1] dicuntur *abscissi* (hebr.), expulsi ab eius conspectu (cf. Is. 38, 11. 18). At dum se adhuc viventem reperiat post ingressum in piscis rictum, statim simul cum vita spem salutis concipit, quam aeque pie ac fortiter confitetur, se scil. denuo templum sanctum visurum, quod laetus se ingressurum spondet gratias agentem, in quod tamquam in rem omnium carissimam statim mentem oculosque convertit. Fidei eius magnitudinem bene praedicat h. l. *Rup.*

Ut est animi commoti et praesenti periculo magnopere perculsi, conditionis suae horrores uberius describit; illis autem oculorum conspectui quasi subiectis eo magis eminet fiducia; v. 6 « *circumdederunt me aquae usque ad animam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum*, v. 7 *ad extrema montium descendi, terrae vectes concluserunt me in aeternum : et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus* »! — *usque ad animam* i. e. vitam ipsam aquae auferrent, ni mira Dei ope continerentur; undique abysso est circumdatus, cum sit in media maria proiectus (v. 4), ergo abyssum habeat supra se et infra se; tertium membrum verte ex hebr. *iuncus* [2] *ligatus capiti meo* i. e. alga marina est capiti meo obvoluta (cf. *Sanct. Lap.*), est quasi fascia capiti meo; pulchre dicitur de Iona qui in fundum maris infra plantas marinas se abiectum et quasi sepultum considerat. Montes radices et fundamenta in ima maria protendere videntur, unde ait *ad extrema montium*... i. e. ad maris fundum, ex quo promontoria exsurgere videntur; inde ad terram ascendere homo iam non valet; quare dicit : vectes terrae esse clausos sibi in aeternum, portas terrae ipsi esse obseratas vectibus, idque in aeternum, cum « non sit remedium subventionis ex parte hominis » (*Alb.*). Hebr. explica : terram quod attinet, vectes eius sunt pone [3] me in aeternum i. e. aditus ad eam mihi est vectibus occlusus. *Et sublevabis* hebr. *et sublevas* vel *sublevasti*, certa enim spe vitae salutisque fulcitur, cum in tanto periculo se vivum conservari a Domino

---

1. Advertit *Rib.* : « abiectus a conspectu oculorum dicitur ille, quem odimus nec videre sustinemus ». Merito notat idem : « cum primum me in tantis periculis vidi, putavi pro mea transgressione mortem mihi imminere a te irato ». Alii minus bene haec in ipsa oratione etiamnunc a Iona cogitari volunt supplentes : « considerans inferiores causas » (*Alb.*) morti traditus sum.

2. Hebr. סוּף *scirpus, alga*, cf. Ex. 2, 3. 5. Is. 19, 6. Inde sinus arabicus alga abundans יַם־סוּף audit. Ex eo nomine orta est rabbinorum fabula, Ionam prope Ioppen devoratum a pisce rapidissimo cursu in sinum arabicum vel mare rubrum vectum fuisse; plura de his commentis invenies apud *Rib. Lap.* simul cum rabbinorum irrisione. Ceterum cf. *Kaulen* ad h. l. p. 43 nota.

3. Ita בְּעַד *pone* cf. Gen. 7, 16. Iud. 3, 22; 9, 51. 2 Reg. 4, 4. 5. 33. Is. 26, 20. Ioel 2, 8.

sentiat; *de corruptione* [1] i. e. quia « in ventre ceti iuxta naturam corporum corrumpi debuerat et in cibos bestiarum proficere ac per venas artusque diffundi » (*S. Hier.*). « Porro quod ait *Domine Deus meus* blandientis affectus est, quod communem Deum omnium beneficii magnitudine suum et quasi proprium senserit Deum » (*S. Hier.*).

Iterato profitetur se mediis in angustiis ac horroribus ad Deum pia mente ac fiducia confugisse; et cum diutius (v. 1) in ventre piscis versaretur, facile coniici potest, eum non obstante spe concepta tamen quandoque angustiarum ac tentationum motibus ac fluctibus fuisse iactatum; quale remedium adhibuerit, docet; nam « non abeunt sanctis tribulationes citra lucrum » (*Theoph.*); v. 8 « *cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum* »; — i. e. « quidquid impossibile videbatur, Domini recordatione superatum est; Domini recordatio mihi saluti fuit iuxta illud: memor fui Domini et delectatus sum . . . non ignorabat propheta ubique Deum exaudire preces supplicum, sed quia templum illud sibi consecrari voluit, ut esset domus orationis, et propitius erat in illo orantibus, cum ibi orare non posset, mente saltem ad illud conversus orat, quemadmodum et sanctus Daniel oraturus faciem vertebat contra Ierusalem » (Dan. 6, 10 — *Rib.*); adde, sanctuarium illud vero Israelitae fuisse carissimum, in quo Deus tot suae benignitatis ac potentiae manifestationes exhibuerit et promiserit, ut oculi et cor ipsius ibi futuri sint cunctis diebus (3 Reg. 9, 3. 2 Par. 7, 15. 16). Insuper natura plane comparatum est, ut libentius ac ferventius ibi Deum adoremus, ubi peculiari ratione suae praesentiae edit documenta; immo ibi debet adorari, ubi nova et singulari ratione se sistit praesentem. Uti igitur David in deserto fugitivus corde et animo ad Dei sanctuarium ferebatur (cf. Ps. 62, 2. 3), ita Ionas in maris profundo; ita postmodum pii Israelitae in exsilio (cf. Ps. 136). — Hebr. *cum deficeret in me anima mea* [2].

Quantam autem ex Dei recordatione hauriat animi laetitiam, constantiam, fortitudinem, a contrario illustrat misera sorte idololatrarum commemorata v. 9 « *qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt* »; — hebr. *qui observant vanitates perniciei* vel *mendacii* i. e. illa quae nihil sunt nisi inania, falsa, iniqua [3], scil. idola, ii « stantem misericordiam et ultro se offerentem sponte propria derelinquunt ...

---

1. Recentiores שַׁחַת vertunt *foveam*; veteres tamen (LXX, *Syrus*, *Chald. Hier.*) *corruptionem*; duae scil. sunt voces (cf. Iob 17, 14), unde *etymologice* utrique verum dicunt; hoc loco vero utrum *logice* sit praeferendum, non video.

2. Uti Ps. 141, 4 *vulg.* habet: *in deficiendo ex me spiritum meum*; Ps. 142, 4 *anxiatus est super me spiritus meus*; in hebr. ubique הִתְעַטֵּף legitur.

3. שָׁוְא cf. Os. 12, 11; vox dicit malum, scelus, vanum etc. *Idola vana* ita quoque vocantur Ier. 18, 15. Ps. 31, 7 (hebr.).

ipsum possumus intelligere Deum » (*S. Hier.* et sim *Theoph.* 3° loco, *Rup. Mar. Men. Kaulen*); ii scil. miseri sunt, quia omnis bonitatis ac miserationis fontem abiiciunt. Ita Deus vocatur *misericordia mea* Ps. 143, 2. Ipse vero huic Deo benigno ac misericordi adhaerere cupit totis praecordiorum affectibus et externa quoque vocis atque operum confessione v. 10 « *ego autem in voce laudis immolabo tibi; quaecumque vovi reddam pro salute Domino* » ; — i. e. cum laeto gratiarum actionis carmine spondet se Deo sacrificia oblaturum et vota nuncupata redditurum; ascendet scil. in templum [1] et vota persolvet, uti Ezechias rex sanitate accepta : « tertio die ascendes templum Domini...; psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitae nostrae in domo Domini » (4 Reg. 20, 5. Is. 38, 20). In hebr. oratio concluditur pulcherrimo epiphonemate, quo per modum exclamationis totam animi fiduciam laete complectitur : *salus penes Iahve* cf. Ps. 3, 9; 117, 14. 21. 28. Hac tessera se consolatur; haec est *lucerna lucens in caliginoso loco*; hac spe per triduum illud angustias animi dispellit. Neque spe sua fallitur v. 11 « *et dixit Dominus pisci; et evomuit Ionam in aridam* » ; — explicat *Cyr.* : « iterum iubetur cetus divina quadam et inexplicabili virtute ad eius nutum ac voluntatem motus; quin etiam ex visceribus prophetam emittit, non sine fructu ex perpessione, quin ex ipsa experientia incitatum magis et probe doctum, periculosum esse Dominicis decretis se opponere ». De loco, ubi eiectus est, varia fabulantur [2]. Sed ad Palaestinae litora eum fuisse redditum, tuto dixeris. — Notat *Theod.* Ionam eo quoque Deo gratias egisse, quod poenas de se sumptas datamque salutem, ut David, literis consignarit, ut non solum aequales sed etiam posteri res ipsius cognoscerent.

CAP. III.

Arg. — « Mittitur Ionas secundo in Niniven neque datum sibi negotium sicut antea detrectat. Qui cum exactis diebus quadraginta evertendam esse Niniven praedicasset, ea consecuta est et conturbatio urbis et vitae mutatio, et poenitentis populi inaudita species edicto regio promulgato, ut paratum ab offenso Domino supplicium a suo capite depulerint » (*Sanct.*).

a) Ionae praedicatio 3, 1-4.

Ionam e mari servatum ad templum ascendisse ibique vota persolvisse opinantur (cf. *Sanct.*). Deus autem misericors, cuius dona sunt sine

---

1. Hoc loco etiam *Kaulen* agnoscit *templum*; ergo non erat ratio, cur in v. 5 explicaret *videre templum* i. e. iterum in Dei gratiam redire.

2. Alii ad Pontum Euxinum, prope Constantinopolim (?), alii ad litora Ninive (?!) prophetam delatum esse volunt cf. apud *Rib. Sanct. Lap.*; iam *Barh.* in unica ad cap. 2 nota necessarium censet advertere, non fuisse eiectum prophetam in vicinitate Assur in Tigride, sicuti quidam dicant.

poenitentia, eum a gratia muneris prophetici et praedicationis officio non reiicit; Ionas vero iuremerito alterum exspectat mandatum, cum vereri potuerit, ne Deus refragantem dignitate illa et missione privaret aliumque magis obedientem sibi nuntium atque legatum deligeret. V. 1 « *Et factum est verbum Domini ad Ionam secundo, dicens :* v. 2 *surge et vade in Niniven civitatem magnam et praedica in ea praedicationem quam ego loquor ad te!* v. 3 *et surrexit Ionas et abiit in Niniven iuxta verbum Domini. Et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum* ». — « Non dicitur prophetae, quare non fecisti quod tibi fuerat imperatum, sed sufficit ei naufragii et devorationis sola correptio, ut qui imperantem non senserat Dominum, intelligeret liberantem » (*S. Hier.*). Hebr. *et Ninive erat urbs magna Domino,* LXX μεγάλη τῷ Θεῷ; idem *Syrus; Chald.* coram Iahve; etiam *S. Hier.* in commentario scribit : « nullique dubium, quare Ninive magna sit civitas Dei, cum mundus et universa per ipsum facta sint ». Aliqui id solum dici volunt, urbem fuisse *vere* permagnam, non solum opinione et fama hominum, sed etiam vere i. e. in conspectu Dei, ad eundem fere modum, quo montes altissimi montes Dei dicantur etc. (cf. *Rib. Sa, Mar. Tir. Kaulen, Trochon*). Melius explicat *Theod.* : « plurimi, inquit, faciebat Deus huius urbis salutem, quippe qui in ea permagnum hominum numerum crearat » (sim. *Theoph.*), et *Theod. M.* : « significat eam divina providentia fuisse auctam, atque ita nos docet, quominus humanum quidquam putemus in gloriam venire posse, nisi id Deus cura sua dignetur ». Urbs illa *Deo, Elohim,* quo nomine Deus mundi rerumque naturalium gubernator ac rector potentissimus praecipue designatur, particulari curae ac providentiae fuisse dicitur, quod iam ex eo elucet, quia prophetam ad illam ablegaverit, id quod nulli alii obvenisse legimus. Habuit enim, uti ex historia sacra colligimus, regnum assyriacum in consilio divinae de genere humano et populo electo dispositionis magnum quoddam et eminens officium et munus : vastum illud imperium a Deo assumebatur ad alias gentes coercendas, castigandas et ut in ipsum regnum israeliticum et iudaicum minister esset divinae iustitiae vindicativae.

Ninive, civitas magna, sita erat ad ripam orientalem Tigridis et propter magnitudinem celebrata; eam multo ampliorem Babylone *Strabo* esse ait (16, 737) et, ut *Diodorus* Siculus ex Ctesia refert, ambitu 480 stadiorum erat insignis. Secundum ea, quae excavationibus factis et ex cuneiformibus inscriptionibus hodiedum noscuntur, ea urbs proprie *Ninive* (Ninua, Nina) vocabatur, quae e regione hodierni *Mosul* sita ea spatia occupabat quae hodie *Kuyundschik* et *Nabiyunus* fere designantur. Sed cum apud Ionam *Ninive* constanter vocetur *civitas magna,* intelligitur, Niniven non *sensu stricto,* verum latiore significatione esse accipiendam. Quid vero ea sibi velit appellatio, discere possumus ut recte *Kaulen*

innuit ex Gen. 10, 12. Eo enim in loco quattuor urbes recensentur Ninive, Rechaboth-Ir, Chale, Resen et enumeratio concluditur : *haec est civitas magna*, unde quattuor urbium complexus nomine isto designabatur. Iam cum *eadem* appellatio apud Ionam constanter cum Ninive coniungatur, dici oportet Niniven illo addito complexum et ambitum designare quattuor illarum urbium [1], qui *itinere trium dierum* accuratius definitur. Urbium illarum ambitum *Jones* Anglus 90 milliariis anglicis constare asserit (cf. *Niebuhr,* Assur und Babel p. 274. 277), quod spatium utique trium dierum itineri aequiparandum est. Et verba textus de ambitu et quasi circuitione urbis, non de longitudine recta linea dimetienda, accipi debere, iam *S. Cyr. Theod. M. Theoph.* docent. Cum verba urbis magnitudinem designent non habita ratione praedicationis, eorum sententia probari nequit, qui volunt, tribus diebus opus fuisse, ut praedicatio per totam urbem fieret (cf. *G. Rawlinson,* The five Monarchies I p. 251). Salmanassar II rex Assyriorum (a. Ch. 860-825) regiam sedem prius habuit in *Ninive* proprie dicta, postmodum in *Chale*, quae urbs, ab Asurnasirhabal patre eius iterum exstructa, regionem hodierni *Nimrud* occupabat. Unde probabile fit, etiam tempore Ionae regiam sedem proprie fuisse in *Chale*, i. e. in parte meridionali *civitatis magnae*. Quare praedicatio Ionae, qui a Palaestina veniens meridionalem partem prius ingressus est, mox ad palatium regium fama perlata est.

V. 4 « *Et coepit Ionas introire in civitatem itinere diei unius et clamavit et dixit : adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur* » ; — « non recta per urbem iter faciens, sed fora, vicos, compita circumiens denuntiabat fore, ut Ninive [2] subvertatur » (*Theod. Theoph.*). Aliter *Kaulen* : ita scil. ut linea urbem dimetiens itinere trium dierum sese extenderit, Ionas igitur recto tramite processisse censendus sit.

b) Ninivitarum poenitentia et salus 3, 5-10.

Ea praedicatio mirando pollebat effectu v. 5 « *Et crediderunt viri Ninivitae in Deum et praedicaverunt ieiunium et vestiti sunt saccis a maiore usque ad minorem;* v. 6 *et pervenit verbum ad regem Ninive et surrexit de solio suo, et abiecit vestimentum a se et indutus est sacco*

---

1. Descriptionem illarum vide : *Iul. Oppert*, Expédition scientifique en Mésopotamie I. p. 287 et seq. simul cum chartis geographicis. Insuper *G. Rawlinson*, The five great Monarchies 2. ed. I p. 248 : « the remains at Khorsabad, Koyunjik, Nimrud and Keremles marked the four corners of this vast quadrangle, which contained an area of 216 square miles — about ten times that of London ». *Khorsabad* nos omittere debemus, cum ea urbs circa an. 710 a Sargon demum exstructa sit. Est pars quam maxime septemtrionalis.

2. Soli LXX habent ἔτι τρεῖς ἡμέραι ; reliqui testes omnes, uti iam *Theod.* adnotat 40 dies xhibent, quem numerum Theod. etiam ex internis rationibus verum esse censet ; lectionem LXX a scribis depravatam esse opinatur. Mirum est, quantum haec diversitas ingenia hominum vexarit ; cf. S. Augustin. Civ. D. 18, 44 ; *M.* 41, 605. *Rib. Lap.*

et sedit in cinere ». — Ninivitae certe non plane ignari erant mirae illius potestatis, qua Deus Israelitarum et suis servis assistebat et inimicos prosternebat. Si igitur propheta talis Dei subito atque intrepide inter eos apparet, eorum scelera acriter reprehendit et fortitudine plus quam humana et omni timore longe superior omnique certitudinis pondere certum denuntiat interitum, quem propter enormia scelera se meruisse scelerati ipsi conscientiae voce ac remorsibus in immensum clamantibus negare omnino non possunt, adeo difficile non erit explicare, cur tanti animorum motus sint excitati. Adde, quod praecipuum est, prophetae vocem divino animatam ac roboratam spiritu (*Sanct.*); « internam Dei illuminationem ac inspirationem, quae animos illorum commovit ad credendum; iuvit gravitas, prudentia, pietas, abstinentia et sanctitas Ionae, quae plane ostendebat Ionam non esse fatuum, non levem, non mendacem, sed virum serium, prudentem, pium ac fide dignum » (*Lap.*); adde, Assyrios, quippe qui magis atque vatibus plurimam fidem adhiberent omnesque vitae rationes multiplici divinationum et praesagiorum genere perscrutarentur, dirigerent, eo ipso pronos fuisse et assuetos, ut prophetae affirmationi aures praeberent; adde, quod *Theod. M.* haud incongrue notat: « exploratum est, prophetam et Dei meminisse omnium Domini et se missum ab eo confirmasse et praeconium exitii fecisse atque ad poenitentiam esse adhortatum, quarum rerum notitia imbuti merito dicti sunt credidisse Deo ». Demum perpende [1], quantopere propria conscientia eos accusare et condemnare debuerit et si Ionas tam validum interpretem in ipsis invenerit, quid hominis eloquentia virtute suffulta efficere potuisse censenda sit?

Quam communis fuerit in omni ordine animorum commotio, indicatur: *a magno eorum usque ad parvum eorum* (hebr.); i. è. « illustres et obscuri, optimates et plebeii, divitiis et deliciis affluentes et sub paupertatis onere laborantes » (*Cyr.*). Signa edunt poenitentiae sincerae; « dignus et victus et habitus poenitentiae, ut qui offenderant Deum luxu et ambitione, eorum damnatione placent, per quae prius offenderant. Saccus et ieiunium arma sunt poenitentiae, auxilia peccatorum; ante ieiunium et sic saccus; ante quod occultum est, et postea quod palam; hoc semper Deo, illud interdum exhibetur et hominibus » (*S. Hier.*). — Rex quoque regium ornamentum deposuit, *pallium pretiosum* (hebr. אַדֶּרֶת cf. Ios. 7, 21. 24) a se removit, poenitentis habitum et conditionem assumpsit omnesque edicto regio ad poenitentiam adegit: v. 7 « *et cla-*

---

1. Alii opinantur, adfuisse nautas et testificatos esse, Ionam ab ipsis in mare proiectum miraculo esse servatum etc. et ita fidem esse eius praedicationi conciliatam. Ita iam David *Kimchi* quem Kaulen allegat; cf. *Sanct. Lap. Trochon.*

mavit et dixit in Ninive ex ore regis et principum eius, dicens: homines et iumenta et boves et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant; v. 8 *et operiantur saccis homines et iumenta et clament ad Dominum in fortitudine; et convertatur vir a via sua mala et ab iniquitate, quae est in manibus eorum* »; — hebr. *et proclamare iussit et dixit in Ninive ex mandato regis et magnatum eius* i. e. per praecones decretum [1] regis a regio consilio magnatum propositum publice promulgatum est. Uti animalia in sollemnitatibus laetis ornantur et festiva pompa incedunt, uti in pompis funebribus etiam equi luctus insignia gerere solent [2], ita pariter absurdum non est, si in communi luctu et poenitentia etiam domesticis animalibus propter magnam illam ad homines habitudinem afflictio et ieiunium imponatur. Forte id etiam adverti potest, maiorem esse orientalibus familiaritatem et quasi vitae societatem cum iumentis — cogita 2 Reg. 12, 3 vel Arabes cum equis suis et camelis familiariter agentes —, quare illa arcte cum hominis vita sorteque coniuncta eventuum et laetorum et tristium societatem ineunt. Hac iumentorum inedia Assyrios excellentiam et magnitudinem poenitentiae demonstrasse aliqui volunt (*Cyr. Theoph. Rib.*), alii id factum esse censent, « ut his fame pressis et partim mugientibus partim balantibus, et suam singulis vocem promentibus ferventiores lacrimas homines funderent » (*Theod.*), ut eorum quoque miseria dolor hominum augeretur et communi omnium tristitia et moerore homines ad maiorem et acriorem luctum incitarentur; vel « ut mugitu, balatu atque rugitu lugubri suam Domino famem et dolorem ostenderent, quae cum nihil unquam in Deum peccavissent, illius averterent furorem et in homines scelerum reos divinam misericordiam provocarent » (*Sanct.*) eius scil., « qui dat iumentis escam et pullis corvorum invocantibus eum », ad quem ipsae bestiae imbrem exspectantes suspicere dicuntur (cf. Ioel 1, 20. Iob 39, 3. Ps. 103, 21; 146, 9), et cuius effatum est: « novit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia » (Prov. 12, 10). Aliam [3] rationem *Alb.* assignat, « ne homines in pascendis animalibus occupati a luctu poenitentiae retrahantur ». Ratio quam maxime obvia esse videtur, ut *generali* luctu et afflictione ipsi homines

---

1. Hebr. טַעַם cf. Dan. 3, 10. 29: haec vox apud Assyrios frequenter in usu est de regio mandato et in *terminum technicum* abiisse videtur; vox ipsa ex lingua *accadica* in assyriacam migravit et ex locis parallelis etc. significatio eius propria est: verbum bonum (i. e. a superiore procedens) quod mittitur; cf. *Strassmaier*, Verzeichniss der akkadischen und assyr. Woerter p. 443 n. 3490.

2. Varia ex veteribus vide apud *Sanct. Lap. Calm. Kaulen.*

3. Aliis tam mirum visum est animalia quoque ad poenitentiae labores adhiberi, ut *iumenta, boves, pecora*, homines efferos ac stupidos sint interpretati (*Rup. Haimo*); cuius explicationis iam meminit *Cyr.*, *Theoph.*, *Iarchi* (apud *Kaulen*).

magis tangantur et numen divinum placetur. In quem finem etiam infantium ieiunium optime inservit. Movet enim eorum aspectus homines eisque culpae magnitudinem, cui tanta imposita sit a maioribus poena, vivide ob oculos ponit; insuper innocentium ploratus et eiulatus quam maxime efficax censetur ad numen divinum placandum et miseratione emolliendum (cf. *Sanct.*).

Istis operibus iubet edictum regium addi clamores validos, preces ardentes et seriam vitae emendationem, vitiorum correctionem, oppressionis et iniustitiae retractationem et amotionem. Pulcherrimum sane verae poenitentiae eiusque affectuum exemplum! Bene monet *Kaulen*, duo praesertim peccata ex regio decreto colligi, impudicitiam et avaritiam (cf. Gen. 6, 12. Amos 3, 10).

Hisce vero sperari posse regio edicto edicitur sententiae divinae immutationem v. 9 « *quis scit, si convertatur et ignoscat Deus et revertatur a furore irae suae et non peribimus* »? — cf. Ioel 2, 14; « ideo ambiguum ponitur et incertum, ut dum homines dubii sunt de salute, fortius agant poenitentiam et magis ad misericordiam provocent Deum » (*S. Hier.*); insuper Deus nullo pacto tenetur poenitentiam ita suscipere, ut praeter culpam peccati etiam poenam temporalem condonet. — Hac poenitentiae promptitudine laudem eam consecuti sunt, quam Christus eis in Iudaeorum condemnationem et confusionem tribuit Matth. 12, 40 et quam veteres multis explicant [1].

Neque spes fefellit; v. 10 « *et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala; et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit* »; — i. e. super malum [2] quod locutus fuerat; « quia mavult poenitentiam peccatoris quam mortem, libenter mutavit sententiam, quia vidit opera mutata. Quin potius Deus perseveravit in proposito suo misereri volens ab initio, nemo enim punire desiderans, quod facturus est, comminatur » (*S. Hier.*) i. e. si absolute voluisset punire Ninivitas, praeconem ruinae non misisset. Ipsis minis intentis eos ad poenitentiam provocavit, ut bene *Theod.* notat: « quoniam sola salute gaudet, minatur tristia ne tristia invehat ». *Opera* quae vidit Deus, bene recenset *Estius* ad h. l.: fides (v. 5 *et crediderunt*); deinde conversio a peccatis ad iustitiam (v. 8), tertio oratio quae est signum fiduciae in Deum (v. 8), quarto poenitentiae opera et afflictiones corporales (v. 5).

Solent h. l. vel iam ad v. 4 quaerere interpretes, quomodo verum

---

1. Cf. *Ephr.* inter sermones exeget. operum t. II p. 359 et seq. — ed. P. P. Benedictus S. I. Romae 1740. *Cyr.* ad h. l. *Lap.* etc.

2. Hoc sensu *malitia* i. e. molestia, calamitas etiam adhibetur Is. 40, 2; monet *S. Hier.*: « malitiam, ut supra diximus, pro suppliciis et tormentis accipe ».

fuerit Ionae vaticinium : *adhuc 40 dies et Ninive subvertetur*. Omitto responsa mystica et subtiliora [1], quae vide si vacat apud *Rib.* — Breviter et optime iam respondet *Alb.* allegans Ier. 18, 7 : « repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud ; si poenitentiam egerit gens illa a malo suo . . . agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei ». Sunt igitur vaticinia, quae *absolute* videntur esse secundum formam pronuntiata, verum ex ipso argumento *conditionata* cernuntur. Et eiusmodi esse poenarum interminationes *frequenter*, ex rei natura, ex minantis Dei misericordia, ex variis exemplis S. Scripturae facile colligitur (cf. Ez. 33, 4. 5. 13. 14. — *S. Thom.* 2, 2 qu. 174 art. 1. *Suarez* de fide disp. 8 sect. 4. n. 8). Ita posse ea intelligi, sermonis humani usus suadet ; quare etiam Ninivitae spem in poenitentia collocabant ; neque Ionae talis significatio erat ignota ; nam quia illam bene sciebat et ne eventus ex illa contingeret optabat, idcirco primo fugam arripuit (4, 2). Vide ad Ioel 2, 1. 19.

CAP. IV.

ARG. — Dolet Ionas a Deo misericorde parci Ninivitis mortemque sibi fastidio et ira victus exoptat. Primo leniter eum Deus increpat (4, 1 - 4). Urbem egressus, quid ei futurum sit praestolatur in umbraculo. Privatus illius umbra et solis aestu perculsus denuo mortem sibi efflagitat (4, 5 - 8). Reprehenditur a Domino, quod unius interitum arbusculae doleat ac tot hominum immo infantium innocentium excidium nihil reputaverit (4, 9 - 11).

a) **Irascitur Ionas 4, 1 - 4.**

Diebus praestitutis elapsis cum nihil mali coelitus accideret urbi, Ionas aegre ferens Dei cum civitate inimica et Israelitis infensa misericordiam in querelas prorupit : v. 1 « *Et afflictus est Ionas afflictione magna et iratus est ;* v. 2 *et oravit ad Dominum et dixit : obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc praeoccupavi ut fugerem in Tharsis; scio enim, quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multae miserationis et ignoscens super malitia* » ; — hebr. ad verbum : *et male fuit Ionae malo magno* i. e. vehementer ei molestum fuit, gravissime tulit, id scil. quod 3,10

1. Subtilior certe etiam ratio mystica est, quam *S. Augustinus* affert : vaticinium esse impletum, nam Niniven esse subversam *spiritualiter* intra illos 40 dies et *eversam* quoad malitiam ; cf. serm. 361, 21. *M.* 39, 1610 ; cf. etiam de Civ. D. 18, 43.

refertur, parci urbi. Cur ea Domini clementia ei adeo displicuerit, *S. Hier.* causam affert, non quod gentium multitudini salutem inviderit, sed quod videns conversionem gentium de salute Israelis desperaverit (cf. Deut. 32, 31 — sim. *Haimo*, *Rup. Kaulen, Trochon*). At non deprehenditur, qualem nexum inter Ninivitarum conversionem et reprobationem Iudaeorum eo iam tempore propheta intercedere putaverit. Probabilior est aliorum sententia, Ionam extimuisse, ne de sua auctoritate actum esset, ne falsitatis testis, mendax ac praestigiator haberetur (*Cyr.*[1] *Theod. Theod. M. Theoph. Alb. Sanct. Lap. Mar. Sa, Tir.*), vel ne Dei sui gloria propter vaticinium non impletum detrimentum caperet (sim. *Alb. Schegg*). At re accuratius perpensa etiam haec explicatio non potest probari. Nam, uti 3,9 ostendit, Ninivitae sperabant ruinam posse averti poenitentia. Quare cum tanto studio opera poenitentiae subirent, nullo modo credi potest, illos vel Domino vel prophetae vitio vertere velle, si ruina non evenerit. Sed dices : etsi Ninivitae id non essent facturi, Ionas tamen tale detrimentum timere potuit et aegre ferre, quod vaticinium adeo determinate promulgatum eventu careret. Concedo equidem haec non sine probabilitate dici. At si ipsa verba Ionae perpenderis apparet, Ionam statim ab initio rite intellexisse, tale vaticinium non semper et ubique debere impleri, immo eum probe perspexisse, Deum qua sit clementia ruinam aversurum, simulac poenitentiae indicia viderit. Haec enim de Deo opinio causa fuit, cur fugam arripere conatus sit. Tali autem clementia Dei honorem Dei vel existimationem prophetae in periculum vocari, Ionas nullibi prodit. Praeterea ea quae a Domino fit correptio (v. 10) Ionam in eo peccasse ostendit, quod ex animo in Ninivitas offenso eorum ruinam et interitum exoptarit. Aegre igitur tulit, quod inimicis populi sui, qui Israelitis iam clades intulerant, a Domino parceretur. Ideo fugit, ne ipsa sua praedicatione eos interitui eriperet. Hanc mentem verbis suis querulosis aperit : se suspicatum esse, rem ita eventuram, sicuti nunc factum est : scil. fore, ut Ninivitae ea annuntiatione terrore perculsi ad preces et obsecrationes confugiant, quo facto Deus parcat ; quare mandato Dei se subtrahere voluit. *Numquid non hoc est verbum meum* i. e. nonne ita mecum ratiocinatus sum, uti nunc accidit ? LXX sensum rite exprimunt ; nonne hi erant sermones, (vel hae rationes), quos locutus sum (scil. apud me) οὐχ οὗτοι οἱ λόγοι;

Adnotat *S. Hier.* : « hoc quod nos interpretati sumus *obsecro* et LXX transtulerunt ὦ δή, in hebr. legitur אנה, quae mihi videtur interiectio deprecantis significare blandientis affectum. Quia igitur oratio eius, dum se dicit iuste fugere voluisse, quodammodo iniustitiae arguit Dominum, querelas suas obsecrationis

1. In prooemio ad Ionam *Cyr.* tamen scribit : « cepit autem dolorem non modicum, ubi Deus Ninivitarum misertus est » ; sim. *Theoph.* in *argumento*.

exordio temperat. Scivi te hoc esse facturum : non ignorabam misericordem, propterea severum et truculentum nuntiare nolebam ».

Quod autem id non evenit, quod ipse et annuntiavit et ut fieret exoptavit, animum prophetae tanto implet fastidio, ut ipsum taedeat vitae v. 3 « *et nunc Domine, tolle quaeso animam meam a me; quia melior est mihi mors quam vita* »; — merito *S. Cyr.* pusillanimitatem prophetae h. l. accusat et : « orans mortem in praesens, de oeconomia et providentia divina propemodum non leviter conqueritur; quae res periculo non caret et mentem sanctam haud decet ». Sed ne durius de Iona iudices [1], veteris foederis tempora et imperfectionem recogita. Dein Ionas praecipitis indolis fuisse videtur; id iam ex fugae consilio satis colligitur; talium autem hominum est, sicuti facilius successu efferuntur et ad immodicam laetitiam proni sunt, ita eventu contrario nimium deiici et statim in desperationem agi, quia quaecumque illis adversantur, nimia iudicii exaggeratione et immoderantia quadam percipere solent.

Blande et leniter revocare studet Deus prophetam ab animi impatientia et ira impote v. 4 « *et dixit Dominus : putasne bene irasceris tu* »? — i. e. an tu rationabiliter irasceris (*Alb.*)? Studet eum inducere, ut ipse de se iudicet et agendi modum ex rationis ac pietatis norma perpendat nimia animi irati commotione abiecta (cf. *Rib.*). Eam animi tractandi artem bene expendit *S. Hier.* : « et rationabiliter non ei dicit : male iratus es, vel contristatus es, ne videretur reprehendere contristatum; nec rursum : bene iratus es aut contristatus; ne suae sententiae contrairet; sed interrogat ipsum, qui iratus est et contristatus, ut vel causas irae respondeat vel moeroris, aut si ille tacuerit, verum Dei iudicium ex eius silentio comprobetur ».

LXX ferunt : εἰ σφόδρα λελύπησαι σύ; notat *Theod.* : « clarius hoc *Sym.* interpretatus est; dixit enim : ἆρα δικαίως ἐλυπήθης; ceteri vero dixerunt : εἰ καλῶς ἐλυπήθης; h. e. considera tecum num iustas tristitiae occasiones habeas? Et hoc quidem loco iubet eum ratiocinando invenire tristitiae consolationem; in fine vero prophetiae et non iustam eius tristitiam arguit et sententiae suae probabilem rationem ostendit ». Cf. etiam cod. syr. hexapl. ad h. l.

b) Edocetur Ionas 4, 5-11.

Ionas tacet. Non audet affirmare, se bene irasci; sed ex ipsa hac interrogatione spem novam concipit fore, ut aliqua saltem castigatio urbi infligatur. Illa enim interrogatio etiam in eum sensum accipi potest : num recte irasceris, quia non *statim* ruina sequitur? num propterea

1. Insuper recogita, idem flagitasse a Deo Eliam 3 Reg. 19, 4.

potes concludere, iam nullo supplicii genere urbem esse castigandam? num tu omnia mea puniendi consilia perspecta habes? nonne ante tempus te irae committis? Atque hoc sensu [1] Ionas quaestionem est interpretatus, id quod elucet ex eo, quia saltem aliquid infortunii urbi eventurum nunc exspectat : v. 5 « *Et egressus est Ionas de civitate et sedit contra orientem civitatis et fecit sibimet umbraculum ibi et sedebat subter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati* » ; — sperabat enim Deum saltem aliquam plagam inflicturum (cf. *Cyr. Theod. M. Lap.*) vel Ninivitas mox bene incepti immemores fore et ita poenam incursuros (cf. *Kaulen*). — At Deus clementissimus aptissimum ad morbi naturam et aegrotantis affectum seligit remedium (cf. *Sanct.*) ; v. 6 « *et praeparavit Dominus Deus hederam ; et ascendit super caput Ionae, ut esset umbra super caput eius et protegeret eum ; laboraverat enim. Et laetatus est Ionas super hedera laetitia magna* » ; — hebr. *ut liberaret eum a malo suo* ; id quod *S. Hier.* de aestu solis explicavit ; sed nil obstat, quominus scopum indicari dicamus, ad quem Dominus plantam adhibere voluit, ut scil. Ionas a mala animi affectione, a morbo animi curaretur. Verba ipsa hanc explicationem omnino suadent (*Schegg*). De planta ita disserit *S. Hier.* : « pro *cucurbita* [2] sive *hedera* in hebr. legimus *ciccion* . . . est autem genus virgulti vel arbusculae, lata habens folia in modum pampini et umbram densissimam, suo trunco se sustinens, quae in Palaestina creberrime nascitur et maxime in arenosis locis ; mirumque in modum, si sementem in terram ieceris, cito confota surgit in arborem et intra paucos dies quam herbam videras arbusculam suspicis » [3]. Recentiores fere consentiunt, intelligi *ricinum*, vel *palmam Christi* (cf. *Calm. Schegg, Kaulen, Keil, Trochon*) et multa sunt in ricino, quae τῷ Kikaion bene conveniant, velut crescendi celeritas, altitudo arbusculae, foliorum magnitudo umbram densam praebens (*Ges.* Thes. p. 1214 ; *Fillion* l. c. p. 16). Ionas de illa planta valde *laetatur*, cum opportunam ei offerat umbram et commodam habitationem. « Perpende

---

1. Hunc nexum qui non attendunt, v. 5 et seq. praepostere esse collocatos vel narrationem nunc institui earum rerum putant, quae factae sint *ante* afflictionem illam et iram, de qua sermo fit 4, 1 ; cf. *Theod. Hitz.*

2. LXX enim vertunt κολοκύνθην. *Aq.* et *Theod.* feruntur vertisse κυκεῶνα (cf. *M.* 16 c, 2975). *S. Hier.* vero dicit : « secuti sumus veteres translatores, qui et ipsi hederam interpretati sunt, quae graece appellatur κισσός ; aliud enim quod dicerent non habebant ». De *Sym.* cf. cod. syr. hexapl. p. 214. 547. *Syrus* exprimit *cucurbitam*, vel saltem eandem plantam, quam Syrus hexapl. ex graeco transtulit. *Chald.* ipsam vocem hebr. refert.

3. Pergit *S. Hier.* : « unde et nos eodem tempore quo interpretabamur prophetas, voluimus idipsum hebraeae linguae nomen exprimere, quia sermo latinus hanc speciem arboris non habebat ; sed timuimus grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi et vel bestias Indiae vel montes Boeotiae aut istius modi quaedam portenta confingerent, secutique sumus veteres translatores ». — De turbis olim excitatis, cum pro *cucurbita* veteris translationis *hedera* novae versionis legeretur, vide *M.* 22, 833. 952.

etiam hinc simplicitatem et candorem animi eius; tristitiam cepit magnam, quia quae vaticinatus fuerat re ipsa non eveniebant; rursum gaudio magno super olere et herba perfusus est. Mens innocens et ad dolorem et ad hilaritatem flexilis est » (*Cyr.*). Accedit alia gaudii ratio, quam *Sanct.* tangit. In miro enim isto incremento quasi pignus videt sui voti : « gaudebat etiam quod putaret voto suo responsurum esse Deum, quod coniectabat ex eo non fuisse repudiatum, quod ipsi tam promptum tamque opportunum umbraculum praeter omnem exspectationem praebuisset » (*Sanct.*).

Verum aliter res cessit; v. 7 « *et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum et percussit hederam et exaruit.* v. 8 *Et cum ortus fuisset sol, praecepit Dominus vento calido et urenti et percussit sol super caput Ionae et aestuabat; et petivit animae suae ut moreretur et dixit: melius est mihi mori quam vivere* »;— in hebr. *et paravit* (immisit) *Elohim* — hoc enim nomine Deus rerum naturalium creator ac gubernator vocari solet; quare etiam v. 6 in hebr. Iahve Elohim et v. 7 Elohim, quo nomine quoque eius ad Ninivitas habitudo designatur; cf. 3, 5. 10 — in hebr. proprie *ventum silentem* i. e. quietum, quo solis aestus magis sentitur; ventus *orientalis* est urens; LXX προςέταξεν κύριος ὁ θεὸς πνεύματι καύσωνος συγκαίοντι. Quo vento calido ita percussus est Ionas, ut *animo deficeret* (hebr.). De verme confer quae narrant, calidioribus diebus tenui cadente pluvia, in ricino generari erucas nigras magna multitudine, eius folia per unam noctem subito depascentes, ut nudae modo costae supersint (cf. *Ges.* l. c.). Quare tota ista narratio ad rerum naturalium eventus plane est conformata. Ionas autem animi taedio quod leviusculae rei amissione experitur, denuo prodit praecipitem atque inconstantem animi indolem.

V. 9 « *Et dixit Dominus ad Ionam: putasne, bene irasceris tu super hedera? et dixit: bene irascor ego usque ad mortem* »; — parva scil. consolatione spoliatus statim denuo animum despondet et ira et acrimonia victus contra Dominum non sine murmure ius suum quod laesum putat, tuetur. Bene *Calm.* : « vides hinc vividam, acrem, subitamque Ionae naturam ».

At hac ipsa querela impotenti suam ipse pronuntiavit et confirmavit condemnationem: v. 10 « *et dixit Dominus: tu doles super hederam, in qua non laborasti neque fecisti ut cresceret, quae sub una nocte nata est et sub una nocte periit;* v. 11 *et ego non parcam Ninive civitati magnae, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram et sinistram suam et iumenta multa* » ? — Ionas suo ipsius affectu captus et convictus est. « Te, inquit Deus, utar iudice; considera itaque an aequum sit te quidem ob cucurbitam dolere, cuius colonus non fuisti, me autem tantae urbi non parcere, quae a me condita

est » (*Theod. Theoph.*) ; « si enim tu tristaris, immo extrema aegritudine conficeris, quia tibi stirps emarcuit, quomodo ego populosissimae urbis... rationem nullam habeam? ... re parva igitur tantopere contristatus benignitatem divinam, si illustrissimis civitatibus et innumerabilium incolarum plenis clementer ignoscere velit, amplius ne accuset » (*Cyr.* sim. *Sanct.*). Quare Deus, ut hoc argumentum [1] magis constringat prophetam, illorum mentionem facit, qui nihil peccarunt, quia nondum usum habebant rationis ; « nam sine ulla contradictione maius est homo unus, immo et iumentum unum anima et sensu vigens, quam 120 millia hederarum vel cucurbitarum ... at ille super ariditate unius hederae magis irascebatur, quam super eversionem doleret si evenisset secundum suam prophetiam 120 millium hominum multorumque iumentorum, et qui irascebatur non servari sibi hederam, in qua ipse non laboraverat, aequanimiter tulisset, ut subverteret Deus tot homines totque iumenta quae creaverat » (*Rup.*). Ignorant, *quid sit inter dexteram et sinistram*, « propter innocentiam et simplicitatem, ut lactentem monstret aetatem, et relinquat intellectui, quantus sit numerus aetatis alterius, cum tantus sit parvulorum » (*S.Hier.*) ; ita infantilis aetas, rationis nondum compos, describitur, uti ex Deut. 1, 39. Is. 7, 16 ; 8, 4 colligi potest et fere omnes interpretes agnoscunt (*cf. Cyr. Theod. Theod. M. Theoph. Alb. Rib. Sanct. Schegg, Kaulen* etc.).

Intra quos annos numerus iste parvulorum contineatur, aliqui quaerunt. *Keil* parvulos non posse rite et certe discernere inter dexteram et sinistram nisi *septimo* aetatis anno expleto opinatur, sed in hac re certe hallucinatur, cum iam in nostris parvulis licet sub frigidiore coelo spirent, maior intelligentiae vis deprehendatur. Si annos aetatis intellexeris usque ad quartum, fortasse recte computabis. Inde quoque coniicere licet incolarum numerum ; alii eo numero ducentas myriades incolarum (2 milliones) colligunt ; alii multo minus, sexcenta millia, cum pueri plerumque quinta pars hominum sint, qui civitatem componunt (*Calm. Keil, Trochon*).

« Quia vero etiam iumenta nominat parcendumque illis existimat, hoc quoque ex bonitate magna proficiscitur. Si enim iustus ipsorum iumentorum animas miseratur atque hoc etiam ad laudem eius facit, quid mirabile, si ipse universorum Deus parcit et miseretur etiam eorum » (*Cyr.*)? Narratio abrupte concluditur. Sed facile intelligitur, Ionam argumentum *ad hominem* percepisse, magno pudore erubuisse, Deum misericordem adorasse et secundum eius misericordiam etiam sui animi

---

1. Bene *Alb.* : « arguit hic a minore Dominus : quia si Ionas rationabiliter dolet de amissione parvi, rationabilius est Deum dolere de amissione magni . . . ego cuius natura est bonitas, substantia dulcedo, proprium misereri et parcere, nonne parcere debeo etc. ».

erga gentes affectus composuisse : « misereris omnium quia omnia potes et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam ; diligis enim omnia quae sunt et nihil odisti eorum quae fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti » (Sap. 11, 24. 25). « Hoc summi Dei responsum si tacita mente recogito, nescio, magisne inenarrabilem patris clementiam, an immensam moderatoris sapientiam adorem. Quis enim non agnoscat, hoc loco rerum omnium Dominum misericordiam sibi tamquam peculiarem numinis sui proprietatem vindicare ! De sapientia autem quid dicam ? Contemplare, quomodo universa Ionae actio his prudentissime dictis diiudicetur » (*Kaulen* p. 77).

MICHAEAS

PROLEGOMENA

De propheta eiusque libro.

Erat Michaeas [1] propheta oriundus ex Morescheth, vel, ut *S. Hier.* scribit (secutus Μωρασθεί? LXX) « Morasthi [2], qui usque hodie iuxta Eleutheropolim urbem Palaestinae haud grandis est viculus », unde sortitus est cognomen Morasthites, quo simul ab aliis distinguitur, quibus nomen Michaeae inditum erat.

Munere functus est prophetico *in diebus Ioathan, Achaz et Ezechiae* (1, 1); igitur aequalis Isaiae prophetae, quocum in eandem morum corruptionem invehitur (cf. 2, 11 et Is. 28, 7; 3, 2-11 et Is. 3, 12; 5, 11. 20. 23; 29, 9-12; Mich. 6, 6-8 et Is. 1, 11 etc.). Ioathan rex quidem « fecit quod erat placitum coram Domino » (4 Reg. 15, 34), verum populus « adhuc delinquebat » (2 Par. 27, 2); quae scelerum colluvies Achaz impii regis exemplo et idololatria in immensum aucta est; Achaz enim

---

1. Nomen hoc satis frequens est in V. T. cf. Iud. 17, 4. 3 Reg. 22, 8 seq. et 2 Par. 18, 7 seq. Michaeas filius Iemla, propheta; 2 Par. 17, 7 unus de principibus, quos misit Iosaphat ad erudiendum populum; 1 Par. 8, 34. 4 Reg. 22, 12 et 2 Par. 34, 20. 1 Par. 5, 5. 1 Par. 9, 15 et Neh. 11, 17. 1 Par. 23, 20. Iudith 6, 11. Ier. 36, 11. Neque semper eadem ratione scribitur nomen, modo enim forma pleniore, modo contracta effertur. Ita idem qui 2 Par. 34, 20 מִיכָה vocatur, 4 Reg. 22, 12 מִיכָיָה effertur; vel idem qui Iud. 17, 1. 4 מִיכָיְהוּ nominatur, statim v. 8. 10. 12 מִיכָה dicitur, et idem advertes, si ex una parte 2 Par. 18, 7. 12. 13. 23. 24. 25. 27 et ex altera consideraveris 2 Par. 18, 14. — Propheta noster apud Ier. 26, 18 מיכיה vocatur secundum *Kethib*, secundum *Qeri* מיכה. Elucet significatio ex forma pleniore: *quis sicut Iahve*? et virum dicit, qui rerum omnium Domino, cuius excellentia infinite omnia excedat, consecratus sit. — LXX Michaeam τὸν τοῦ Μωρασθεί exhibent; sed iam *Cyr.* adnotat: « sciendum Hebraeos pro Morasthae Morasthiten scripsisse, quasi non a patre, sed a loco nominetur; aiunt quippe Morasthi urbem seu oppidulum Iudaeae fuisse. Huic editioni et alii quoque interpretes assentiuntur »; sim. *Theoph.* Nomen Michaeae S. *Hier.* interpretatur *humilitatem*, verbum מָכַךְ vel מוּךְ (cf. Lev. 25, 25. 35. Ps. 106, 43. Eccl. 10, 18) sine dubio ob oculos habens; eam interpretationem multi, etiam *Theoph.* adoptarunt; veram iam proponit *Lap.*

2. In prologo ad com. — cf. ep. 108, 14; « ut videam Morasthim, sepulcrum quondam Michaeae prophetae, nunc ecclesiam » (*M.* 22, 829).

ambulavit in via regum Israel et deos alienos multo cum studio coluit (cf. 4 Reg. 16, 3-18. 2 Par. 28, 2 seq.). Quare eius tempora potissimum reprehendit Michaeas, dum dicit « et custodisti praecepta Amri et omne opus domus Achab et ambulasti in voluntatibus eorum » (6, 16). Eum tempore quoque Ezechiae vaticinatum esse, praeter libri inscriptionem ex Ier. 26, 18 seq. discimus; siquidem tempore Ieremiae animis seniorum alte insedit, quod urbem iri destructum etiam rege Ezechia praedixerat[1].

Argumenti prophetici summam et vim Michaeas literis consignavit ea brevi complexus, quae muneris rationem secutus per multos annos populum docuerat. *Tria* pro temporum conditione proponit : scelera reprehendit, annuntiat iudicia divina et punitiones, reparationem et salutem messianicam vaticinatur. Atque horum singula *tribus* orationibus eadem formula distinctis (*audite* 1, 2 ; 3, 1 ; 6, 1) magis magisque declarat.

Et in prima quidem oratione Dominum exhibet plenum maiestate ac potentia ad iudicium progredientem propter peccata Samariae et Ierusalem i. e. utriusque regni, quod ruina et vastitate percutiendum hostibusque tradendum sit. Non sine ingenti dolore prophetico spiritu cladem longe lateque per Iudaeam serpentem cernit, quam multiplici paronomasia usus variis oppidorum nominibus memoriae causa affigit. Talem vero calamitatem meriti sunt propter peccata et multiplicem iniustitiae malitiam. Verum Deus populum suum reducet ex exsilio (cp. 1 et 2).

In altera oratione primo crimina principum, pseudoprophetarum, sacerdotum accuratius perstringit poenamque declarat : *propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur et Ierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum* (3, 12). Ruinae subiungit instaurationem messianicam et gloriosam, ita ut triplici calamitati triplex instaurationis modus comparetur : *mons* domus Domini sublimis erit ; ad eum confluent omnes gentes, indeque doctrinam, sanctitatem, pacem, beatitatem haurient ; *Ierusalem* populorum copia abundabit ; ad *Sion* revertetur potestas regia. Sed antequam ad tale gloriae ac salutis fastigium perveniatur, variae calamitates subeundae erunt et persecutiones et oppressiones, donec venturus sit dominator in Israel, oriundus ex Bethlehem, qui et hostes superabit et suos summa felicitate ac pace donabit (cp. 3 - 5). — Uti in hac oratione omnium ordinum peccata distinctius enumerantur, ita exitium quoque imminens accuratius et fere per singula supplicia delineatur atque instauratio messianica illustrius, uberius, splendidius praedicitur.

---

1. Varia sed satis fabulosa de vate nostro leguntur in vitis prophetarum apud *Ps. Epiphanium* l. c. De inventione reliquiarum eius et Habacuc prophetae narrant *Sozomenus*, hist. eccl. 7, 29 ; *Cassiodorus*, hist. tripart. 9, 49 ; *Theophanes*, chronograph. ad an. 385 ; *Nicephorus*, hist. eccl. 12, 48 (*M*. gr. 67, 1505 ; 108, 209 ; 146, 916. *M*. lat. 69, 1161 .

In tertia demum oratione scena quasi forensi instructa testibusque advocatis Dominus disceptationem init cum populo, quem beneficiis recensitis stupendae ingratitudinis convincit. Propheta nomine populi se imparem profitetur ad talia beneficia rependenda; quare Deus normam aperit, qua gratus animus sit probandus. A qua norma cum populus absit longissime, utpote fraudi et avaritiae et cognatis sceleribus implicitus, grave denuntiatur ab hoste barbaro supplicium et summa quaedam vastitas, qua humana omnia corruent et omnia vincula socialia et domestica rumpentur. Tali calamitate oppressis una remanet spes in solo Deo figenda, spes scil. instaurationis, quae in eo consistit, ut urbe restituta et gentium separatione sublata omnes ad Sion accedant. Dum hostium et contumacium regio conculcationi traditur, populus Dei i. e. grex Domini omni pascitur securitate et abundantia et mira Dei protectione sospitatur, ita ut gentes haec Dei mirabilia cernentes admiratione et stupore afficiantur. — Concludit propheta precatione indolem regni messianici praeclare describens, quae peccatorum deletione, largitione gratiae et veritatis continetur (cp. 6 et 7). — Peccata in prioribus reprehensa iam acrius hac oratione perstringuntur facta oppositione divinorum beneficiorum et mentione iniecta, quam frustra immissae fuerint priores castigationes. Exitium vero imminens in illa societatis humanae ac familiae dissolutione proposita novo quodam modo depingitur; via autem ad instaurationem clarius docetur contineri spe, patientia, humili submissione ; ipsa demum instauratio ita describitur, ut indoles spiritualis expressius notetur.

Si hanc quam tres inter se orationes habent habitudinem rite expenderis, ipsa sententiarum dispositione *tres* revera orationes indicari, *tres* libri partes designari facile mecum consenties. Ita plerique etiam dividunt. Pauci duas tantum partes statuunt cp. 1 - 5 ; 6 et 7; verum 2, 12. 13 ipsa instaurationis annuntiatione partem concludi et absolvi, iam ex analogia quae aliis in partibus indubie cernitur, concludi debet; insuper eo vaticinio apte emollitur ruinae denuntiatio et fastigium cernitur muneris prophetici, a quo cp. 3 ad initium et ad scelerum reprehensionem vates revertitur. Neque cum aliis cp. 1 - 3 incl. coniungere possumus. Nam praeter rationem modo assignatam cap. 3 sermo non concluditur, quia triplici ruinae triplex ex adverso statim opponitur instauratio. *Schegg* tres orationes ordine suo ad trium regum tempora (1, 1) referri censet. At, cum orationum argumentum ita sit cognatum et in subsequentibus magis magisque determinetur et explicetur, equidem minime ausim orationes ita inter se separare. Summam in eis cerno collectam et apte dispositam omnium eorum, quae Michaeas saepe per vitam docuit.

LIBER MICHAEAE

I. — ORATIO PRIMA CAP. 1 ET 2.

ARG. — Libri inscriptione praemissa omnes populi attendere iubentur ad divinum iudicium, ad quod exercendum Deus terribili maiestate, a qua omnis creatura tremit et quasi colliquescit, summaque potentia sese accingit propter scelera in utroque regno, israelitico scil. et iudaico, admissa (1, 1-5). Quare ruina et spoliatio denuntiatur primo regno israelitico, quod videlicet exemplo suo in perversitate praeivit : Samaria, regni caput, destruetur omnesque opes quibus abusi sunt ad idololatriam diripientur. Haec vero percussio regni israelitici etiam regno iudaico demum in exitium verget, quare propheta summo dolore illam catastrophen mente praesagit (1, 6-9). Iam quam late futurum sit, ut serpat calamitas per Iudaeam, exemplis compluribus calamitosis (quae ex variorum oppidorum nomine et significatione petit, ad vivum describit, paronomasiae artificio alte memoriae et animis imprimit) et luctu universali deplorat (1, 10-16). Dein huius calamitatis causas accuratius subiungit; ostendens iniustitiam et violentiam, qua et Deo obsistunt et homines misera servitute opprimunt ; quare exitium minime effugient ; idque tam certo imminet, ut iam nunc illud propheta cantico lugubri et proverbiali proponat (2, 1-5). Hanc ruinam falsis promissionibus promovent pseudoprophetae, quibus populus fallaci securitati innixus adstipulatur. At vana spes ! Deus enim normam veri iustique sequitur, illi vero iniustitiis et oppressionibus toti sunt dediti, quare e terra promissionis eiicientur. Prophetam *talia* vaticinantem utique aspernantur, illis adhaerescentes, qui prospera polliciti vitiis ipsorum blandiuntur (2, 6-11). Sed Deus suum populum non penitus abiicit : congregabit dispersum, reliquias reducet, gregem suum optimis donabit pascuis ; ipse enim tamquam victor iter pandens ante eos praeibit, quem expedite sequentur (2, 12. 13).

Libri inscriptio 1, 1.

« *Verbum Domini, quod factum est ad Michaeam Morasthiten in*

diebus Ioathan, Achaz et Ezechiae, regum Iuda, quod vidit super Samariam et Ierusalem ». — Incipit sacer vates a missione prophetica, titulum exhibens, cur loquatur et audiendus sit : *verbum Domini*... Dei enim internuntius est et legatus, qui quae profert, a Domino accepta habet. Unde bene explicat *Theoph.* : « attentum reddit auditorem, quasi dicat : ne putes meum esse hunc sermonem, sed supremi rerum omnium Domini. Quamobrem attendere te diligenter oportet... Dominus est, qui loquitur, qui se verbaque sua contemnentem punire potest » ; *quod vidit* : modus tangitur communicationis divinae, quae visione prophetica i. e. interna mentis illustratione et summa quadam certitudine a Deo profecta consistit, simulque ratio quoque innuitur, qua res futurae menti prophetae proponuntur ; ea igitur describit, quae mente *vidit* ; proinde visio exhibetur iudicii, visio exaltationis Sion etc. ; quare symbolum vel imago rei et res ipsa illo involucro proposita sedulo distingui debet. — Nominantur duae urbes praecipuae, quae totius regni populique quasi personam gerunt et in quibus utriusque regni sortes concluduntur. Et cum instaurationem messianicam cernat et describat tamquam montis Domini exaltationem (4, 1) et dominationis ad Ierusalem reversionem (4, 7. 8) urbisque aedificationem (7, 11), apte nomine Ierusalem totius argumenti prophetici summa colligitur.

a) Dei iudicis maiestas 1, 2-5.

Simili modo uti Michaeas, filius Iemla, olim vaticinio suo pondus addidit (3 Reg. 22, 28) dicens : « audite, populi omnes », propheta noster incipit sollemni contestatione : v. 2 « *Audite, populi omnes, et attendat terra et plenitudo eius ! et sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo* » ! — i. e. terra et omnia quae illam implent, quae in ea sunt. Dei iudicium ultionis annuntiaturus omnes populos totamque terram, ut attendant, exhortatur vates. Hac formula statim aperitur scena magnifica et cum rebus etiam inanimatis sensus et animus tribuatur, rei gravitas, quam propheta cordi maxime habet, ostenditur. At minime est nuda figura rhetorica vel solum emphasis poetica. *Omnes* enim attendere iubentur, quia quaecumque divinitus fiunt in Israel, regni Dei hisce in terris praeparationem spectant. Namque quidquid Deus Israelitis largitur, propterea dat, quia « in te benedicentur omnes familiae gentium » et si iudicia ultionis in eos devolvit, ea exercet propter finem messianicum ; insuper illa iudicia Deus palam coram populis implevit eaque in suis effectibus conservavit et conservat ita, ut populi omnes revera sint testes eorum ; illis reliquos quoque erudit ; praeterea iudicia illa particularia quasi partes sunt et prolusiones ad iudicium universale, quo demum omnes populos arguet : quare aptissime fit, ut ad iudicium in Israel

annuntiandum *omnes* tamquam auditores et testes convocentur. Et quod alteram obtestationis partem spectat, sub sollemni coeli et terrae invocatione legis promulgatio et iniunctio facta est, ut ea quae divinorum beneficiorum et instrumenta et testes fuerant, etiam fiant ultionis divinae organa et testes lege violata (cf. Deut. 4, 26; 32, 1. Is. 1, 2); armabit enim Deus creaturam ad ultionem inimicorum (Sap. 5, 18).

Et sit Dominus testis in vobis i. e. contra vos (*Alb. Sanct. Rib.*). Dei vero testimonium contra aliquem idem est ac iudicium, quia Deus tamquam testis contra aliquem aliter concipi nequit; *contra vos,* illos dicit, quos sententia iudicis proxime feriet, proinde Israel et Iuda, contra quos etiam populos et terram invocaverat. Deum iudicem provocat, ut de coelesti [1] suo habitaculo (*Rib. Sanct. Lap. Men. Tir. Schegg*) quasi surgat ad iudicium exercendum. Qua re iam innuit peccati enormitatem, qua thronus Dei quasi tangitur, et divinae maiestatis celsitudinem adumbrat.

Multi sunt, praesertim veteres (*Ephr. Theod. Theod. M. Barh. Rib. Sanct. Lap. Sa, Mar. Men. Tir.*) et inter recentiores *Hitz.* qui *omnes populos* de tribubus Israel et *terram* . . . de terra Israel explicant; at perperam. Nam *terra et plenitudo eius* et de se et usu biblico ad totam terram extenditur (cf. Ps. 23, 1; 49, 12; 88, 12. Is. 34, 1), nisi ipso contextu ad certam ac definitam regionem restringitur, uti v. g. Ier. 8, 16; 47, 2. Ez. 19, 7; 30, 12; 32, 15; id quod nostro loco non obtinet. Dein *omnes populi* עַמִּים cum ex contextu iam non certis limitibus circumscribantur, non possunt de solis familiis Israel intelligi, praesertim cum עַמִּים fere solum in lingua archaistica Pentateuchi (*Keil* — at cf. Os. 10, 14 hebr.) de tribubus Israel usurpetur. — Dominum esse testem, alii explicant: « tametsi ego Michaeas loquor, tametsi ut homo forte quidam intercedam, at ipse universorum Deus vobis testificatur et dominicis oraculis vocem meam commodo » (*Cyr.* sim. *Theoph. Theod. Theod. M.*); alii: « ille qui ubique praesens est, novit, quemadmodum datas mihi partes expleverim et ad vos pertulerim, quae salvo capite silere non potui » (*Sanct.* sim. *Rib. Lap.*). At quae rei sunt, hic suppleri debent. Unde explanatio supra data praeferenda est.

Iam quomodo Deus ut testis i. e. ut vindex et iudex sit contra populum surrecturus, delineat v. 3 « *quia ecce Dominus egredietur de loco suo et descendet et calcabit super excelsa terrae* »; — Deum iudicem exoptat, *quia* illum venturum scit; unde כִּי etiam *profecto, vere* per modum affirmationis et exclamationis accipi potest. Ibi Deus peculiari ratione *esse* concipitur, ubi aliquid singulare et eximium *operatur*. Quare describitur ad iudicium exercendum quasi *egrediens*, i. e. surgens de throno suo coelesti et palatium coeleste relinquens et descendens in

---

1. Alii de terrestri Dei habitaculo, de templo in Ierusalem, explicant. Templum utique intelligitur v. g. Ioel 3, 16, Amos 2, 1, et vide ad Osee 5, 8; sed hoc nostro loco obstat v. 3.

regiones sublunares, ubi primum montium cacumina descensu Domini tanguntur ad similitudinem nubis ab aethere in montium vertices delapsae. « Accommodat se Scriptura sacra hominum cogitationi et sensui. Latet aliquis domi, cum non apparet; apparet cum egreditur et se aliorum oculis videndum ostentat. In operibus suis cognoscitur Deus; tunc vero maxime, cum operatur aliquid, quod efficere nequeunt humanae vires » (*Sanct.*). Ipsa sollemni verborum pompa descensus Dei maiestate plenus illustratur et terror iudicis venturi effertur effectibus, quos creaturae imprimit : v. 4 « *et consumentur montes subtus eum et valles scindentur sicut cera a facie ignis et sicut aquae quae decurrunt in praeceps* » ; — hebr. *et colliquescent montes . . . sicut aquae effusae in praeceps*, in loco scil. declivi, ubi summo impetu deorsum feruntur. Montes, quae fundamenta terrae sunt et firmitatis stabilitatisque symbola, ita contremiscunt apparente Domino, ut dissolvantur, liquefiant, dilabantur; *valles scinduntur*, ut abyssi et viscera terrae pandantur; ita tota creatura sentit Dominum, a summis usque ad ima potentia eius quam maxime describitur comparationibus illis. Solet iudicis Dei maiestas hisce symbolis adumbrari; cf. Ps. 17, 8 seq. 67, 9; 96, 2-6. Iud. 5, 4. 5; idque eo aptius, quia Dei in terram descensus, qui factus est in monte Sinai, simili elementorum commotione erat vestitus (Ez. 19, 16); unde talia ad alias quoque Dei manifestationes accommodantur (cf. Iud. 5, 4. 5); accedit, quod Deus in iudiciis exercendis simul cum hominibus creaturam destruit vel creatura utitur ad homines puniendos; demum, quod ultimum iudicium universale quod est quasi omnium particularium absolutio et completio, totius naturae summa quadam agitatione et dissolutione continetur. Quare mirum non est, si in *visione prophetica* iudicium Dei iis symbolis vestitum apparet, iisque signis, quae partim in divinis manifestationibus facta sunt, partim in ultima illa temporum consummatione exspectantur. Hac ratione nexus innuitur, qui inter Dei manifestationes et iudicia adest et quo omnia ad supremum aliquod caput referuntur. Unde simul elucet emblemata illa [1] non fictioni deberi poeticae, verum niti et in historia sacra et in rerum futurarum praedictione (cf. Ioel 3, 16).

Cur vero Deus tanto cum terroris apparatu ad iudicium properet, magno cum pondere explicat v. 5 « *in scelere Iacob omne istud et in peccatis domus Israel. Quod scelus Iacob? nonne Samaria? et quae excelsa Iudae, nonne Ierusalem* » ? — i. e. propter scelus Iacob et propter

1. Quare explicatio illa, montes intelligi principes et potentes, valles autem homines plebeios, qui omnes pariter conterendi sint (*Hier. Cyr. Theod. Rib. Barh.* etc.), ad inusitatam metaphoram immerito confugit.

peccata; urbes nominat principales, ex quibus quasi fontibus idololatriae et impietatis lues in reliquam regionem propagata sit. Iam primus enim rex cultum vitulorum instituit (3 Reg. 12, 28); Amri insuper Samaria aedificata « operatus est nequiter super omnes, qui fuerunt ante eum » (3 Reg. 16, 25) et dignus eius filius, Achab cultum Baal induxit, « posuit aram Baal in templo Baal quod aedificaverat in Samaria et plantavit lucum » (l. c. v. 32. 33) i. e. symbolum Baal et Astartes in templo erexit et sollemni modo foedum illum cultum inauguravit, ita ut Samaria eius abominationis esset sedes praecipua (cf. 4 Reg. 10, 17. Ier. 23, 13). Unde merito hoc scelus פֶּשַׁע i. e. apostasia vocatur. — Similem a vero Dei cultu alienationem incusat propheta in regno Iuda, in sacrificiis illis, quae in excelsis i. e. in collibus vel aris arte exstructis Deo contra legem mosaicam et non sine magno superstitionis periculo, immo cum idololatriae admixtione offerebantur [1], de quibus toties in libris historicis mentio fit: « verumtamen excelsa non est demolitus » rex et quae Ezechias demum dissipavit (4 Reg. 18, 4), sed Manasses filius eius denuo aedificavit (l. c. 21, 3). Igitur a Ierusalem « per malum exemplum sacerdotum et principum derivatum est peccatum in totum populum » (*Alb.*).

Uti in regno samaritano apostasia, ita in regno iudaico cultus ille praeposterus in *excelsis* exercitus ex textu hebr. quem *vulg.* sequitur et *Sym.* (cf. cod. syr. hexapl.), tamquam praecipua castigationis ratio et quasi peculiaris regni indoles effertur. Neque male. Est enim omnium scelerum radix et origo fecunda iuremerito collocanda in cultu Dei neglecto vel abiecto vel perperam exercito. Insuper primum et praecipuum hominis officium in Dei cultu et servitio cernitur, qua in re si deficit, in reliquis omnibus eum deficere necesse est. Quare propheta rationem maxime propriam et intimam totius perversitatis optime tangit.

Unde textum hebr. et *vulg.* hoc loco omnino praeferendum esse censeo lectioni, quam LXX, *Syrus, Chald.* exhibent: *et quod peccatum Iudae? nonne Ierusalem?* quam lectionem *Houbig.* unice sequendam esse ducit. Verum nimis est indeterminata, parum dicit, cum e contra illa textus hebr. et *vulg.* speciem determinatam efferat. Alteram lectionem vel explicationis causa esse inductam opinor, vel debere originem priori versus membro *et in peccatis domus Israel,* ubi etiam numerum singularem *propter peccatum* aliqui legunt (cf. *de Rossi*).

b) Poena destructionis 1, 6 - 9.

Iudicis descensum descripsit causamque assignavit. Iam quale iudi-

---

1. Cf. 4 Reg. 23, 5; sacerdotes qui in excelsis sacrificabant et ad hoc a regibus Iuda quandoque instituebantur, כְּמָרִים vocabantur.

cium futurum sit, exponit ita, ut « secundum ordinem peccatorum fiat ordo poenarum ; primum peccavit Samaria... prima ergo pereat » (*Hier.*). Unde v. 6 « *Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro, cum plantatur vinea, et detraham in vallem lapides eius et fundamenta eius revelabo* » ; — i. e. eo redigetur Samaria, civitas copiosa, ut excisis funditus aedificiis nihil in ea supersit praeter acervos lapidum, quos congregare rusticus solet, cum ad commodam vineae plantationem agrum elapidat, cf. Is. 5, 2 « lapides elegit ex illa » (*Sanct.* sim. *Rup. Alb. Calm.*). Et quia Samaria in vertice montis erat posita (Is. 28, 1. Am. 6, 1. 3 Reg. 16, 24), apte dicitur : *et effundam* (praecipitabo) *in vallem lapides eius* (hebr.) ; « erat quippe in montibus sita, ubi nunc Sebaste est »(*Hier.*). Illa vero ruina « tanta erit et tanta urbis subversio, ut non solum parietes et aedificia corruant, sed fundamenta quoque usque ad extremum lapidem revelentur » (*Hier.*).

Hebr. verte : *et ponam Samariam in acervum lapidum in agro in plantationes vineae.* Verba duplicem prae se ferre *posse* sensum, iam *Rib.* bene prosequitur, vel eum quem expressit *S. Hier.* i. e. ut non maneat ex tanta urbe nisi acervus lapidum in agro, qualis *ad* plantandam vineam (cf. hebr. ל) ex agro et loco plantationis colligi solet, vel alterum, quem LXX et *Syrus* interposito *et* exprimunt καὶ εἰς φυτείαν ἀμπελῶνος et quem *Chald.* quoque et recentiores communiter sequuntur, scil. urbem ita funditus iri eversum, ut in montibus et collibus illis vineae plantentur. Ultimum magis aptatur ad concinnitatem sermonis et parallelismum, qui etiam eadem praepositione indicatur ל ; insuper sermo magis simpliciter et plane fluit ; habet enim additamentum illud in priore explicatione, quod ad *agrum* unice referri potest, nescio quid coacti et a plana et limpida serie sensus alienum.

Simul cum urbe idololatriae signa et instrumenta vel peribunt vel a victoribus cum ignominia asportabuntur ; v. 7 « *et omnia sculptilia eius concidentur et omnes mercedes eius comburentur igne et omnia idola eius ponam in perditionem ; quia de mercedibus meretricis congregata sunt et usque ad mercedem meretricis revertentur* » ; — hebr. *quia de mercedibus meretricis congregavit* scil. Samaria ; cogitatur enim Samaria tamquam meretrix, quae civibus suis fornicandi i. e. idololatriam exercendi occasiones procurat et hac re *mercedes* i. e. oblationes varias diis factas congerit, sacra scil. anathemata, donaria etc. vel, ut *Theod.* explicat, altaria, delubra et anathematum copiam (sim. *Theod. M. Sanct. Schegg, Keil, Reinke*). Ita *mercedes* intelligi, iam eo suadetur, quod mediae inter sculptilia et idola collocantur. Deorum statuae et symbola, etsi ex vili materia, lapide lignove, erant confecta, tamen auro vel argento obduci solebant ; victores igitur confractis et combustis imaginibus ornamenta et metalla pretiosa simul cum reliqua praeda diripiebant (cf. ad Os. 10, 6. 7).

Ultimum membrum per modum proverbii effert notum illud : male parta male dilabuntur ; Samaria meretrix anathemata illa et thesauros sacros tamquam pretium fornicationis accepit, iam illa ad aliam meretricem, ad Niniven, urbem grandem et idololatria plenam, i. e. in honorem et cultum deorum Assyriorum asportabuntur. Idololatriam fornicationis nomine efferri notissimum est. Deus enim foedere inito populum suum sibi coniunxit et ad sponsae dignitatem evexit (cf. Osee cap. 1. 2. 3. Ez. cap. 16 etc.). Mirum tantum videri posset, hoc loco etiam *gentes* idololatras vocari meretrices, cum tamen Deus cum aliis populis tale foedus non inierit. Verum appellatio haec primo facile fluit ex analogia et secundo etiam gentes idololatrae revera desciverunt a primo illo foedere, quod Deus in protoparente cum universo genere humano inierat. Indicat igitur haec appellatio, *omnem* idololatriam esse *apostasiam* a Deo, esse fidei et fidelitatis debitae violationem turpem.

Alii *mercedes* explicant opes et divitias et rerum omnium opulentiam, quas Samaritani idolis acceptas retulissent ; similiter, ut apud Osee loquuntur idololatrae : « mercedes hae meae sunt, quas dederunt mihi amatores mei » (2, 12 — cf. *Hier. Rup. Alb. Barh. Rib. Lap. Men. Tir.*). At explicationi huic obstat, 1) quod *mercedes* arcte cum idolis coniunguntur et in tali collocatione ea dicere debent, quae ad cultum et apparatum idololatricum pertinent ; 2) quod eae res comprehendi debent, quae vere dici possunt *colligi de mercedibus meretricis ;* nam nullum adest vestigium, ultimum versus membrum vel per ironiam dici vel ex mente idololatrarum. Sensit id *Rup.*, unde scribit *:* « quamvis Dominus ipse aurum et argentum multiplicaverit illi, tamen quoniam magis amatoribus suis reputavit et eorum mercedes esse dixit, recte nunc dicit : *quia de mercedibus...* ». At sane propheta ita loquitur, ut *revera* velit rationem reddere, cur aequum et iustum sit res illas in hostium transire potestatem.

Alii utramque explicationem de anathematis et opibus coniungunt (cf. *Cyr. Theoph. Sa, Calm.*). Alii *mercedes meretricis* presse intelligunt de lucro ex venali pudore comparato et in idolorum cultum et ornamenta impenso ; de qua turpi consuetudine cf. Baruch 6, 10. *Herodot.* 1, 99 ; *S. August.* de civ. D. 4, 10 (M. 41, 121) ; *Movers,* die Phoenizier I p. 679. 689. Alia consideratione adhibita aliqui non Samariam, sed singulos idololatras dici volunt *meretrices* et mercedes res illas, quas *dant,* secundum illud Ez. 16, 33 : « omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis et dona donabas eis » (cf. *Sanct.*) ; sed bene notat *Lap.* : « verum hoc inusitatum fuit et insolitum, ideoque illud exprimit Ezechiel ; hic vero cum id non exprimat Michaeas, locum habere non videtur ». In re ipsa utique discrimen fere nullum adest. — *S. Ephr.* speciali ratione *Iezabel* meretricem h. l. signari vult, cuius donis idola facta sint, vel etiam Samariae cives ; cedere autem Assyriis in mercedem propter servitium Deo in castigandis inimicis praestitum ; quod ultimum etiam *Men.* effert.

De hac ruina animus vatis dolore et moestitia constringitur — sentit enim et intime persentiscit populi calamitatem — sed animi sensa ita exter-

no quoque habitu pandit, ut significatio doloris fiat simul venturae *captivitatis* indicium; habitu enim incedit non lugentium modo, verum eorum, qui in captivitatem misere abripiuntur; ita v. 8 « *super hoc plangam et ululabo, vadam spoliatus et nudus, faciam planctum velut draconum et luctum quasi struthionum* »; — *spoliatus*. . . . sortem devictorum qui habitu ignominioso captivi abducuntur, spoliatione illa et nuditate depingit (cf. Is. 20, 2. 3; 47, 2 — *Rup. Rib. Lap.*), non solum moerentium tristitiam. In hebr. ululatus et clamores lugubres exprimuntur canum silvestrium (Schakale) et struthionum; illos per noctem horrendum in modum ululatus et clamores edere solere narrant, horum vero sonos lugubres etiam Iobus commemorat (30, 29. cf. Is. 13, 22).

Spoliatus et nudus non vestitum squalentem et lugubrem significat neque eum, qui solum veste superiore careat, verum talem, qui plus minusve ignominiae causa vestibus sit spoliatus, uti fere captivis obvenire solebat. Quare propheta non solum vestimentis laceris, sed simili habitu incessisse censendus est, uti Isaias cap. 20, 2. 3. — תַּנִּים *dracones* h. l. vertunt LXX et *S. Hier.*, qui adnotat: « dracones terribili sibilo personant, iuxta historias eorum, qui de physicis conscripserunt, eo tempore quo vincuntur ab elephantis ». *Syrus* vertit *ioruro* (יררורא), quam vocem *Bernstein* (lex. syr. ad Chrest. Kirsch) *canem aureum* (Schakal) interpretatur, et eandem significationem tribuit voci qua utitur *Chald.* ירודא, quam alii *draconem* vertunt (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 344).

Ceterum תַּנִּים apud LXX et in *vulg.* varia significatione redditur. *S. Hier.* generatim *dracones* vertit (ita Iob 30, 29. Is. 34, 13; 35, 7; 43, 20. Ier. 9, 10; 10, 22; 14, 6; 49, 33; 51, 37. Ez. 32, 2), semel *sirenes* Is. 13, 22; semel *lamia* Lament. 4, 3. In Ps. 43, 20 eadem vox *afflictio*, LXX κάκωσις explicatur[1]. LXX vocem explicant modo σειρῆνες Iob 30, 29; Is. 34, 13; 43, 20; modo δράκοντες Ier. 9, 10; 14, 6; 51, 37. Lament. 4, 3. Ez. 32, 2; modo στρουθοὶ Ier. 10,22; 49, 33; semel ἐχῖνοι Is. 13, 22; semel ὄρνεις Is. 35, 7.

Causa doloris prophetae et portenti quod in suo exhibet habitu est calamitas maxima, quae Samaria percussa etiam terram Iuda et urbem Ierusalem concutiet; v. 9 « *quia desperata est plaga eius, quia venit usque ad Iudam, tetigit portam populi mei usque ad Ierusalem* »; — hebr. *nam gravissimae sunt percussiones eius; quia venit* (percussio) *usque ad Iudam; pertingit usque ad portam populi mei, usque ad Ierusalem* i. e. ex Samaria destructa pernicies serpet in Iudaeam et demum ipsam urbem, quae est populi *mei* (vide doloris affectum!) porta i. e. locus comitiorum praecipuus isque munitione firmatus[2], plaga percutiet. Exitium paulatim serpens optime describitur. Sunt quidem duo

1. *S. Hier.* etiam hic *dracones* vertit. Ceterum vide quae ad Iob 30, 29 notata sunt.
2. Cf. Gen. 22, 17; Deut. 17, 2. 8; 21, 19; 28, 52. Iud. 5, 8. Iob 5, 4; 29, 7; 31, 21. Ps. 86, 2 etc.

illi eventus, excidium Samariae et ruina Ierusalem, longo temporis intervallo inter se separati (722-586 a. Ch.); at propheta illa quae nexu interno et causae similitudine inter se colligata sunt, etiam coniuncta cernit et ad *visionem* propheticam prorsus aptum est, ut ictus ille Samariae impactus percussione sua et Iudaeam et urbem concutere perspiciatur. Atque etiam in rerum gestarum historia facile apparet, ruinam regni israelitici viam aperuisse ad casum regni iudaici accelerandum; idque eo magis, quia Iuda eodem vulnere laborabat, quod fatale erat regno israelitico i. e. contemptu Dei in re religiosa et in gubernandi vivendique ratione. Unde merito *S. Hier.* dicit: « idem peccatum, immo eadem poena peccati, quae evertit Samariam, veniet usque ad Iudam et usque ad portam urbis meae Ierusalem. Ut enim Samaria subversa est ab Assyriis, ita Iuda et Ierusalem subvertentur a Chaldaeis ».

c) **Calamitas per Iudaeam serpens 1, 10-16.**

In plaga Iudaeae deploranda diutius immoratur. Primo vetat, ne plaga inimicis pandatur; dein decem oppida Iudaeae, inter quae media occurrit urbs Ierusalem, ex singulorum nominum vel significatione vel sono adhibet ad varias calamitates describendas. Quae annuntiatio cum ipsis oppidorum nominibus adnectatur et quasi inseratur, eo altius animis imprimi et haerere censenda est, ita ut quoties quis oppidum nominaret, toties calamitatis praedictae memoria occurreret. Quare nemo prophetae vitio vertere potest, quod decies paronomasia utatur, neque inanis verborum lusus putandus est, verum gravissimi vaticinii promulgatio efficacissima.

Primum quod in talis ruinae praevisione animum ferit, est, « ne audiant et laetentur inimici » (*Hier.*); unde v. 10 « *In Geth nolite annuntiare, lacrimis ne ploretis* »! — i. e. « ne dolor quidem in singultus prorumpat; dissimulate fletum, ne adversarii gratulentur » (*Hier.*). Priora verba *in Geth* . . . deprompta sunt ex carmine lugubri, quo David Saul et Ionatham filium eius et caedem a Philisthaeis populo Dei inflictam deploravit (2 Reg. 1, 20). Carmen hoc notum erat, unde verbis istis propheta magnum illum Davidis planctum in memoriam revocat, Saulis interitum populique stragem et hostium triumphum denuo ob oculos ponit, ut ex re nota quid futurum sit addiscant; iterum scil. rex unctus Domini periturus est (cf. 4, 9), iterum hostibus erunt irrisioni, iterum regnum strage prosternetur et quicumque vero amore in populum feruntur, planctu et luctu tabescent. Quare carmine illo Davidico ingentem moeroris et ruinae scenam aperit.

Cum in subsequentibus unumquodque versus membrum nomen proprium ur-

bis efferat et h. l. LXX interpretatio, quamvis lectio variet [1], tamen constanter nomen tale prodat, et cum insuper tali lectione sensus aptissimus habeatur, non dubito asserere, textum hebr. ita esse emendandum, ut pro בַּכוֹ legatur בְּעַכּוֹ *in Acco nolite flere* [2] i. e. uti in parte meridionali, in *Geth* [3] (Gath), urbe Philisthaeorum (Ios. 13, 3. 1 Reg. 5, 8 etc.) calamitas non est nuntianda, ita vult, ut fugitivi etiam in parte septemtrionali, in *Acco*, in urbe Phoenicum (Iud. 1, 31) dolorem dissimulent ; « est enim magna doloris pars si quispiam in nostris exsultet atque triumphet infortuniis, et dum nos lacrimis moerentes et squalidi vacamus, exsultantes alii ac nitidi festivo carmini tempus indulgent. Hoc viri etiam pii in precibus sibi a Deo concedi postulant ; hoc horrent vehementer, Ps. 24 : « neque irrideant me inimici mei ». Quod item Ps. 88 quasi acerbum aliquid queritur David, « laetificasti omnes inimicos eius », et Thren. 2, 17 : « laetificavit super te inimicum » (*Sanct.*). Paronomasia in hebr. facile deprehenditur : *begath al taggidu ; be akko al tibku,* quasi latine dicas : Cannis ne canite ; Anconae ne angamini.

Hoc quasi prooemio praemisso iam calamitatem vel annuntiat vel deplorat ope nominum, quae in editione vulgata et partim iam in versione *S. Hier.* secundum significationem etymologicam expressa sunt : ita v. 10 « *in domo pulveris pulvere vos conspergite* » ! — hebr. *in Bethleaphra in pulvere* (עָפָר) *volutare* [4], in signum luctus ingentis, quo in cinere sedere et capita pulvere et cinere conspergere solebant (cf. Iob 2, 8. 12. Is. 3, 26 ; 47, 1. 2 Reg. 12, 16 etc.). Communiter [5] hic agnoscitur *Ophra* (עָפְרָה) Ios. 18, 23 in tribu Beniamin (cf. *Lap. Men. Reinke*), prout iam versio *Theod.* 'Ωφρά praebet (cf. cod. syr. hexapl.).

Fugam, captivitatem, ignominiam, salutis inopiam, planctum qui nimiae fiduciae succedat, in sequentibus secundum *vulg.* videmus descripta : v. 11 « *et transite vobis, habitatio pulchra, confusa ignominia ; non est egressa quae habitat in exitu ; planctum domus vicina accipiet*

---

1. Ferunt enim codices et edd. οἱ 'Ενακείμ, οἱ ἐν 'Ακείμ, οἱ ἐν Βαχείμ, quod ultimum etiam cod. syr. hexapl. praebet. Reliquae versiones veteres, etiam *Aq. Theod. Sym.* simul cum *S. Hier.* textum hebr. uti nunc iacet, exprimunt.

2. Ita post *Relandum* (Palaestina ex mon. vet. illustrata p. 534 ; etiam apud *Ugolinum* Thes. t. VI p. 506) plerique recentiores, exceptis *Keil* (qui uti solet, textui mas. mordicus inhaeret) et *Reinke*, qui ע excidisse rem esse censet incredibilem. Sed quare ? vide ad v. 12 in *nota*.

3. « Geth, una est de quinque urbibus Palaestinae (i. e. Philisthinorum), vicina Iudaeae confinio, et de Eleutheropoli euntibus Gazam, nunc usque vicus vel maximus » (*Hier.*).

4. Certe h. l. *qeri* התפלשי praeferri debet. Id enim apte toti seriei respondet, in qua non quid propheta faciat, verum semper quid incolis instet declaratur ; id exprimitur versionibus LXX, *S. Hier. Syri, Chald.* ; id in textu a multis codd. hebr. praeberi, *de Rossi* asserit ; id quoque *Houbig.* defendit. Frustra obnititur *Keil.*

5. *S. Ephr. Barh.* oppidum domus Gedeon intelligunt ; proinde עָפְרָה in tribu Manasse cf. Iud. 6, 11. 24 (hebr.) ; 8, 27 ; 9, 5. — Sunt etiam, qui editioni *vulg.* nimium inhaerentes nomina propria agnoscere renuunt, ipso tamen *S. Hier.* in plerisque refragante ; eorum rationes vide apud *Rib. Sanct.*

ex vobis, quae stetit sibimet » ; — i. e. fugite ignominia confusi, habitu scil. turpi abducemini, qui urbem pulchram i. e. *Schaphir*, incolebatis ; urbs cuius nomen indicat « habitans in exitu » et quae proin nomine suo effugium a periculo portendere videtur, non poterit egredi, non poterit perniciem effugere ; spes igitur nomine oblata fallitur ; « domus vicina » quae alias firmiter substitit suis innixa viribus, iam ex vicinitate planctum et luctum accipit.

Ita, quantum fieri potest, facillime et simplicissime verba *vulg.* explicare conati sumus [1]. Ceterum notatu dignum est, in versione *S. Hier.* legi ita : *transite vobis, habitatio Saphir, confusa ignominia, non est egressa, quae habitat Sennan ; planctum domus Asel accipiet ex vobis* ; atque haec etiam in comm. *Alb.* leguntur, ubi hodiernus *vulg.* textus non deprehenditur.

Textum hebr. ita explica : *transi tibi* (proprie *vobis*, quia *habitatrix* multitudinem dicit) *habitatrix Schaphir nuditate ignominiosa ; non est egressa habitatrix Zaanan ; planctus Beth-haezel sumet ex vobis stationem* (domicilium, stabilitatem) *suam*. *Schaphir* i. e. civitas amoena et pulchra, est secundum *Eusebium* (Onom. cf. *S. Hier. M.* 23, 921) in regione montana [2] vicus inter Eleutheropolim et Ascalonem ; apud LXX occurrit Σαφείρ inter urbes Iudae Ios. 15, 48, ubi in textu hebr. שָׁמִיר legitur, quare alii *Schaphir* et *Schamir* idem oppidum esse censent. Sed quidquid est, urbs in Iudaea sita ad contextum prorsus apte affertur. Allusio est in nominis significatione, ut civitas elegans, ornata, iam summo pudore et dedecore affecta [3] in captivitatem abducatur (cf. v. 8). *Non est egressa*, vel *non egreditur habitatrix Zaanan*, vix alium sensum habere potest, nisi : incolae non poterunt exitium fugere ; יָצָא enim etiam adhibetur de liberatione ex angustiâ et periculo et servitute ; cf. Prov. 12, 13 : « effugiet iustus de angustia » et Ier. 11, 11 : « inducam mala, de quibus exire non poterunt » et 2 Reg. 13, 5 : « liberatus est de manu regis Syriae ». Civitas צַאֲנָן hac eadem forma alias non invenitur ; sed plerique (cf. *Lap. Men. Houbig.*) haud improbabiliter idem esse nomen censent ac צְנָן Ios. 15, 37 in tribu Iuda [4]. Paronomasia est in sono ; utrum etiam in significatione necne, incertum videtur [5]. *S. Hier.*

---

1. Nota, quae *S. Hier.* h. l. scribit : « multum hebraicum a LXX interpretatione discordat et tantis tam mea, quam illorum translatio difficultatibus involuta est, ut si quando indiguimus spiritu Dei... nunc vel maxime eum adesse cupiamus » etc.

2. ἐν γῇ ὀρεινῇ.

3. Hebr. עֶרְיָה־בֹשֶׁת proprie est : nuditas quae sit ignominia ; et ponitur h. l. absolute ad conditionem designandam ; cf. Ps. 45, 5 עַנְוָה־צֶדֶק mansuetudo quae simul iuncta est cum iustitia.

4. א excidere vel utramque formam exsistere, non ita singulare est ; cf. צֹאן et צֹנֶה Ps. 8, 8. Aliqui codd. ferunt שַׁאֲנָן cf. *de Rossi* ; LXX Σενναάν vel etiam Σαινάν et Αἰνάν.

5. Referunt enim multi recentiores ad צֹאן ut sit civitas gregibus vel populo abundans (cf. *Fürst L. Schegg, Keil, Reinke*). — *Syrus* habet צען, idem secundum cod. syr. hexapl.

in significatione reponit : « non est egressa, quae habitat in Sennan, quae interpretatur *exitus* ». Sed idem iam advertit *Sym*. vertisse ***habitationem abundantem***.

Beth-haezel probabiliter idem est ac אָצֵל Zach. 14, 5 qui est locus prope Ierusalem. Cum אֵצֶל significet *latus, ad latus, iuxta*, intelligitur interpretatio LXX et *S. Hier*. Ceterum versus sat obscurus est. Sensus esse potest : luctus et planctus si semel Beth-haezel ingressus sit, firmum ibi sibi collocat ex vestra calamitate domicilium [1]. Atque haec explicatio ad radicis אצל significationem *iungere, copulare* facile accommodatur ; potest enim nomen explicari : domus radicis firmae, vel sedis fixae (cf. *Ges*. Thes. p. 194), ita ut vi nominis luctus ibi capiat stabile domicilium. Aliter *Ges. Trochon* : luctus Beth-Ezel vobis aufert domicilium eius (ibi ponendum) i. e. propter luctum publicum sedem figere non potestis in hac urbe, licet ipsa a sede fixa nomen habeat. Alii vocem צֵל *umbram, protectionem* ibi innui volunt, ita ut urbs illa non tribuat quod sono promittere videtur, scil. protectionem, absconsionem, sed luctum. Alii aliter (cf. *Schegg*).

S. Hier. licet in sua versione nomina Saphir, Sennan, Asel servet, tamen non de oppidis eius nominis interpretatur, verum regnum Samariae et Iuda designari censet, Samariam dici Saphir, utpote quae in pulcherrimo et uberrimo loco sita sit, et de eadem Samaria dici : *non est egressa quae habitat in Sennan* i. e. in exitu, quia in ipsis assyriae captivitatis sit foribus et statim ut mota fuerit de finibus suis, hostilem terram ingrediatur ; eam non esse egressam, propria scil. voluntate, sed vi ductam in Assyrios ; « unde domus vicina et ex latere, quod interpretatur *asel* (אצל), regnum vid. Iuda, planctum accipiet ex vobis, quae nunc interim, Samaria capta, substitit et Deum habuit defensorem ».

Luctus parit luctum ; adeoque uniuscuiusque dolor alterius moestitia et infortunio augetur ; idque etiam gravius accidit, quia ipsa urbs praecipua, gaudium universae terrae, decus atque superbia Iudaeorum, centrum scil. sacrae theocratiae communi malorum voragine involvitur ; unde v. 12 « *quia infirmata est in bonum quae habitat in amaritudinibus ; quia descendit malum a Domino in portam Ierusalem* » ; — clarius versio *S. Hier*. habet [2] : *quia infirmata est in bono, quae habitat in Maroth* i. e. propter bonum ablatum Maroth dolet, vel *habitatrix Maroth dolore volutatur* [3] (hebr.) ; cum מַר *amarum* sit, allusio patet. Ce-

---

expressit *Theod*. Ex *S. Cyr*. Aquila Σεναάν, Symmachus εὐσθενοῦσαν reddidit ; alii εὐθηνοῦσαν legi volunt (cf. cod. syr. hexapl. p. 532 ; frag. hexapl. *M*. 16 c, 2973).

1. Ad eundem sensum referri videtur, quod habent LXX : λήψεται ἐξ ἡμῶν πληγὴν ὀδύνης ; et *Syrus* : luctus accipiet ex vobis plagam suam.

2. Eundem textum ex versione *S. Hier*. affert *Alb*. — Uti nexum adstruxi, potest כִּי *quia* retineri in significatione causali. Quodsi vero praeplacet interpretari per modum assertionis vel exclamationis : *profecto*, non repugnabo.

3. חָלָה cum habeat accentum in penultima, masorethae derivarunt a חוּל ***dolore constringi, torqueri***, quod v. g. de parturientibus dicitur et h. l. maximum dolorem exprimit. *S. Hier*. verbum respicit חָלָה infirmum esse. LXX vertunt : τίς ἤρξατο... legerunt igitur non כִּי sed מִי et הֵחֵל. *Chald*. notionem *exspectandi* verbo tribuit, quasi foret forma הֵחִיל. cf. Gen. 8,

terum oppidum *Maroth* ignotum est, nisi idem sit cum מַעֲרָת *Mareth* [1] (Ios. 15, 59), quae civitas in regione montana tribus Iuda sita erat (cf. *Lap. Men.*), et quae ratione situs in hunc contextum apte infertur.

Malum illud quod Deo iudice et vindice in urbem descendit, ulterius tumultu bellico, incursu hostium, salutis desperatione, occupatione hostili, interitu gloriae Israel in seq. secundum *vulg.* textum, quem proponemus priore loco, describitur; v. 13 « *tumultus quadrigae stuporis habitanti Lachis — principium peccati est filiae Sion, quia in te inventa sunt scelera Israel* » ; — « urbs Lachis in plaga maxime meridiana tribus Iuda iacebat, septem millibus passuum ab Eleutheropoli meridiem versus » (*Calm.*) ; ei imminet bellicus fragor et strepitus quadrigarum et militum, et quidem tumultus *stuporis* i. e. talis qui stuporem inducat (*Alb.*) et omnium animos et sensus terrore et stupefactione constringat. Quod additur : *principium...* plerique ad Lachis referunt; at nihil notum est, quomodo Lachis civitas origo fuerit et causa, cur Ierusalem peccaverit [2]. Quare bene advertit *Calm.* : « reddi planius potest : *principium peccati hoc fuit filiae Sion, quoniam in te inventa sunt flagitia Israelis.* Haec malorum ac suppliciorum tuorum origo est, filia Sion, quod nimirum Samariae flagitia imitata fueris ». Sic *Schegg* quoque. Et si ita ad Ierusalem refertur, quae urbs 1, 5 causa peccatorum pro Iuda aperte designatur — urbem Lachis ea quoque imitatione expressisse, facile colligitur ex sententiae collocatione — optime adnectitur *propterea* in versu sequenti v. 14 « *propterea dabit emissarios super hereditatem Geth* ; *domus mendacii in deceptionem regibus Israel* » ; — i. e. tumultus ille bellicus, vel potius Deus mittet milites suos tamquam suos legatos et vindices super Moreschet Gath (hebr.), super civitatem Moreschet, quae addito nomine Gath in eius urbis vicinitate sita esse declaratur. Plerique eandem esse patriam Michaeae censent (cf. 1, 1). Textum *vulg.* ita explana : immittentur milites hostiles in eam partem hereditatis Iuda, quae est vicina Geth. Veteres versiones מוֹרֶשֶׁה-מוֹרֶשֶׁת accipientes non nomen urbis, sed *hereditatem* transtulerunt. Sed sensus is esse debet, ut hereditas illa populi Dei in hostium po-

---

10. Iud. 3, 25 ; ceterum in paraphrasi longe aberrat a vero sensu. Eandem notionem exprimunt *Sym. Theod.* (cf. cod. syr. hexapl.).

1. ע excidere, non est adeo inusitatum, ut propterea explicatio reiici debeat; vide inter alia urbem eandem בָּלָה et בַּעֲלָה, cf. Ios. 19, 3 et 15, 29; complura exempla in nominibus propriis invenies congesta apud *Ges.* (Thes. p. 976) et *Fürst L.* s. l. ע. — LXX ὀδύνας; vertunt ex etymologia vocis. *Syrus* transtulit : et rebellavit ; igitur legit מרתה a מָרָה vel מָרַדה ; *Aq.* effert Μαρώθ ; *Theod.* legit בָּמוֹת : κατοικοῦσα τὸ ὑψηλόν (cf. cod. syr. hexapl.). *Sym.* consentit cum *Syro* (cf. fragm. hexapl.).

2. *Barh.* censet hisce mentionem fieri rei 4 Reg. 14, 19. 20 narratae; sim. *S. Ephr.* ; at quorsum ?

testatem veniat. Dein urbs illa, quae « domus mendacii » i. e. Akhzib (mendacium) appellatur, revera nomen et omen habebit : spes et fiducia illa humana, qua reges theocratici toties peccarunt, egregie falletur et demum agnoscent, quantopere decepti fuerint (cf. Iob 6, 15 - 20).

Et quid nomen *Akhzib* iis in memoriam revocare debeat, etiam declaratur v. 15 « *adhuc heredem adducam tibi, quae habitas in Maresa ; usque ad Odollam veniet gloria Israel* » ; — Maresa (— possessio) civitas erat in campestribus Iuda, sicut et Akhzib ; cf. Ios. 15, 44 et Odollam (Ios. 15, 35 ; cf. 2 Par. 14, 9 ; 11, 8. 2 Mach. 12, 35). Huic igitur *possessioni* alium adducet heredem i. e. tradet eam hostibus possidendam. Et *gloria Israel*, nobiles eius principes *venient ad Odollam* i. e. cogentur fugere et se abscondere, uti olim David in spelunca Odollam (1 Reg. 22, 1 ; 2 Reg. 23, 13) ; potentia Israel obscuritate et tenebris obvolvetur. Erat Odullam vel Adullam in tribu Iuda et « usque hodie vicus non parvus ad orientem Eleutheropoleos in decimo eius milliario hoc nomine vocatur » (*Hier. M.* 23, 871. 914 — cf. Ios. 15, 35). Dici per ironiam vel κατὰ ἀντίφρασιν *gloriam Israel* censet *S. Hier.*, ut ignominia vel vastitas sentiatur (cf. *Rib. Sanct.*). — Et haec quidem de textu *vulg.*

Textum hebr. v. 13 praeeuntibus *Syro* et *Chald.* hunc in modum vertunt (cf. *Sanct. Lap. Men.*) : *iunge currum ad cursorem equum, habitatrix Lachis* i. e. celerrime fugam arripite. Est paronomasia in sono : *larechesch* et *lachis*. Verbum רתם quod hoc solo loco occurrit *S. Hier.* secutus LXX (ψόφος) vertit *tumultum* ; LXX legerunt non לָרֶכֶשׁ sed 'ר habent enim ψόφος ἁρμάτων καὶ ἱππευόντων. Cum *S. Hier.* vertat *stuporis*, vel רעש legit vel רגש ex aramaico est interpretatus.

V. 14 hebr. *propterea dabis*, filia Sion scil., *dimissionem super Moreschet-Gath* i. e. eam civitatem amittes, hostibus dimittere cogeris ; שִׁלּוּחִים vox adhibetur vel de dimissione uxoris, uti Ex. 18, 2, vel de dote, qua filia elocatur in matrimonium, uti 1 Reg. 9, 16 (hebr.). Nostro in loco allusio in eo esse videtur, ut *Moreschet* sonet quasi מְאֹרָשָׂה *desponsata* (Deut. 22, 23). Consideratur ergo quasi filia Ierusalem, sed quae cum opibus mox debeat elocari hostibus, ita ut mater Ierusalem (metropolis) debeat dotem dare, i. e. urbem illam simul cum divitiis amittet (cf. *Keil*). Vel alii in eo allusionem cerni malunt, quod filia Sion frustra vocet Moreschet-Gath *possessionem* suam, cum debeat illam *dimittere* (cf. *Reinke*). In reliquis versio *vulg.* cum textu hebr. concordat ; paronomasiae inter אַכְזִיב et אַכְזָב, inter יֹרֵשׁ et מָרֵשָׁה per se deprehenduntur [1].

Per decem oppida propheta sono et significatione nominum planctum

1. Loci salebrosi explicationem hisce *S. Hier.* concludit verbis, quae quamvis a tempore *S. Hier.* loci explicatio expeditior reddita sit, tamen hodiedum adhuc valent : « hucusque... quasi inter saxa et acutissimos scopulos naviculam nostram reximus, quae utrum intraverit portum, an adhuc in salo fluctuet, lectoris erit prudentiae iudicare ».

et ruinam serpentem delineavit: Beth-leaphra, Schaphir, Zaanan, Beth-haezel, Maroth — Ierusalem — Lachis, Moreschet Gath, Akhzib, Maresa, Odollam : in medio, quasi in centro, est ipsa *metropolis*, quae in peccandi licentia reliquis praeivit luemque ad cetera oppida propagavit (1, 5. 13). Quare ad eam sermo revertitur et ut in se una omnium luctum et calamitatem maxima doloris significatione exprimat, apposite et graviter admonetur v. 16 « *decalvare et tondere super filios deliciarum tuarum! dilata calvitium tuum sicut aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te* » ; — cf. v. 8; signa usitata luctus proponuntur cf. Is. 15, 2. Ier. 7. 29; 16, 6; 41, 5. Am. 8, 10; נֶשֶׁר non tantum aquilam, sed sermone vulgari etiam vulturis species designasse dicendum est; vultur enim *barbatus*, qui dicitur, et vultur *percnopterus* h. l. intelliguntur, utpote qui capitis calvitie quadam conspicui sunt (cf. *Ges. Keil, Schegg, Reinke*). *Filii deliciarum* sunt, qui parentibus gaudio sunt ac voluptati; uti illi prole numerosa laetantur, ita metropolis civitatum atque oppidorum numero, splendore, gloria exsultare dicitur. Verum cives, i. e. filii in captivitatem abripientur. Ita catastrophen illam animo praesagit; quare etiam antecedentia non ad calamitatem assyriacam (uti volunt *Theod. Cyr. Tir. Men. Gord.*), sed ad babylonicam referenda sunt. Haec etiam respondet excidio, quod Samariae (v. 6. 7) annuntiatur, haec maximas illas doloris luctusque significationes provocat, haec demum illa est plaga, quae Samaria percussa pari ictu Iudaeam prosternat (v. 9) et iustam scelerum vindictam inducat.

d) **Propter iniustitiam exitium imminet 2, 1-5.**

Cur autem calamitas adeo luctuosa instet, declarat v. 1 « *Vae qui cogitatis inutile et operamini malum in cubilibus vestris! In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum* » ; — hebr. *vae cogitantibus iniquitatem..*; eiusmodi consilia volventes iam *operantur*, i. e. faciunt, committunt malum i. e. peccatum (quare illud *operamini* neque *excogitare* explicandum est neque cum *S. Hier.* ad adulteria et stupra referendum, quibus cubilia polluant). Noctis quietem, quae ad animos recreandos viresque restaurandas concessa est et quae ipsa sua sollemni tranquillitate ad pios sensus homines suaviter allicit (cf. Ps. 4, 5), isti nimia peccandi aviditate profanant impia consilia et fraudulenta animis concipientes. Quam primum dein dies illucescit, ea opere exsequuntur; « quasi differre non liceat, statim ut dies claruerit, festinatis implere » (*Hier.*); *mane* et *lux matutina* magnam peccandi sedulitatem et ardens studium indicat (cf. *Sanct.*). Haec autem peccandi aviditas augetur, quia sibi conscii sunt se pollere viribus et potentia ad peccandum; ita in hebr. *quia valida est manus eorum*; vi et violentia praestant et ista praesumptione elati alacriter ad peccandum se accingunt.

Locutio hebr. כִּי יֶשׁ־לְאֵל יָדָם *quia est ad fortitudinem manus eorum,* quia valent, aliis in locis a *S. Hier.* rite vertitur : Gen. 31, 29 *valet manus mea* ; Deut. 28, 32 *et non sit fortitudo in manu tua ;* Prov. 3, 27 *si vales* ; Neh. 5, 5 *non habemus, unde possint (redimi)* ; hoc vero loco אל significatione *Dei* accipiens vertit. Sensus utique aptus efficitur. Verum non est, cur a locutione proverbiali hoc loco recedatur. Quare improbanda est etiam versio alia, quae *de se* quidem verbis aptatur : *quia manus eorum est iis in Deum* [1] — de hac ל significatione vide exempla Ex. 6, 7. 1 Sam. 4, 9. Iob 17, 12 etc. ; sed etiam in significatione *contra* ל aliquoties indubie adhibetur cf. Ps. 37, 12 ; 51, 6 ; quamvis iste sensus communiter aliis particulis אֶל, עַל, בְּ etc. reddatur. *Chald.* rite expressit : est potestas in manibus eorum ; LXX alium sensum explicant διότι οὐκ ἦραν πρὸς τὸν Θεὸν τὰς χεῖρας αὐτῶν ; sequitur eos *Syrus*, sed suppressa particula negativa : attollunt manus versus Deum (vel etiam *contra* Deum ; cf. syr. לות Act. 25, 19).

« Et ut doceret Scriptura, quid esset quod in nocte cogitarent et in die facerent, exponit in partibus » (*Hier.*) v. 2 « *et concupierunt agros et violenter tulerunt et rapuerunt domos et calumniabantur virum et domum eius, virum et hereditatem eius* » ; — hebr. *et domos* (subauditur *concupierunt,* ut *S. Hier.* in comm. habet) *et tulerunt et oppresserunt...* habet in usu *vulg. calumniari* significationem opprimendi (cf. *Alb. Rib. Lap. Sa, Mar.*). Primum quod reprehendit vates, sunt ea, quae contra iustitiam committuntur. Quae enim ad virtutem spectant, quae totius vitae socialis est radix et fundamentum, ceteris clarius firmiusque animis hominum inhaerent ; unde frequens et publica huius virtutis violatio magnam impietatem morumque perversitatem arguit. — Concupiscentia etiam hoc loco radix et origo peccatorum cernitur. In homines et bona divites illi grassantur : *opprimunt hereditatem,* quia ipsa bona temporalia, agri, horti, vineae graviter quasi ferunt et cum dolore sentiunt, si iniuste possidentur vel legitimis dominis vi auferuntur ; invita enim et coacta servit creatura peccatorum libidini (cf. Rom. 8, 20). *Domum* intelligit *Alb.* familiam eius, « ut non tantum subiicerent patremfamilias, sed etiam filios et filias eius acciperent in servos et ancillas ».

Sed uti illi *cogitant* iniquitatem, ita Dominus *cogitat* iustam poenam : v. 3 « *idcirco haec dicit Dominus : ecce ego cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra et non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est* » ; — calamitatem poenamque meditatur Dominus, quam declinare, cuius iugum excutere nullo modo valebunt et qua animorum elatio efficacissime deprimatur ; « inducam eis maximas clades, quae cervices eorum superbas contundant et frangant » (*Lap.*) ;

---

1. Cf. illud Virgilii 10, 773 : dextra mihi Deus et telum quod missile libro. — Ita vertunt *Keil, Reinke, Trochon.* Eundem sensum aliqui deprehendunt Iob 12, 6, quem locum vide in comm. a me edito p. 171. — Censet *Reinke* apud LXX rescribendum esse ἦσαν, quo maior adsit cum textu hebr. conformitas, et particulam οὐκ falso esse adiectam.

nunc enim vi et potentia sua exsultant (v. 1), idque externo habitu produnt *ingredientes erecte* (cf. hebr.), ὀρθοί (LXX), in erecta statura (*Syrus, Chald.*).

Iam *tempus pessimum* delineat : v. 4 « *in die illa sumetur super vos parabola et cantabitur canticum cum suavitate, dicentium : depopulatione vastati sumus, pars populi mei commutata est ! Quomodo recedet a me, cum revertatur qui regiones nostras dividat* » ? — i. e. canticum lugubre cum modulatione vel inflexione lugubri (*Men.*) tale canetis et canticum illud quasi in proverbium abibit et adagii loco ad vestram sortem delineandam usurpabitur. Tria in carmine efferuntur : conditio populi florens et regno potens diruta est atque vastata : *pars* i. e. hereditas populi, terra scil. pignus divinae amicitiae iis promissum atque concessum, iam est amota ab eis et subtracta (*commutata*), immo hostibus eorum tradita atque divisa. Ita conditio populi religiosa et civilis non solum est deiecta, verum ipsa electio in populum Dei, pro cuius pignore terram possidebant, poterat videri retractata et abolita ; *quomodo recedet a me...* exclamatio est dolentium : quomodo haec sors recedet, cum adversarius regiones nostras dividens *revertatur* i. e. iterum iterumque nostras possessiones occupet, vel permanenter eas teneat ?

In textu hebr. dubium moveri potest de voce נִהְיָה ; sunt qui explicent femin. praecedentis נְהִי *lamentatio, carmen lugubre* (cf. Ier. 9, 9. 17. 31, 15. Am. 5, 16), unde vertunt : *lamentantur lamentationem lamenti* i. e. maximam lamentationem (ita iam *Vatablus* ; cf. *Rib. Sanct. Lap. Mar.*) ; neque adeo est improbabilis haec explicatio, cum in casu simili formae לְוָה, לְוִי, לְוְיָה revera exsistant et generatim formationes חלי, חליה (Os. 2, 15) ; צבי, צביה (2 Reg. 12, 2) non ab indole linguae abhorreant et saepius ex verbis in ה substantiva deriventur in יה cf. עריה, שריה etc. — Simili modo LXX videntur intellexisse, cum vertant ἐν μέλει, id quod secutus est *Syrus* et certe etiam *S. Hier.* versio *cum suavitate* exprimit. *Chald.* aliud quid ob oculos habuisse videtur ; praebet enim post *lamentum* : et in afflictione sua dicet. — Alii נהיה accipiunt tamquam *niphal* a היה (cf. *Rib. Lap. Calm.*) idque recentiores quoque sequuntur ; *actum est*, a qua exclamatione desperationis carmen lugubre incipiat (cf. *Calm.*) ; quae explicatio apta est et priore simplicior. Cetera ita verte : *partem* (hereditatem) *populi mei transfert* Deus ad alios ; *quomodo mihi subtrahit ? adversario agros nostros dividit* ; de שׁוֹבֵב cf. Ier. 31, 22 ; 49, 4 שׁוֹבֵבָה gen. fem. et est certe eiusdem significationis ut שׁוֹבָב *apostata*. Gentes quoque apostatas vocari, eodem modo explica, sicut 1, 7 *ad mercedem meretricis revertentur*.

Magis nervose canticum effertur in hebr. : *actum est* (dicent), *penitus vastati sumus ; portionem populi mei transfert ; quomodo subtrahit mihi ! apostatae agros nostros dividit* !

Triste vaticinium confirmat[1] vates v. 5 « *propter hoc non erit tibi mittens*

1. Nam non est carminis continuatio, ut volunt *Sanct. Lap. Men.* ; patet ex *tibi* et ex argumenti repetitione fusiore.

funiculum sortis in coetu Domini » ; — respicit ad v. 3, « propterea, o familia Israel, super quam ego malum cogito, non habebis partem in hereditate iustorum » (*S. Hier.*) ; a *coetu* et ecclesia Dei, a populo Dei, qui sit Dei peculium, abscindentur et id exinde patebit, quia in terra Domini iam non partem sortis sibi olim attributae possidebunt ; cf. 1, 16 ; 2, 10 ; 4, 9. 10. In hebr. *mittere funiculum in sortem* i. e. unicuique tribui *sorte* pars regionis attribuebatur et singulis ex hac sorte agri dividebantur ope funiculorum, quibus ut mensuris utebantur ; cf. Ios. 17, 5. 14 : 19, 9 etc.

e) **Ne vana fiducia sibi blandiantur 2, 6-11.**

Quae propheta annuntiat, ingrata sunt. Unde non desunt pseudoprophetae (cf. 3, 6. 7), qui pacem ac prospera promittentes veros prophetas insectentur. Simile tempore Ieremiae cernitur ; praedixerat servitutem babylonicam ; at surgit Hananias et in nomine Domini pacem promittens vaticinatur : « contrivi iugum regis Babylonis » (Ier. 28, 1. 2) ; item tempore Ezechielis (13, 10. 16) deceperunt populum dicentes : *pax* et videntes ei visiones pacis, et non erat pax. Tales pseudoprophetas Michaeas etiam 2, 11 ob oculos habet. Nunc eos inducit prohibentes et impedientes veros Dei legatos ; ita enim v. 6 in hebr. *ne stilletis, stillant* i. e. ne vaticinemini, vaticinantur (הִטִּיף cf. Ez. 21, 2. 7. Am. 7, 16 et adhibetur de comminatoriis et gravibus ; cf. *Rib.*) ; proin dicunt : ne gravia annuntietis, sed dum hoc dicunt, ipsi tristia praedicunt, ipsi *stillant*, quia fatale est veros Dei prophetas opprimere. Sola enim castigatio quae fit per veros prophetas, posset, dummodo ea populus erudiretur, excidium imminens avertere ; id declaratur verbis sequentibus : *non stillabunt istis, non recedet opprobrium* i. e. quia vaticinia malorum non uti decet suscipiunt, non effugient exitium.

Secundum ea etiam *vulg.* verba intellige : v. 6 « *Ne loquamini loquentes* » ! — ita scil. pseudoprophetae veris oggerunt et magna praesumptione calamitatem venturam esse negant : « *non stillabit super istos, non comprehendet* [1] *confusio* » ; — i. e. tristia hisce minime annuntianda sunt, non eos capiet et obruet opprobrium ; « eloquium ab eo quod fluat

---

1. Cum *S. Hier.*, sicut *Aq.* et *Syrus* et *Chald.* notionem *assequendi* exprimat, legisse videtur ישג pro יסג vel utriusque verbi significationem, cum ס et שׂ saepius inter se commutentur, eandem esse censuit (cf. 6, 14) ; Deut. 27, 17. Iob 24, 2 verbum reddidit *transferre*, Prov. 22, 28 *transgredi* ; Is. 59, 14 *convertere*.

Fortasse in textu hebr. legi debet לֹא יַסִּיג non removebit, scil. Deus, opprobria. LXX praebent οὐ γὰρ ἀπώσεται ὀνείδη. Ceterum LXX et *Syrus stillare* — *lacrimari* explicant ; *Sym.* ἐπιτιμᾶν ; *Chald.* rito *prophetare*. In scholiis criticis affert *de Rossi* plures codd. qui ישג praebent.

et ad aures perveniat audientium, in similitudinem pluviae descendentis stillationem vocat » (*Hier.*) ; cf. Deut. 32, 2. Iob 29, 22.

Versiculus iste varie tentatur ab interpretibus : ne concionentur de his rebus ; *non est finis conviciorum* (*Hitz.*) ; sed לא non est אל ; et לָאֵלֶּה ex v. 11 verti non potest *de his rebus*, sed illos dicit, quibus fit vaticinium. Aliter *Schegg : non veniet super eos calamitas, non tanget eos opprobrium* ; at displicet, verbum הטיף in eodem versu alia et alia accipi significatione. *Houbig.* pro more suo textum mutat : non auferentur regni limites.

Etiam *vulg.* textum varie explanant : Iudaei prophetas increpant et dicunt : ne loquamini.. semper nobis praedicitis noctem et captivitatem... nihil tale patietur populus (*Rib. Sa*, *Mar.*) : vel esse verba Dei, qui populum reprehendat et admoneat, ne contemnant propheticas minas quasi nugae forent et vacui sine mente sonitus (*Sanct.*), vel esse verba alterius prophetae ad Michaeam aliosque vates : nolite prophetare illis, quia non credent ; unde vestrum eloquium non stillabit super istos i. e. non instillabit eis pia monita ; non enim comprehendet illos dolor aut pudor poenitentiae (*Lap. Men. Tir.*) ; vel non dicant amplius Israelitae : non evenient nobis mala, quae minantur prophetae (*Gord.*).

Pseudoprophetis, qui malorum comminationes prohibent, populus pleno ore, uti patet, adstipulatur seseque rationibus fucatis consolatur v. 7 « *dicit domus Iacob : numquid abbreviatus est spiritus Domini ? aut tales sunt cogitationes eius* » ? — haec scil. minis prophetarum obiiciunt : num Deus ita irascitur ? bene sensum evolvit *S. Hier.* : « nolite vos decipere, o domus Iacob, et in consolationem mutuam dicere : Deus bonus est ; non veniet captivitas quam timemus. Num larga eius misericordia et clementissimus spiritus, qui late et abundanter ortus est omnibus, tantum in nobis abbreviabitur et severus erit ? aut huiuscemodi sunt cogitationes eius, quales in hominibus cernimus, ut antiquam teneat iracundiam et ad vindictam furore subito concitetur » ? *Brevis* spiritus i. e. spiritus iracundus, impatiens ; ei opponitur longanimitas (cf. Prov. 14, 29) ; quare rite explicant : num arctatus est spiritus misericordiae (*Rib. Men. Tir.*) ; at qui de Dei potentia non imminuta exponunt (cf. Is. 50, 2 : « numquid abbreviata est manus mea » ?), ab huius locutionis proprietate recedunt.

Rationibus istis, quae falso praetenduntur, ne minae Dei valere videantur, Deus respondet ex norma aeternae iustitiae et sanctitatis : « *nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur* » ? — i. e. bonus sum et verba mea sonant clementiam, sed ad eos qui recto itinere gradiuntur (*Hier.*) ; cf. Ps. 17, 26. 27 : « cum sancto sanctus eris ; .. cum perverso perverteris » ; Dei enim benignitas, qua *verba bona* i. e. promissiones faustas hominibus communicat, talis necessario est, ut iustitiam et sanctitatem comitem habeat.

In hebr. הָאָמוּר difficultate non caret; alii vertunt : *o dicta* (*nominata*) *domus Iacob* (*Vat. Pagninus, Keil, Reinke, Trochon*); alii *num dici debet* (*Hitz. Schegg*); at valde dubium est, an אָמוּר esse possit *dicendum*. Quare simplicius verte : *nonne dicitur, domus Iacob*? i. e. nonne talia in modum axiomatis et proverbii iactare soletis? Sensum igitur versio *vulg*. bene assecuta est. Prius : *o quae vocaris domus Iacob*, hoc loco satis frigidum est; at cum rationes *falsae* afferantur, aptum omnino est, ut qui eas proponat antea clare designetur. Hoc autem fit in nostra translatione, a qua LXX ὁ λέγων et sim. *Chald*. minime absunt. *Syrus* id refert ad antecedentia : ne assequatur vos opprobrium, quod dictum est de domo Iacob.

Sed quantopere populus dissimilis est ei, *qui recte graditur*? quare igitur de bonis Dei verbis sibi vane blandiuntur? v. 8 « *et e contrario* [1] *populus meus in adversarium consurrexit : desuper tunica pallium sustulistis et eos qui transibant simpliciter, convertistis in bellum* »; — i. e. populus quasi adversarius et rebellis surrexit contra Deum; et quantopere se probet adversarium et inimicum rebellem ostendit propheta ex rapinis commissis, quibus opprimunt homines paci studentes et nihil violentiae suspicantes; eos qui pacifice rebus suis occupantur hostili modo aggressi bellis ac litibus implicare satagunt. Hebr. verte : *detrahitis a transeuntibus secure, qui aversi sunt a bello* [2] i. e. qui litigationes, tumultus, violentias abhorrent. Cum vero Dominus sit Deus pacis, qui rapinas prohibet, populus talia committens quasi rebellis et hostis in Deum assurgit. Idque eo magis, quia Dominum, qui sit Deus viduarum ac pupillorum, speciali ratione offendunt et ad vindictam provocant v. 9 « *mulieres populi mei eiecistis de domo deliciarum suarum, a parvulis eorum tulistis laudem meam in perpetuum* »; — i. e. de aedibus carissimis, quas propter longam inhabitandi et possidendi consuetudinem amant et quo magis instet periculum eas amittendi, eo magis diligunt, uti fert natura humana. *Mulieres* i. e. uxores, viduae varia ratione expelli possunt v. g. si uxores traducuntur apud maritos ita ut repudientur; vel si vi aperta,

---

1. Adnotat *S. Hier*. : « hoc autem quod nos vertimus : *et e contrario*... quia verbum מוּל et *contrarium* et *diem hesternum* sonat, *Symmachus* apertius transtulit ut diceret : *ante unam diem populus meus quasi inimicus restitit*, ut solveret quaestionem, quod Deus non praeterita vitia imputaret populo, sed recentia et quae quasi die commissa viderentur hesterno ». LXX habent ἔμπροσθεν et hac significatione אֶתְמוֹל saepius adhibetur cf. Is. 30, 33 et certe etiam nostro loco : populi rebellionem iam inveterasse ex longo tempore dicere vult. Significatio *e contrario* potius inest אֶל־מוּל.

2. Cf. Is. 59, 20. Legisse videtur *S. Hier*. שָׁבֵי pro שׁוּבֵי. Ceterum in hoc membro vertendo veteres varia proferunt et mire variant. LXX et *Syrus* in aliquibus conveniunt; *Chald*. praebet : transeuntes per terram eorum confidenter convertuntur in eos quasi bello confractos. — Neque recentiores unam concordemque produnt sententiam; v. g. *Trochon* vertendum esse censet : et vous les traitez, comme si c'étaient des prisonniers de guerre.

vel dolo, vel iniusto iudicio forensi spoliantur etc. Ita parvulos quoque summae miseriae tradiderunt et omnia illa, quibus Deus iis provisum esse voluit ad salutem et prosperitatem tum corporis tum animi, crudeliter iis eripiunt; haec enim sunt, quae h. l. nomine *laudis*, הָדָר gloriae, decoris a Deo dati comprehenduntur. Deus enim magna gloriatione se vocat Deum et protectorem pupillorum iisque consultum esse voluit specialibus praeceptis (cf. Ex. 22, 22. Deut. 10, 18; 14, 29; 16, 11; 24, 17-21 etc.); unde qui eam protectionem auferunt, iuremerito *ornatum* a Deo pupillis concessum abripere dicuntur. — Eadem reprehendit Is. 1, 23; 10, 2. Ier. 5, 28; 7, 6. Ez. 22, 7.

Hac generali acceptione etiam includuntur particularia ea, quae alia ab aliis afferuntur: oppressi et seducti idololatria impediuntur a laude divina *(Sa, Men.)*; vel bona hereditatis, quibus si eos gaudere permisissetis, me perpetuo laudarent *(Rib. Tir.)*; vel: in miseriis constituti contra Deum eiusque providentiam murmurant *(Alb.)*; vel: fecistis eos sibi et mihi viles et inglorios *(Lap.)*. Frigidum atque ieiunum est, quod *Keil* vult: intelligi vestimentum, quod pauperi loco pignoris auferatur (Ex. 22, 25); melius *Hitz.* decus illud explicat, quo « populus Iahve » vocentur, super quos invocatum sit nomen Domini. — Alia vide apud *Sanct. Lap. Calm. Schegg.*

Enumeratione scelerum iniustitiae et crudelitatis in inopes propheta sancta quadam indignatione incaluit; quare vindictam divinam approbans scelestos illos e terra sancta eiiciendos esse sollemniter protestatur: v. 10 « *surgite et ite, quia non habetis hic requiem. Propter immunditiam eius corrumpetur putredine pessima* »; — hebr. *quia non erit haec* terra *requies*; tamquam *requies* terra palaestinensis Israelitis a Deo erat concessa (cf. מְנוּחָה Deut. 12, 9. 1 Reg. 8, 56); quare nunc « docet non debere in terra sanctorum populum habitare impiorum » (*Ephr.*); terram enim sanctam vitiis suis macularunt et polluerunt et haec terrae sanctae profanatio extremum iis affert exitium: ita in hebr. *propter immunditiam* (*quae*) *perdet* [1] *perditione maxima*; terram pollui sceleribus incolarum, frequenter affertur in sacris literis; cf. Lev. 18, 25. Num. 35, 33. Ier. 2, 7. Ez. 36, 18; et haec commaculatio terrae sanctae iram Dei et vindictam provocat. Textum *vulg.* plerumque intelligunt de vastatione et desolatione per hostes afferenda, qua ipsa terra sancta prosterneturur (cf. *Alb. Rib. Sanct. Lap. Men. Tir.*) « captivitate videlicet vel babylonica vel romana » (*S. Hier.*). Ceterum idem *S. Hier.* explicat: « surgite itaque et ite in captivitatem, quia in hac terra requiem non habetis, quae propter scelera vestra polluta est et mundari non poterit, nisi longum sabbatum ante celebraverit »; quare

1. *S. Hier.* videtur legisse *pual* eiusdem verbi.

« *corrumpetur* » merito ex mente *S. Hier.* tempore praesente explicatur, quasi *putrescit* terra putredine pessima et foetet propter immunditiem eorum; unde non mirum, si terra eos evomat, sicut evomuit priscos illos foedosque peccatores (cf. Lev. 18, 28).

Eiusmodi minae et vaticinia populo grata non sunt; quare veros prophetas, scelerum reprehensores, aversatur et illis cum approbatione adhaeret, qui vitiis blandientes vel ea dissimulantes pacem, securitatem, vitam genialem commendant et annuntiant. Hanc pessimam stultae plebis conditionem propheta acerbe perstringit, dicens ex textu hebr. v. 11 *si esset vir ventum persequens et qui fraudem mentiretur*[1] *: « stillabo tibi in vinum et siceram », is foret vates huius populi*[2]; ita textum hebr. iam rite intellexerunt *Pagninus, Montanus, Isidorus Clarius, Vatablus, Paulus Burgensis* (insuper cf. *Rib. Sanct. Lap. Est.*)*; ventum* i. e. inane, fallax, vanum persequens, qui ad compotationes instituendas illos faustis suis oraculis ac blandimentis adhortaretur vel saltem luxuriem et falsam securitatem non perturbaret, talis esset vates gratus et acceptus populo huic.

Aliter *S. Hier.* textum hebr. intellexit; v. 11 « *utinam non essem vir habens spiritum et mendacium potius loquerer: stillabo tibi in vinum et in ebrietatem et erit super quem stillatur populus iste* »; — ipse sit suae versionis, quam ab Hebraeis se accepisse dicit, explanator: « ut non me putetis volentem loqui et praedicare gaudentem, quod venturum video: optarem et ipse anathema esse pro fratribus meis... utinam de meo sensu loquerer et sanctum Spiritum non haberem ... verum quia prophetà sum et Dei spiritu loquor, praedico veritatem: propterea stillabo tibi sermonem meum in meracum vinum quod te inebriet et corruere faciat. Me autem stillante et futurae captivitatis malum canente, populus iste meas suscipiet pluvias, hoc est, vult, non vult, sustinere habet quae dico »; sim. *Rib. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord. Calm.*, qui etiam *stillare in vinum* eodem modo explicant de vino furoris Domini, quo inebriandi sint, dum *Mar.* aliud praefert: utinam stillarem ex vino i. e. quasi ebrius sine sensu verba inania, ut solent vino madidi, proferrem. Ad huius textus sensum bene remittit *Sanct.* ad Ier. 28, 6, ubi Ieremias ad vaticinium faustum Hananiae respondet: « amen, sic faciat Dominus, suscitet Deus verba tua »... simili mente locutum esse ait Michaeam; et *Estius* alterius Michaeae dictum allegat 3 Reg. 22, 15, qui prius per ironiam bona praedixit, sed serio adiuratus tristia prophetavit et pro remuneratione in carcerem missus fuit.

---

1. Hebr. etiam ita iungi et verti potest: *si vir iret* (exsisteret, prodiret), *spiritum mendacii mentiretur* (*Fürst* L.), vel: *et ventum et fraudem mentiretur* (*Hitz. Schegg*). *Syrus* ita habet: vir ambulans in spiritu fallaciter et mendaciter, stillavit tibi vinum et ebrietatem.

2. Aliqui codd. habent לָעָם; cf. *de Rossi*.

Textus hebr. planior est atque simplicior : vates ventosus et mendax, qui de corde suo prospera vaticinaretur, est is quem populus exoptat. Ita simul populi perniciem designat, qui caecus caecos duces et falso sibi blandientes sequitur; quare non mirum est, si in praecipitium ruunt. Graviter concludit ea protestatione comminationes suas, distinctissime efferens, quale discrimen intercedat inter prophetam Dei et prophetam « de corde suo » (cf. Ez. 13, 2. 17). Verus enim propheta scelera castigat poenamque denuntiat; fausta vero non promittit nisi iis qui corde contrito resipuerint, et prosperrima quaeque demum tempore messianico fore ut populo Dei contingant pollicetur. Id quod Michaeas quoque v. 12. 13 praestat.

Facile explicatur, quomodo *S. Hier.* suam ex textu hebr. protulerit versionem. Accepit enim לו significatione *utinam*, qua haec particula etiam praedita est — aliis in locis illam vertit *si* cf. Iud. 8, 19. Ez. 14, 15. 1 Reg. 14, 30. 2 Reg. 18, 12 etc. — postquam autem eam adoptavit et simul *spiritum* bono sensu est interpretatus, debuit, ut sensus adesset, inserere *non* et in altero membro *potius*. Illud *in vinum stillare* tantum coacte et interpretatione longius petita explanari potest : vaticinari eam calamitatem, qua stupore et vertigine sint corripiendi; quoties tale quid prophetae dicere volunt, planius loquuntur; cf. Is. 19, 14; 29, 9. Ier. 25, 15 etc. Quare interpretatio ex hebr. deprompta praeferenda est. Cum ea etiam aliqua ratione concordant *Syrus* et *Chald.* — De versione autem LXX hoc iudicium tulit *S. Hier.* : « interpretatio Septuaginta (si tamen Septuaginta est; Iosephus enim scribit et Iudaei tradunt quinque tantum libros legis Moysi ab eis translatos et Ptolemaeo regi traditos) tantum discordat in praesenti loco ab hebraica veritate, ut nec capita possimus ex aequo ponere, nec eorum simul sententias explicare » ita ad v. 9. 10; et ad 11. 12 : « et in hoc capite multum Septuaginta interpretes ab hebraico discrepant ». Discrepant, neque tamen adeo ut LXX, etiam *Syrus* et *Chald.*; at uterque in eo cum hebr. et LXX concordant, quod v. 11 de falsis prophetis explicant. — Accuratius de discrepantiis disputatum invenies apud *Reinke* (Beitraege, IX p. 22 seq.).

γ) Promissio instaurationis 2, 12-13.

« Ne arbitremini malorum me esse tantum vatem; nunc quidem veniet praedicta captivitas, sed ecce in me sermo loquitur, qui ad omnes prophetas fit » (*Hier.*). Instare captivitatis et exsilii poenam iterato hucusque vaticinatus est (cf. 1, 8. 9. 11. 16; 2, 4. 5. 10); subito ad laetiora transit, uti Os. 1, 10. Am. 9, 11. Finis enim castigationis est, ut populus ad meliorem frugem rediens praeparetur ad bona Dei messianica suscipienda, quae multis iam promissis ei proposita sunt (cf. ad Os. 1, 10; 2, 6. 8. Ier. 3, 23; 14, 20); sola enim, ut Isaias inquit (28, 19), vexatio dabit intellectum. Insuper iam Lev. 26, 41. Deut. 30, 2 seq. sicuti captivitas, ita et instauratio populi adumbrata est. Haec autem accuratius proponitur, ut ingruentibus calamitatibus sit consolationi et eruditioni pro piis. Ita scil. verbum Dei *lucerna* est in nocte tribulationum, et haec

est tessera tempore oppressionis : « ad legem et ad testimonium : exspectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Iacob et praestolabor eum » (Is. 8, 17. 20. cf. Mich. 7, 9).

Praedictio instaurationis accommodatur captivitati, abductioni, dispersioni inter gentes, quae instat ; unde v. 12 « *Congregatione congregabo Iacob totum te, in unum conducam reliquias Israel ; pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum ; tumultuabuntur a multitudine hominum* » ; — sollemniter et emphatice illa gloriosa populi dispersi collectio effertur : hebr. *congregando congregabo.. colligendo colligam*, est quasi triumphantis gloriatio et gratulabundi iubilus ; *totum te* i. e. nulla pars, tribus nulla, nulla familia de se excluditur, abiicitur ; *omnibus* praesto est Dei voluntas benigna et gratia auxiliatrix ; verum *reliquiae* solae efficaciter invitanti Deo obsequentur (cf. Is. 10, 21. 22). Ergo ne nimium confidant quia sint stirps a patriarchis progenita; populus non abiicitur, at *singuli* caveant, ne sua culpa abscindantur! Contra vanam ac superbam fiduciam, qua neglectis prophetarum monitis sibi de salute blandiuntur, propheta opportune mentionem infert de *reliquiis*. Sed quamvis *reliquiae* sint, tamen Deus gregem numerosum sibi providebit, quem pascuis optimis abundantem sua protectione et cura circumdabit ; « tunc te muro firmissimo sepiam... tumultus vox plurimorum est et nimiae multitudinis clamor pariter emissus » (*Hier.*) cf. Os. 1, 10. 11. Usitatum est populum Dei sub *gregis* nomine et schemate repraesentari, cuius curam agat Deus pastor bonus vel eius loco et nomine pastores theocratici[1]. *In ovili* etc. munimenta innuuntur, quibus grex Domini novus ab hostium incursibus securus erit ; *in medio caularum* curam designat et providentiam pastoris, qua bona omnia gregi praebet. Haec autem laeto strepitu concelebrant i. e. bonis fruuntur et quam excellentia sint, magna animorum laetitia agnoscunt et profitentur.

Hebr. בָּצְרָה recentiores nomen urbis *Bosrae* interpretantur : *sicut oves Bosrae* (cf. apud *Rib. Lap. Keil, Reinke*) et intelligunt *Bosram* in Idumaea, de qua civitate vide Gen. 36, 33. Is. 34, 6 ; 63, 1. Ier. 49, 13. 22. Am. 1, 12 (hodie eo in loco *Busseirah* inveniri volunt ; cf. *Winer* s. v.) ; civitatem illam gregibus abundasse facile quidem ex Is. 34, 6 colligitur ; at veteres omnes interpretes, LXX, *Syrus*, *S. Hier. Chald.* et *Aq.* quoque et *Sym.* (cf. cod. syr. hexapl.) nomen appellativum nostro loco agnoverunt, idque valide corroboratur membro altero parallelo : *sicuti grex mediis in pascuis*, quare בָּצְרָה optime explicabis cum *S. Hier.* ex vocis etymo de *septo*, de ovili, de loco munito et custodito (cf. *Ges.* Thes. s. v. *Fürst L.*). LXX et *Syrus* legerunt בַּצָּרָה ἐν θλίψει.

---

1. Cf. 2 Reg. 5, 2 ; 7, 7. 1 Par. 11, 2 ; 17, 6. Is. 40, 11 ; 49, 9. Ier. 3, 15 ; 23, 4. Ez. 34, 13 etc.

Alii demum urbem intelligunt in Auranitide sitam, quam *Bostram Arabiae* Romani vocabant et quae Eusebio teste ab Adrais abfuit 24 milliaribus romanis. Verum eousque Edomitas suam extendisse ditionem, scil. ultra regiones moabiticas et ammoniticas, valde incertum est. Accedit quod *Bostrae* urbis certa mentio ante Traiani Imperatoris tempora non fit; insuper *Bostra* in regione plana et campestri sita est, dum Ier. 49, 22 regionem montanam indicari certum est. Accuratiora vide v. g. apud *R. Riess*, Bibl. Geogr. p. 12; *Schenkel*, Bibel-lex. I p. 475.

Descripsit gregem Domini collectum, bonis fruentem; iam explicatius delineat, qua ratione instauratio illa et reditus ex captivitate effici debeat v. 13 « *ascendet enim pandens iter ante eos; divident et transibunt portam et ingredientur per eam; et transibit rex eorum coram eis et Dominus in capite eorum* »; — nervose hebr. *ascendit perruptor ante eos* vel effractor, qui repagula et obices perfringit, carceres diffringit et aperit, omnia obstacula potenter removet; eo auspice etiam ipsi captivi *perrumpunt et transeunt per portam et ingrediuntur in ea* i. e. libere et non sine pompa quadam egrediuntur et iter arripiunt; itineris dux est rex eorum; et uti in exitu ex Aegypto Dominus in nube et columna ignis ante agmina Israelitarum praecessit, ita in hac quoque liberatione sublimiore Dominus ductor est agminis et quasi imperator parta victoria suos in patriam reducit. *Perrumpunt* i. e. opus est, ut simul cum Domino liberatore et victore cooperentur, ut etiam ipsi suas agant partes fortiter et constanter; reditus erit sollemnis, gravis, securus; id quod verba *transibunt, ingredientur* depingunt; cf. Is. 52, 12: « quoniam non in tumultu exibitis nec in fuga properabitis: praecedet enim vos Dominus »; agmine optime composito revertentur duce Domino cf. Os. 1, 11; 3, 5. Is. 40, 10.

Hisce lineamentis generalibus sacer vates futuram rerum instaurationem adumbrat. Quodsi de impletione vaticinii quaesieris, iis certe interpretibus palma danda est, qui in reditu duce Zorobabel facto tenuem quandam inchoationem, in redemptione vero per Messiam facta impletionem cernunt (cf. *Lap. Mar. Calm.*). Messias enim populum dispersum colligit in unum, ipse pastor bonus suis abundantia praestat pascua et protector adstat; cum fines terrae sint eius hereditas, gregem pascet numerosissimum; ipse demum vincula populi rupit, ipse tamquam dux viam aperuit et praecessit, quem sequi debent quicumque salutem adipisci volunt; ipse est noster ἀρχηγός (Hebr. 12, 2 — cf. Mich. 5, 4 seq. 7, 14. Is. 49, 6. 9. Ez. 34, 23 etc.).

Et cum verba generalia prorsus sint et sine ullo temporis discrimine normam Dei exhibeant, qua usurus sit in epocha instaurationis, etiam ultima illa populi israelitici collectio, de qua S. Paulus Rom. 11, 25, eo verborum ambitu iuremerito includitur (cf. *Rup.*). Mos etenim prophetarum est, ut rite adnotat *Rib.*, multa praedicere, quae non simul, sed per longum spatium temporis implentur.

Locum hunc messianicum esse, interpretes latini, si *Sanct.* et *Tir.* exceperis, consentiunt (cf. *Hier. Haim. Alb. Sa, Gord.* etc.); ex graecis *Theoph.* post alia messianicam quoque expositionem in medium profert. Verum alii interpretes, uti *S. Ephr. Cyr. Theod. Theod. M.* in hisce versibus obsidionem et cladem vel samaritanam (*Cyr. Sanct.*) vel hierosolymitanam sub Babyloniis (*S. Ephr. Theod. Theod. M.* — utramque *Cyr. Tir.*) cernunt; ad quam expositionem potissimum inducti videntur versione illa : ὡς πρόβατα ἐν θλίψει. Ii v. 13 Dominum vident, qui Assyriis et Babyloniis viam pandat ad urbes exscindendas; in *rege* alludi censent alii ad Sedeciae fugam et fatum (cf. *S. Ephr. Theod. Theoph. Tir.*), alii ad Salmanassar (*Sanct.*). Sed totus contextus et ipsa verba non cladem Israelitis annuntiant, verum laeta promissa explicant. Adde, quod si textum comparaveris cum aliis locis indubie messianicis, maximam quandam similitudinem deprehendes : emblemata, ut ita dicam, et signa messianica hic collecta invenis : populi collectio, reliquiae salvatae, grex Domini numerosissimus, bonis abundans et laetitia gestiens, Dominus rex ac triumphator, quem victores sequuntur, totidem sunt argumenta, agi hic de instauratione messianica. — Ipsa argumenti sublimitate iam exploditur sententia ab *Ewald* proposita, v. 12. 13 ut interpolationem debere eiici. Praeterea attende, quam apte post minas subsequatur promissio instaurationis, quomodo idem in unaquaque Michaeae oratione cernatur (cf. 4, 1 ; 7, 11 seq.) et a reliquis quoque prophetis sit observatum, et audaciam criticorum ridebis qui sine ulla ratione et contra veterum testium auctoritatem textum mutilare conantur.

II. — ORATIO ALTERA CAP. 3 - 5.

ARG. — Ordinibus singulis principum, pseudoprophetarum, sacerdotum sua denuntiat vates crimina suasque poenas : *principes* odio habent bonum et iustum, innocentes crudeliter opprimunt; quare tempore angustiarum a Domino deserentur (3, 1 - 4); *pseudoprophetae* populum seducunt turpi lucro inhiantes; quare maxima confusione et calamitate obruentur; quam poenam vates intrepidus securis illis et vana fiducia elatis libere annuntiat (3, 5-8); principes et sacerdotes et pseudoprophetae perverse agunt, lucri cupiditate sancta profanant et nihilominus audaci praesumptione incolumitatem sibi promittunt; at propter omnium ordinum scelera et arx regia et urbs et templum evertetur (3, 9 - 12).

Triplici huic eversioni triplicem subiungit instaurationem messianico tempore futuram. Et primo quidem *montis templi* exaltationem describit, ad quem omnes gentes properabunt legis sacrae discendae causa, regnumque Domino imperante constituent pace et felicitate abundans (4, 1 - 5); dein urbis populique, demum regiae potestatis instaurationem et splendorem sub Domini imperio aeterno vaticinatur (4, 6 - 8). Verum antequam ad tale fastigium perveniatur, acerbae castigationes et

calamitates subeundae sunt. Eas *triplici* quoque ratione proponit triplici liberatione et exaltatione subiuncta. Primo enim filiae Sion regni interitum, exsilium babylonicum, sed liberationem quoque praedicit (4, 9. 10). Secundo civitatis *sanctae* oppressionem et profanationem quam gentes inferre conabuntur, vaticinatur simul cum insigni victoria, qua earum spolia Domino consecrabuntur (4, 11 - 13). Tertio contumeliam et humiliationem designat, qua respublica prosternetur; eam tollet Dominator qui ex Bethlehem oriundus, ab aeterno exsistens populum Dei dispersum colliget (5, 1 - 3). Ipse enim dominationem gloria et pace plenam instituet, hostes superabit et subiiciet, ita ut populus Dei electus omnibus gentibus sit vel saluti vel terrori (5, 4 - 8). Quae omnia postquam propheta fausta acclamatione ut fierent optavit, denuo viam paucis delineat, qua ad illa pertingendum sit: iri scil. destructum potentiam bellicam, idololatriam in Israel, foreque iudicium Dei contra gentes contumaces (5, 9 - 14).

a) Crimina principum et poena 3, 1 - 4.

Quod vates 2, 1 et seq. generatim reprehenderat, iam in singulis ordinibus primorum prosequitur; ostendit, quantopere *capita Iacob* i. e. principes tribuum et cognationum et duces Israel i. e. iudices, gubernatores, qui civitatibus familiisque praefecti iuris administrandi curam habebant, a munere et officio defecerint in extremam perversitatem prolapsi: v. 1 « *Et dixi: audite principes Iacob et duces domus Israel: numquid non vestrum est scire iudicium* »? — i. e. ut reipsa faciatis iudicium, q. e. id quod iustum ac rectum ac lege Dei praescriptum et ipsi maximi aestimetis et in opus deducatis et in iure dicendo et rebus administrandis sequamini (cf. *Sanct. Lap.*); « vos debuistis apprime officium vestrum discernere, vitium aversari, virtutem amplecti, quoniam haec omnia ego vos docueram tum legis constitutione tum aliis, quae saepe ob hunc finem edixi » *(Theod. M.)*. Verum contraria et animis conceperunt et operibus exprimunt; nervose exprimitur in hebr. ope participiorum: *odio habentes bonum etc.* v. 2 « *qui odio habetis bonum et diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis et carnem eorum desuper ossibus eorum;* v. 3 *qui comederunt carnem populi mei et pellem eorum desuper excoriaverunt et ossa eorum confregerunt et conciderunt sicut in lebete et quasi carnem in medio ollae* »; — i. e. non pastores sunt, verum laniones et latrones; populum iniuste opprimunt, spoliant, crudelitate magna et avaritia insatiabili excruciant; rei indignitatem vates declarat metaphoris per singula propositis: pellem detrahere, carnes avellere ab ossibus, omnia devorare, ossa confringere, ut medulla habeatur et sorbeatur; demum omnia minuta-

tim concidere, *sicut quae in lebete* (hebr.). Ita scil. *odium* boni iustique produnt et *amorem* mali manifestant (Is. 5, 20), quare carnificis et lanionis opus adeo singillatim proponitur. *Rem* [1] declarat *Chald.* : « rapientes opes populi et divitias pretiosas ab iis tollentes ; et qui diripuerunt opes populi mei et divitias pretiosas ab iis tollunt et reliquias eorum consumunt, conversi dividunt eos quemadmodum qui dividunt membra in medio lebetis » (i. e. in frusta concidunt — cf. apud *Rib. Lap.*).

Sed qui misericordiam denegabant, ipsi non invenient misericordiam. Tantis ac tot obruentur malis, ut contemptores Dei et superbi tyranni misere lamentari cogantur : v. 4 « *tunc clamabunt ad Dominum et non exaudiet eos et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt adinventionibus suis* » ; — cf. 2, 3. Prov. 1, 28 ; « cum venerit dies ultionis, clamabunt ad Dominum et non exaudientur, quia nec ipsi rogantes audierunt ; et extendent manus suas ad Dominum et Deus avertet faciem suam ab eis, quia et illi averterunt a precantibus vultum » (*S. Hier.*). In hebr. per modum *optativi* vates affectum suum, quo iusto Dei iudicio subscribit et scelestos illos principes poenis cohiberi desiderat, publice prodit : *et abscondat faciem* i. e. non tantum subtrahere opem et favorem (*Lap.*), sed iram, vindictam infligere ex animo quasi exulcerato. *Sicut* illi egerunt, *ita* [2] pro mensura criminum iis poena rependetur (cf. *Reinke*).

b) **Pseudoprophetarum reprehensio 3, 5-8.**

Isti peccata populi dissimulantes et vaticiniis adulatoriis aures demulcentes perniciem creabant ; quare Ieremias postmodum conquestus est : « prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent » (Lament. 2, 14. *Sanct.*). Tales describit et arguit (cf. 2, 6) vates : v. 5 « *Haec dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis et praedicant pacem ; et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum proelium* » ; — plerique explanant : qui dum habeant quod dentibus mordeant i. e. quod devorent, fausta annuntiant, qui turpis lucri gratia ea vaticinantur quae hominibus placeant (cf. *Hier. Chald. Alb. Rib. Sanct. Lap. Sa, Mar. Tir. Calm. Schegg, Keil, Tro-*

1. Minime opus est metaphoram per singula velle explicare ; ita v. g. *Alb. pelles* exteriora bona, *carnes* declarat « mollia et delicata ad fomentum teneritudinis humanae concessa, tam in vestitu quam in lectulo et esculento et poculento », *ossa* vires corporis et virtutes animae ; *Sanct.* vestes, alimenta, onera quae imponentur gravia etc.

2. כַּאֲשֶׁר cf. Num. 27, 14. 1 Sam. 28, 18. 2 Chron. 21, 7 (*Hitz. Keil*) ; alii, et probabiliter melius, vertunt *quia* ; uti LXX ἀνθ' ὧν. Prius expressit *Chald.*

chon) ; at cum *dentibus mordere* inusitatum sit pro *comedere* vel multo magis pro eo quod h. l. requireretur : *accipere quod comedant*, neque ea interpretatio altero membro exigatur, assentiendum erit graecis interpretibus : populum uti seducunt, ita misere laedunt, mordent, discerpunt, ipsa sua pacis et securitatis denuntiatione ruinam adducunt (cf. *Cyr. Theod. Theod. M.*) ; dum dulcia (pacem) loquuntur, revera mordent, i. e. venena et mortem spargunt. Turpe lucrum altero membro satis declaratur : qui non large eis tribuit et ita ora maledica iis occludit, ei nomine Dei indicunt bellum et omnia adversa minantur tamquam impio ac reprobo, qui Dei prophetas spreverit (*Tir.*) ; cf. Ier. 23, 16 seq. Ez. 13, 19.

At vae iis, qui de suo corde prophetant v. 6 « *propterea nox vobis pro visione erit et tenebrae vobis pro divinatione et occumbet sol super prophetas et obtenebrabitur super eos dies* » ; — i. e. in poenam [1] fraudis commissae, qua divinam missionem et inspirationem commenti sunt, extremis calamitatibus obruentur, quae *noctis* et *tenebrarum* similitudine exprimuntur ; « non quod revera sol super ipsis radios suos contraxerit aut aurorae lumen obtenebratum sit ; sed quod calamitatis acerbitas ipsis instar tenebrarum et obscurae noctis et radii solaris occasus et lucis contractio et quid non huiuscemodi tandem fieri contigit. Dira enim et immensa mala mentem inebriant et turbulentum reddunt cor et tenebris implent » (*Cyr.*) ; cf. Ier. 15, 9. Am. 8, 9. Et cum prorsus contraria iis, quae vaticinati erant, contigissent, ipsi pseudovates omnium contemptu onerati in maximam ignominiam incident v. 7 « *et confundentur qui vident visiones et confundentur divini et operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei* » ; — hebr. *obvelabunt omnes mystacem*, i. e. os cum barba ; id quod lugentium est (cf. Lev. 13, 45. Ez. 24, 17. 22) et pudefactorum ; simili modo caput dicitur operiri ; cf. Ez. 12, 6. Esth. 6, 12 (*Sanct. Lap.*). Postquam enim, ut ait *S. Cyr.*, eventum rerum cum eorum dictis pugnare compertum est, necessario pro falsidicis, pro assentatoribus et impostoribus damnati sunt ; quin etiam tantam ignominiae labem contraxerunt, ut animum illis advertere nemo vellet (sim. *Theod. M. Theoph.*). Et qui veros prophetas ludibrio habebant, etiam eo punientur, quod tempore calamitatis sine solatio prophetico relinquentur ; cf. Am. 8, 12. Lament. 2, 9 : « prophetae eius non invenerunt visionem a Domino » ; Ps. 73, 9 : « signa nostra non vidimus ; iam non

1. מִן LXX ἐξ ὁράσεως ; et haec explicatio optime congruit. Aliis placet explanare : *loco visionis* obtinget nox ; aliis : nox *sine* visione obtinget ; vel : ingruet nox, ita ut non habeatis visionem (*Schegg, Reinke* ; et iam *Sym.* ex cod. syr. hexapl. et *Chald.*) ; sed parum est, pseudoprophetis solum cessationem vaticiniorum denuntiari, vel cum *Trochon* iis tantum declarari, nocte illa ingruente iam non fore opportunitatem visiones publice enarrandi.

est propheta et nos non cognoscit amplius » ; Ez. 7, 26. Os. 3, 4. Dan. 3, 38.

Contra blandimenta et assentationes pseudoprophetarum quae sint veri prophetae partes, effert v. 8 « *verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio et virtute, ut annuntiem Iacob scelus suum et Israel peccatum suum* » ; — hebr. *repletus sum fortitudine, spiritu* [1] *Domini.* Vera Dei vocatio animum vatis instruit *fortitudine*, qua pericula, minas, mortem spernit ; *spiritu Domini*, ut verba Dei vera cum gravitate et auctoritate annuntiet ; *iudicio* [2], quo peccatoribus non pacem, sed supplicia praedicat eosque coerceat ; neque aures demulcet, sed *virtute* Dei libere increpat et in scelera invehitur, quae publice et apud omnes coarguit ; « nullo enim metu frangar, sed audacter loquar ; quare exprobrabo Iacob impietates eius »... (*Theoph.*). Propter temporis necessitatem bis commemoratur fortitudo, virtus, qua prophetis mala vaticinantibus et peccata reprehendentibus semper quam maxime opus erat. Exemplum fortitudinis et gravis increpationis statim sequitur, 3, 9 et seq.

c) **Theocratiae eversio 3, 9-13.**

« Probat iam reipsa a spiritu divino sibi adesse afflatum atque constantiam, cum principes et iudices eorum scelerum arguat, idque cum libertate prophetica, quae ipsis non poterant non esse pudori atque offensioni ; deinde quia Hierosolymae id minatur, quo nihil timeri poterat horribilius » (*Sanct.*) ; unde v. 9 « *Audite hoc, principes domus Iacob et iudices domus Israel, qui abominamini iudicium et omnia recta pervertitis* » ! — *hoc* i. e. me esse repletum spiritu Domini etc. ut annuntiem Iacob scelus suum ; eosdem alloquitur in hebr. quos 3, 1 nominarat. Ea obiicit, quibus graviora excogitari nequeunt pro principibus et magistratibus, qui legum et iustitiae (i. e. iudicii, iuris) custodes et vindices esse debebant ; omnia iura et divina et humana violant. Atque id exemplo uno probat v. 10 « *qui aedificatis Sion in sanguinibus et Ierusalem in iniquitate* » ; — i. e. « rapinis pauperum, caede innocentium, occisione sanctorum » (*Hier.*) ; « magnificas domus et palatia exstruitis et omni supellectile pretiosa instruitis, exsugendo facultates, labores et sanguinem pauperum per iniqua tributa, iudicia, usuras, fraudes, oppressio-

---

1. את scil. saepius ad verbum מלא adiungitur : cf. Ier. 6. 11. Ex. 1, 7. 1 Reg. 7, 14. 2 Reg. 3, 20. Ez. 10, 4 (*Ros.*) ; vel verto *fortitudine cum spiritu Domini plenus sum.*

2. H. l. non veritatis discretio (*Alb. Lap.*), sed divinae punitiones intelliguntur (*Sa, Men. Tir.*). Parum est quod *Reinke* vult, designari solum *ius* quod vati a Deo datum sit annuntiandi veritatem. Id iam in vocatione prophetica et continetur et agnoscitur.

nes etc. » (*Lap.* sim. *Rib. Sa, Mar. Men. Tir. Calm. Schegg*); « sanguinum enim nomine saepe in sacris literis significatur omnis iniusta vis in proximum, sive ea fit occidendo, sive calumniis et extorsionibus opprimendo » (*Est.*); cf. Eccli. 34, 24, 25. Eadem arguit Ieremias in Ioakim rege Ier. 22, 13.

S. Ephr. caedes explicat eorum, quorum domus ad aedificanda palatia occupare volebant. Graeci alia ratione exponunt : eos scil. putasse, caedibus et sanguine per scelus effuso instaurari posse Sion et Ierusalem inclytam et conspicuam reddi (*Cyr.*); vel : eos per iniquam caedem rempublicam administrantes eam regiminis formam construxisse, quae cruore et iniquitate redundaret (*Theoph.*). *Sanct.* rem explanat ex tempore Ezechiae, qui contra Assyrios munivit muros Ierusalem, ideoque domus muris vicinas destruxit (cf. Is. 22, 10. Eccli. 48, 19); unde suspicatur *Sanct.* hic notari principes, qui pretium domuum istarum ex publico aerario solutum sibi retinuerint et pauperes ad labores gratuito praestandos compulerint. Seniores quidem apud Ier. 26, 17 dicunt, vaticinium hoc v. 12 editum esse tempore Ezechiae. Id sane verum est. At eo tempore non *primo* esse a Michaea propositum, inde efficitur, quod iam cp. 2 apud Isaiam tempore Ioathan vaticinium de monte Domini legitur, quod immediate sequitur et prius illud de destructione supponit. Quare dubitari nequit, quin Michaeas iam ante Ezechiam illud ediderit; unde cum invehi in principes Ezechiae probari non potest. Neque dici potest, Michaeam vaticinium forte ex Isaia transsumpsisse; nam apud Michaeam suo in contextu legitur et arcte ad antecedentia adiungitur, ex quibus omnino pendet, dum apud Isaiam tamquam effatum iam aliunde notum subito inducitur (cf. quae annotavi in Erklaerung des Proph. Is. p. 38).

Demum omnium ordinum scelera complexus[1] propheta stupidam illam fiduciam exagitat, qua mediis in criminibus immunitatem sibi pollicebantur; v. 11 « *principes eius in muneribus iudicabant et sacerdotes eius in mercede docebant et prophetae eius in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant dicentes : numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala* »! — primores ius habent venale; ut iustitiam administrent, muneribus sunt inducendi; vel vendunt iustitiam eamque pro muneribus pervertunt (Is. 1, 23) contra legem; cf. Ex. 23, 8. Deut. 16, 19 : « non accipias personam nec munera, quia munera excaecant oculos sapientum et mutant verba iustorum ». Sacerdotes « de legitimis non sine pecunia respondent ministeriaque divina gratis peragere abnuunt » (*Theod.*); cf. Lev. 10, 11 : « doceatis filios Israel omnia legitima mea »; atque in litibus etiam difficilibus sacerdo-

---

1. De repetitionibus his notat *Theoph.* : « scias velim etsi sacris in libris vatum sermo continuatus videatur, aliis tamen atque aliis temporibus oracula fuisse prolata et saepe usu-venisse, ut quidam eodem morbo laborantes iisdem egerent medicamentis. Ad hos propterea dicebantur quae ad alios antea dicta fuerant. Haec omnia deinceps in unum compacta sunt, et idcirco multa ex iis quae dicuntur redundare videntur ».

tum erat homines edocere Deut. 17, 11. Etiam pseudoprophetae oracula sua vendebant; « erat simonia, non in reipsa (quia haec oracula non erant sacra, immo nec vera, quia non suggesta a Deo, sed ficta ex cerebro) sed in ipsorum opinione et aestimatione vulgi, qui haec oracula vera et divina esse censebant » (*Lap.*).

Adeo vero caecutiunt vel adeo peccandi assuetudo iis callum obduxerat et in rebus externis, ut circumcisione, carnali ab Abraham generatione, foedere divino, templo superstitiosam ponunt fiduciam, ut tutos se ab omni incursu opinentur. Eandem superstitionem iugulat Ieremias 7, 4. Est illa scil. praesumptio, qua Messiae opponunt : filii Abraham sumus. Secundum impoenitens cor suum dicunt : *Dominus in medio nostrum* (*S. Hier.*).

Verum, uti Deus Silo olim proiecit (Ier. 7, 12), ita neque arci regiae, neque urbi sanctae, neque templo parcet : v. 12 « *propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur et Ierusalem quasi acervus lapidum erit et mons templi in excelsa silvarum* » ; — propter hoc i. e. v. 9-11 et additur ad emphasin *vestra causa, propter vos*. Tribus istis theocratiae excidium significatur : *Sion* arx est et domus regis (*Alb. Rib. Sanct.*) ; unde ea destructa et in campum ac solitudinem redacta regia potestas emortua significatur ; urbs aedificiis destructis ruinarum tumulus reputabitur ; mons Moria nobilissimo templo olim illustris, iam templo everso in silvam quandam, ut olim fuerat, redibit (cf. *Rib.*). « Nemus in ipso templi loco nasciturum res praeter fidem non est. Duorum et quinquaginta annorum spatio, quibus templum suis sepultum ruinis et derelictum iacuit, eius certe locus nato facillime nemore squalere potuit. Ieremias certe paulo post templi excidium Sionis montem describens, vulpes iam ibi cubilia posuisse testatur (Lament. 5, 18). Et Machabaeorum aetate post breve trium annorum curriculum, quo templum a Graecis profanatum est, totum virgultis vepribusque squalidum invenere : viderunt sanctificationem desertam et in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus » (1 Mach. 4, 38. *Calm.*). Haec urbe a Chaldaeis capta evenerunt. Regni theocratici sedes diruta est, templum exustum, populus unitatis centro disiecto sua libertate et nationis iure privatus in alienas regiones migravit. Hoc vaticinio simul explanat propheta 1, 9 ; 2, 3. 4. 10. Cum *S. Hier.* dicamus : « videmus completa quae dicta sunt ; oris eloquium oculi probant ; prophetiae testis aspectus est ».

d) **Montis Domini exaltatio 4, 1-5.**

At ex vaticiniis iam datis theocratia non poterit aeternis ruinis prostrata iacere ; foedus Dei aeternum est et regnum aeternum ipse Deus instituit in domo David ; quare ex ruina et destructione nova regni Dei

forma enasci debet (cf. Os. 1, 10. Mich. 2, 12). Hanc instaurationem vates ita delineat, ut triplici ruinae renovationem triplicem opponat *chiastice* i. e. montis templi, quem 3, 12 ultimo loco nominaverat, iam primo loco gloriosam exaltationem vaticinetur, et ita porro ordine inverso ab eo quem 3, 12 secutus erat.

Huius autem montis gloriam ita exhibet : v. 1 « *Et erit, in novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium et sublimis super colles et fluent ad eum populi* » ; — hebr. *et erit in fine dierum mons domus Domini firmatus*[1] *in capite montium* ; locutio *in fine dierum* et sim. *in novissimis diebus, extremo tempore* apud prophetas tempus dicit messianicum, ultimam illam periodum, ad quam praeparandam et significandam tempora antecedentia diriguntur et quae ipsa iam non alia periodo erit excipienda hisce in terris (cf. Os. 3, 5. Ioel 2, 28. Is. 2, 2. Ier. 30, 24 ; 48, 47 ; 49, 39. Ez. 38, 8. 16 etc.). Hoc iam tempore, ad quod fines saeculorum pervenerunt (τέλη τῶν αἰώνων — quia Christus est τέλος τοῦ νόμου — cf. 1 Cor. 10, 11. Rom. 10, 4), mons domus Domini i. e. *mons templi,* cuius devastationem modo praedixerat, erit firmo ac stabili modo constitutus ; utitur s. vates eadem voce, qua 2 Reg. 7, 26. 3 Reg. 2, 45 thronus David in aeternum stabilis ac firmus dicitur. Erit *in vertice montium*.. editissimo loco, omnia superans, ubique conspicuus, omnia terrena sibi habens subiecta. Tanta autem apud omnes claritate et gloria valebit, ut, sicut olim solae tribus Israel ad eum peregrinari solebant, iam *populi*, vel ut est apud Isaiam, *omnes gentes* magno studio ad eum confluant. Mons templi in vetere foedere erat vastationi obnoxius propter populi apostasiam et solum populo uni centrum cultus divini — mons templi in altera mundi epocha erit *stabilitus*, immobiliter constitutus, ab omni ruina vel excidio alienus, nulli interitui obnoxius, inexpugnabilis atque insuperabilis et pro cunctis iam terrae gentibus centrum erit cultus divini, longe lateque conspicuum, sublime, eminens super omnia, quae excelsa grandique mole his in terris consistunt. Exaltatio haec certe non est (ut aliqui somniarunt — cf. quae notavi ad Is. 2, 2) *physica*, sed fit et absolvitur aestimatione et notitia apud omnes promulgata ; id quod ipsis verbis v. 2 satis innotescit. Dicitur enim exaltatio illa eadem ratione, qua populi omnes ad unum illum montem confluere perhibentur. Iam nemo est, qui hoc ad literam et *physice* intelligat, ergo etiam prius illud de topographica quadam et satis absurda mutatione cave ne explices. Sed menti prophetae *symbolum* obiicitur, in quo periodi messianicae conditio perhibetur. Hoc autem symbolum in eo consistit, quod a se visum describit : vidit scil. in visione

---

1. Nota apud *S. Hier.* vocem *praeparare* adhiberi sensu *constituendi* ; ita v. g. Prov. 8, 28 hebr. הכין interpretatur *praeparare*.

prophetica montem templi elevatum, vidit populos confluentes, audivit eos inter se cohortantes et excitantes. Nobis igitur bene distinguendum est inter symbolum exhibitum et rem symbolo expressam, inter imaginem et veritatem imagine delineatam. Iam *res* haud difficile deprehenditur. *Mons templi* locum dicit, quo verus Dei cultus exercebatur; hunc scil. montem Sion Deus tamquam sedem peculiarem[1] sibi elegit (cf. Ps. 47, 2; 67, 16. 17. Ez. 17, 22. 23). Quare mons templi symbolum est cultus veri Dei atque hunc cultum apud omnes populos maximo in honore fore, religionem veri Dei omnibus gentibus conspicuam atque illustrem obiectum iri, in effigie prophetica repraesentatur. Porro haec effigies non solum menti prophetae proxime[2] quasi adiacet, verum etiam Dei consilium et modum optime exprimit. Vetus scil. theocratia ipsa, quae monte isto tamquam centro repraesentatur, tali modo excrescet, mutabitur, ut ad omnes populos pertingat et ad eos efficaciter alliciendos apta efficiatur. Aliis verbis: ex vetere foedere novum exsurget tamquam eius absolutio et perfectio, ita ut novum proportione quadam et nexu interno veteri copuletur; exsistit scil. una theocratia, vetus quidem illa ad unum populum coarctata, nova vero fundamentis veteris superstructa, at altiore perfectione, indole sublimiore, propagatione latissima praedita. Quare habitudo illa, quae intercedit inter vetus et novum foedus, eo symbolo egregie illustratur. Neque enim novum foedus vetere destructo tamquam res plane nova institutum est.

Hac consideratione praemissa patet symbolo hoc adumbrari Ecclesiam Christi, quae in synagogae iudaicae locum successit; atque ita plerique etiam explicant (cf. *Cyr. Theod. Theoph. Rup. Rib. Sanct. Lap. Men. Tir. Calm.* — alios vide in libro meo Erklaerung des Proph. Is. p. 62); *S. Ephr.* vaticinium spectare censet templi restaurationem post reditum e Babylone factam et solum secundum sensum typicum cerni regnum Christi; prius quoque ambabus manibus amplectitur *Theod. M.* alterum vero tamquam ineptum ridet. Verum explicationem de templi iudaici instauratione *Theod.* virga censoria iure perstringit ostenditque, quam longe a verborum ambitu absit. *Alb.* in monte cernit eminentiam sanctitatis et cultus. *S. Hier.* regnum coelorum et Christum ibi agnoscit. Neque haec de Christo interpretatio, quae pluribus arridet (cf. *Reinke*, Messian. Weissag. III p. 257 et meam explanationem Is. l. c.), ab eo vaticinio adeo aliena est, cum cultum veri Dei in Christi adoratione et cultu exerceri perspicuum sit isque cultus Christi *specialem* novi foederis indolem constituat.

---

1. Mons generatim dicit excelsum aliquid et elevatum; sicut ipse mons elevatur super terram et coelo, sedi Dei, appropinquat, ita animi e terra elevati et ad Deum accedentis et locus est aptus et symbolum congruum. Quare passim apud populos montes censebantur sancti, numinis cultui consecrati, deorum domicilia.

2. Nam vix poteris *imaginem* simpliciorem et veriorem excogitare, qua vivo modo repraesentatur religionem veri Dei esse per orbem diffundendam et a gentibus amplectendam, uno religionis centro ac fonte constituto.

De locutione באחרית הימים[1] erudite scripsit *Reinke*, Beitraege IV p. 236. Significat אחרית *finem, exitum* ex vocis etymo et usu ; saepius enim *initio, prioribus* opponitur cf. Deut. 11, 12. Iob. 8, 7 ; 42, 12. Prov. 5, 4. 11 ; 23, 32 ; 24, 14 etc. Hisce concordant versiones veteres ; locutionem enim versio graeca reddere solet ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ; ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις. Targum ad Num. 24, 14 *in fine dierum ; S. Hier.* extremo tempore, in novissimo dierum vel sim. ; ita quoque recentes interpretes. — Verum advertere iuvat, ea locutione in aliis libris usurpata non semper solam periodum signari messianicam v. g. Gen. 49, 1. Deut. 31, 29 et etiam Num. 24, 14. Quare scite notat *Rib.* : « si consuetudinem Scripturae observemus (quae diligentissime ubique observanda est, ut recte quod dicitur, intelligamus) videbimus *tempus extremum* . . dici tempus illud, quod id de quo agitur consecuturum est, sive sit ante tempus Messiae, sive post, sive sit ipsum tempus Messiae, sive finis saeculi. Quando vero tempus Messiae, quando alterum significet, ex rebus ipsis tum ex praecedentibus et sequentibus cognoscendum est. Itaque *novissimum* non tam, ut ita dicam, superlativi nominis vim habet in nostra translatione, quam comparativi » ; idque ostendit ex Gen. 49 ; « *novissimum* non dicitur respectu eius quod sequitur, sed respectu eius quod praecessit i. e. non dicitur novissimum, post quod nullum aliud sequitur, sed id quod sequitur post aliud, etiam si post hoc alia sequantur ». Haec uti vera sunt, tamen constanti usu apud *prophetas* eam locutionem de tempore messianico adhiberi, communis est et vera interpretum sententia, non solum catholicorum, sed etiam rationalistarum. — Unde duae periodi apud prophetas volvuntur : illa praeparationis epocha, impletionis altera. Inde enata est communis illa apud rabbinos appellatio : *olam hazzeh* et *olam habba :* αἰὼν οὗτος, αἰὼν μέλλων hoc saeculum i. e. tempus ante Messiam, saeculum futurum i. e. tempus post Messiam ; quae appellatio etiam a S. Paulo usurpatur, cum Christum vocet pontificem futurorum bonorum i. e. qui vera bona messianica nobis largitur (Hebr. 9, 11 ; cf. 2, 5). Ad eandem rationem refer, quae de novissimo tempore, de novissima hora in N. T. leguntur 1 Petr. 1, 5. 20. 2 Petr. 3, 3. 1 Ioan. 2, 18. Iud. 18.

Ad quid valeat montis templi sublimitas, explicat propheta simul interpretans quod dixerat *fluent populi ad eum* : v. 2 « *et properabunt gentes multae et dicent : venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob ! Et docebit nos de viis suis et ibimus in semitis eius ; quia de Sion egredietur lex et verbum Domini de Ierusalem* » ; — mutua haec gentium inter se exhortatio ostendit, signum illud a Deo elevatum in nationibus, montem Dei in dignitate coelesti conspicuum rite esse perceptum et centrum unitatis religionis fontemque optime esse agnitum. Adiungere se gestiunt ad domum Dei Iacob i. e. ad Deum, qui in familia et stirpe Iacob se manifestavit ibique doctrinam, leges reposuit, quibus vitam humanam regi velit ac dirigi. Sese huic familiae aggregant,

1. Vide etiam quae notavi ad Is. 2, 2 (Erklaerung des Proph. Is. p. 59 seq.).

ut doceantur a Domino ; *viae* eius sunt consilia, rationes agendi, instituta, normae, quibus et Deus ipse utitur in hominum mundique gubernatione et homines dirigi vult. Eam autem institutionem uberes allaturam esse fructus, magna animorum laetitia edicunt in textu hebr. *et ambulemus in viis eius*. Utrumque : Deum esse doctorem et legem Dei opere iri impletum, ad notas temporis messianici referri solet [1].

Rationem reddit propheta, cur gentes tanta festinatione et animorum consensione properent ad montem Domini, ut doctrina imbuantur et Dei vias observent : *quia de Sion...* « haec dicent, inquit, quia nova lex dabitur in Ierusalem, quae non se continebit intra illius populi angustias, ut lex data a Moyse, sed in omnem terram exibit sonus eius » (*Rib.*).

Notas Ecclesiae Christi insignes hoc vaticinio egregie exprimi in aperto est positum. Adest *unitas* unitatisque centrum et efficax adiumentum, cum ad unum montem omnes confluere conspiciantur; *sanctitas* in laeta gentium exhortatione describitur; confidunt enim et se a Domino doceri et doctrinam acceptam se in vita et moribus exprimere ; *ambulemus in semitis Domini* haec vox alia omnino est, quam quae de veteris legis impotentia et defectu a S. Paulo proditur : « lex propter transgressiones posita (Gal. 3, 19), virtus peccati lex (1 Cor. 15, 56), lex subintravit, ut abundaret delictum (Rom. 5, 20) ; passiones peccatorum quae per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti » (Rom. 7, 5), vel quam S. Petrus indicat : iugum illud « neque patres nostri neque nos portare potuimus » (Act. 15, 10). Tanta est indolis utriusque foederis diversitas. Clare ostenditur *catholicitas*, cum omnes gentes (cf. Is. 2, 2) confluere dicantur ; innuitur *apostolicitas*, quia ad Deum Iacob sese adiungere profitentur i. e. ad Deum qui in certa stirpe, familia, coetu sese manifestat. Uti enim olim quicumque foederis Dei eiusque promissionum participes fieri desiderabant, ad gentem Iacob ritu externo sese adiungere debebant — confer, quae de proselytis portae et iustitiae memoriae tradita sunt — ita in nova hac theocratia etiam ad coetum illum oportet aggregari, in quo Messias suam reposuit doctrinam et auctoritatem, ad collegium Apostolorum scil. quod vivum et perpetua successione permanens adest in Christi Ecclesia, et ritu externo et interna subiectione, obedientia, reverentia oportet adiungi et in nexu illo vitali manere coniunctum [2]. Quantopere autem Ecclesia Christi debeat esse conspicua, *visibilis*, et tamquam Christi institutio ab omnibus

1. Cf. Is. 54, 13. Ier. 31, 33. Ez. 36, 25 seq. Os. 2, 19, et confer ea, quae de sanctitate novae urbis Ierusalem et populi messianici saepe traduntur v. g. Is. 54, 10; 60, 15 ; 61, 7 ; 62, 8. Ier. 3, 15; 33, 15. Os. 14, 5 seq. etc.

2. Ad quae praeterea confer Is. 4, 3 ; 44, 5. Ps. 86, 4-6 omnes qui in Dei libros referantur nasci oportere in Ierusalem vel civitate illius urbis donari.

facile agnoscenda, ex montis elevati symbolo per se colligitur, qui mons in vertice montium positus ipsa sua exaltatione omnium oculos percellit, omnia alia sibi subiecta habet et in sui admirationem et desiderium omnium animos rapit (cf. *Cyr. Theoph.*). Praeterea in montis symbolo cernitur *firmitas* inconcussa, quae a nullo expugnetur, quae mediis in tempestatibus consistat vertice montis in placidum aethera quasi in coelum porrecto, dum ad pedes montis venti et tonitrua saeviant (cf. *Rib.*).

Iam proponitur, quid potissimum gentes ex lege Domini discant. Propter peccata homines inter se odio et inimicitiis exardescunt et separantur et gentes discidiis bellisque agitantur; verbo Domini eiusque lege remedium affertur et vera felicitas et singulis et populis, dummodo ei se subiecerint, tribuitur. Quare post cultus sublimitatem et frequentiam colentium *fructum* propheta declarat, qui est pacis securitas *(Alb.)*: v. 3 « *et iudicabit inter populos multos et corripiet gentes fortes usque in longinquum. Et concident gladios suos in vomeres et hastas suas in ligones. Non sumet gens adversus gentem gladium et non discent ultra belligerare* »; — i. e. Deus ius dicet, arbiter erit inter populos; disceptationes et lites ad eum referentur et is causas dirimet. Si autem Dominus tamquam iudex ab omnibus est agnitus et eius lex est norma universalis, iam causae bellorum exsistere non possunt. Quare arma bellica fiunt instrumenta vitae pacificae, quae agrorum et vinearum cultura beata erit. Ita pax stabili ratione fundata erit, ut omne iam armorum tractandorum exercitium cesset. Inest enim legi Dei apud omnes promulgatae, agnitae, observatae ea vis et efficacia, ut cupiditates omnes compescat et litium atque bellorum fomitem exstinguat. Proinde propheta id describit, quod *de se* sequitur, si Deus ab omnibus tamquam iudex supremus et rerum omnium arbiter est agnitus. Bellum enim ex utraque parte vere iustum exsistere nequit; quare si omnes Dei legem supremam agendi normam fide integra amplecterentur, iam sine bello disceptationes componerentur. Ergo quae felicitas in Dei lege plane et ubique observata sit reposita, propheta delineat. Verum si conditio illa non impletur, neque illa pacis beatitudo erit speranda.

Sunt, qui vaticinium hoc [1] impletum censeant eo quod Christo nascente totus orbis fuerit in pace compositus (ut martyrologium romanum loquitur); ita *Cyr. Theod. Theoph. Calm.* Verum id minime sufficere per se liquet; neque verum est quod iidem addere solent, bella post Christum neque adeo frequentia neque adeo cruenta esse. Meliorem interpretandi rationem iam indicat *Theoph.*: « praeterea cum Christus iubeat, nihil nobis ab eo repetendum, qui nostra bona rapit

1. Constat vaticinium hoc v. 1-3 versibus heptasyllabis decem et octo, quos recenset et describit *Bickell*, Carmina vet. Test. metrice p. 211. Ad argumentum adeo grande certe convenit forma quoque dicendi poetica.

atque dexteram nobis percutienti maxillam praebendam et sinistram aliaque his similia, quodnam per haec bellum non fuit sublatum? quae pax non inseritur eorum pectoribus, qui divinas hasce leges colunt... ubi vero caritas est, quomodo bellum ibi esse potest »? Ad quam explicandi rationem *Rib.* adiungit hoc: « prophetiae regula est cumprimis utilis, ut cum aliquid vel synagogae promittitur vel Ecclesiae, non universis plene promitti intelligatur, sed Dei cultoribus et ad praescriptum legis divinae viventibus ». In eandem sententiam concedit *Sanct.*: « esse credo prophetiae sensum: illam futuram Christi oeconomiam et illam Evangelii legem, ut homines non ad bellum inflamment, sed ad pacem adducant. Quod sane durum non videbitur ei, qui noverit Scripturae morem esse, ut illa ab aliquo fieri dicantur, ad quae ut legitime faciat, naturam et facultatem habet... Cum ergo evangelica lex ad pacem instituat et illius sanctitas id mereatur, ut bella ex hominum societate depellat, ideo Christi et Evangelii tempore non ultra homines dicuntur ad proelium exercendi ». Et hisce alii quoque subscribunt; cf. *Sa, Lap.* Simile cernis in cap. 8 epistolae ad Rom. ubi S. Paulus speciem quandam praeclaram hominis regenerati per Christum depingit. Verum quot erunt, qui excelsam illam sanctitatis effigiem in se exprimunt? An ideo effigies illa falsa dicenda erit? vel S. Paulus errare censendus est, quia plerique vel fere omnes ad illam sublimem sanctitatem non perveniunt? Minime gentium [1].

Pacis descriptionem illustrat et commendat vates imagine ex tempore Salomonis petita, qua eius regni beata felicitas laudatur (3 Reg. 4, 25): v. 4 « *et sedebit vir subtus vitem suam et subtus ficum suam et non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum est* »; — « proverbii genus quo placidissima tranquillitas et beatissima bonorum omnium ubertas commendatur. Ita solebant Hebraei maximam huius vitae felicitatem describere (Zach. 3, 10. 1 Mach. 14, 12). Haec porro verba agreste vitae genus indicant iucundum, innoxium, curis vacuum, ambitione liberum, placidum, quietum » (*Calm.*). Pertinent vites et ficus ad praecipua terrae palaestinensis commoda. Eam pacem et securitatem Deum suis cultoribus esse largiturum, sollemni modo quasi sigillo apposito confirmat *quia os Domini...* cf. Is. 58, 14; Domini scil. exercituum, i. e. agminum coelestium et terrestrium summi imperatoris [2] potentiam et fidelitatem tamquam operis efficiendi vadem in medium profert.

Tam laeta rerum israeliticarum exspectatione oblectatus propheta et praesentis miseriae oblitus gloriam illam perennem praedicat, qua Israel propter Dei potentiam et protectionem insignis est: v. 5 « *quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in aeternum et ultra* »; — hebr.

---

1. Plura vide in Erklaerung des Proph. Is. p. 64. 65.

2. Cf. quae ad Os. 12, 5 notata sunt; et praeterea 1 Reg. 17, 45. 2 Reg. 5, 24. Ps. 103, 21 (hebr.); 148, 2. LXX in prophetis minoribus et Ier. vertunt παντοκράτωρ; in Is. κύριος σαβαώθ; in Ps. et quandoque in Is. κύριος δυνάμεων. Cf. *Zschokke*, Theologie der Propheten p. 18; *Reinke*, Proph. Malachi p. 231-240.

in aeternum et perpetuum ad emphasin et certam fiduciam declarandam. Illud כִּי in initio particulam asseverantis, uti saepe, etiam hoc loco optime explicabis : *profecto*, dum reliqui populi idolorum auxilio freti vitae rationem secundum idololatriae normam instituunt, ideoque necessario cum idolis evanescent, nos Dei ope instructi et ex Dei protectione vitam dirigentes in perpetuum firmi ac stabiles permanebimus. *Ambulare* enim vitae actionum rationem et cursum dicit, *in nomine Dei* illa indicat versari ac fundari in eo quod Deus de seipso manifestat, id enim est proprie nomen Dei ; proinde illos firmiter consistere et permanere in Dei ope, fidelitate, robore, potentia. Vel sensus non erit absimilis, si *nomen Dei* eius essentiam et naturam significare dixeris, quatenus nomine ac significatione Iahve exprimitur (cf. Os. 12, 5).

Varius apud alios et nexus et sensus adstruitur. Alii rationem reddi volunt, cur talis rerum eventus futurus sit : quia scil. Iahve solus est Deus qui iuvare possit, dum gentes propter idola necessario confundi debeant ; vel : tuti erunt, quia patronum habent verum Deum, cui fideliter serviunt: vel : etsi omnes populi fidant in suis diis, nos in Deo nostro fidimus ; atque haec fiducia nobis eam felicitatem praestabit (cf. *Sanct. Rib. Mar. Schegg, Keil*). Sed huic explicationi obstat, quod ratio cur pax et securitas obventura sit, non potest ad populi israelitici pietatem referri. Hoc incommodum ab aliis vitatur, qui admonitionem in v. contineri docent : propter promissa adeo insignia oportet nos bono animo stare et alacres pergere in Dei cultu, utcumque aliae gentes diis serviant (cf. *Tir. Men. Ros.* sim. *Reinke*). Similem adhortationem ei vaticinio adiunxit Isaias: « domus Iacob, venite et ambulemus in lumine Domini » (2, 5). Illa igitur explanatio potest commendari etiam ex eo, quod pertineat ad prophetam, ut ex vaticinio doctrinae caput colligat et proponat ad praesentem usum et necessitatem. Verum forma grammaticali prohibemur, quominus hanc explicationem adoptemus ; duo enim in versu adsunt tempora imperfecta, quae eodem modo explicari debent, neque forma cohortationis נֵלְכָה uti v. 2 et Is. 2, 5 legitur, sed נֵלֵךְ, uti etiam LXX, *S. Hier.* futurum rite expresserunt.

c) Populi regiaeque potestatis instauratio 4, 6-8.

Secundo loco instaurationem annuntians populo, cuius urbs et caput est Ierusalem (cf. 3, 12), vaticinium prius de gentibus complet et quae populi electi conditio futura sit declarat v. 6 « *In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem et eam quam eieceram colligam et quam afflixeram* » ; — cf. 2, 12 ; populum imagine gregis infirmi et dispersi exhibet ; « duae voces convenire possunt ovibus, quae infirmae sunt, scabiosae ac debiles, quae cum claudicare coeperunt neque gregem potuerunt subsequi, relinquuntur a pastore » (*Sanct.*). Conditio misera describitur, qua in peccatorum poenam grex ille dominicus est afflictus ;

denotatur potestatis, opum, auctoritatis interitus et exsilii calamitas, qua Deus contumaces e sua ditione ac regione eiicit. Sed ex illa miseria revocabuntur; Dominus tamquam pastor bonus oves infirmas ac dispersas colliget (cf. Is. 40, 9).

At non omnes sequentur pastoris vocem : reliquiae salvabuntur, verum ex illis populus enascetur robustus ac multus, Domini regno imperturbato et perpetuo gubernandus : v. 7 « *et ponam claudicantem in reliquias et eam quae laboraverat in gentem robustam, et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc et usque in aeternum* » ; — cf. 2, 12. Os. 1, 10. Is. 10, 21. 22. Am. 3, 12; reliquiae illae sunt ἐκλογή *electio,* quae certo Domini consilio ad salutem messianicam erunt adducendae, maiore parte illam repudiante (cf. *Hier. Theoph. Sanct.*) ; sed illa *electio* licet numero non adeo insignis, *gens* est *robusta,* quippe quae nullo unquam casu, nullo periculo, impetu nullo erit e statu et gradu deiicienda ; nova enim theocratia perennis est.

Hebr. הַנַּהֲלָאָה gregem dicit longe lateque dispersum, procul absentem ; est enim forma verbalis certe explicanda ex adverbio loci ac temporis הָלְאָה *illuc, ultra* v. g. Gen. 19, 9 ; 35, 21. Am. 5, 21. Eam significationem expresserunt LXX τὴν ἀπωσμένην, *Syrus* remotos, *Chald.* dispersos. *S. Hier.* vero verbum חָלָה ob oculos habuisse videtur.

Dominationem in Sion (cf. Ps. 2, 6 ; 109, 2) perpetuo duraturam ex promissione olim Davidi facta declarat propheta v. 8 « *et tu, turris gregis nebulosa filiae Sion, usque ad te veniet et veniet potestas prima, regnum filiae Ierusalem* » ; — hebr. *et tu turris gregis, collis filiae Sion...* ita tertio vates instaurationem Sionis indicat (cf. 3, 12) ; in colle montis Sion arx erat collocata regia turri insignita [1] et ea regio montis Sion etiam peculiari ratione *civitas David* vocabatur [2] et sita erat in parte meridionali montis Sion vel montis templi. Hic itaque collis regnum repraesentat Davidicum ; arx illa *turris gregis* vocatur, quia rex theocraticus *pastor* populi Israel est [3] et Israel grex Domini, ipseque rex David ex vita pastoritia quasi regni praesagio assumptus erat ad dignitatem regiam (cf. 2 Reg. 5, 2 ; 7, 8. 1 Par. 11, 2. Ps. 77, 70). *Potestas prima* est regnum filiae Ierusalem (*Alb.*), quasi dicat : « iterum regnum Davidis videbit Ierusalem ; videbit enim Christum, verum regem, cuius regnum spirituale et aeternum praefiguratum est in temporali regno Davidis »

---

1. Cf. 2 Reg. 5, 7. 3 Reg. 8, 1. Cant. 4, 4. Neh. 3, 25.
2. Cf. l. c. 3 Reg. 2, 10 ; 11, 43 ; 14, 31 etc. 1 Par. 11, 5. 2 Par. 5, 2.
3. « Eo quod gregem Domini custodiat » (*Alb.*) ; erigi turres ad gregis custodiam, cf. 2 Par. 26, 10.

(*Rib. Lap. Mar. Men. Tir.*) vel potestas illa prisca, de qua promissio est facta Davidi (2 Reg. 7, 5; 23, 3) [1] revertetur, iterum veniet ratione stabili ad collem montis Sion. Modus loquendi cum tali asseveratione *ad te veniet, veniet* [2] regnum Davidicum dicit antiquo splendore deiectum, quasi ablatum a Sion et interrruptum (cf. v. 9. Ier. 32, 30. Ez. 19, 14; 21, 26), ita tamen, ut ius maneat apud stirpem David nec unquam certa instaurationis spes desit; sceptrum enim ex Gen. 49, 10 tantum *non recedet,* i. e. manet, etsi quandoque in abscondito lateat (cf. Ez. 17, 22). Quamvis enim singuli reges theocratici abiici possint (cf. 2 Reg. 7, 14), tamen promissio gratiosa non aufertur a domo David, sed stabit in aeternum.

In hebr. legitur עֹפֶל *collis, tumulus, clivus*, et ita speciali ratione clivus vocabatur in monte Sion muro cinctus et munitus cf. 2 Par. 27, 3; 33, 14. Neh. 3, 26; 11, 21 quibus in locis LXX Ὀφλά vel Ὠφάλ, *S. Hier.* Ophel verterunt. Nostro autem loco veteres versiones omnes potius אֹפֶל legisse videntur (*tenebrae, caligo*) [3]; habent enim: turris abscondita (*Syrus*), *nebulosa* (*Hier.*), αὐχμώδης (LXX), σκοτώδης (*Aq.*), ἀπόκρυφος (*Sym.*). In qua interpretatione conditio arcis regiae deiectae exprimitur; « moerorem autem et quidquid est adversum et animos contrahit, tenebrarum et nebulae significamus vocabulo » (*Sanct.*). Rem ita declarat *Chald.*: « et tu Messias Israelis qui absconditus es propter peccata coetus Sion, tibi venturum est regnum et veniet dominatio pristina regno coetus Ierusalem ». Quae verba aperte referunt fabulam iudaicam, Messiam die quo templum destructum sit, natum quidem esse in Bethlehem, verum propter peccata populi fuisse tempestate summotum et absconditum; cf. *Reinke*, Mess. Weissag. III p. 353.

f) Via ad instaurationem 4, 9-13.

A vaticinio consolatione plena (v. 8) revertitur ad calamitates, quas subire debebunt, ut qua fide illas considerari oporteat declaret. Conditionem enim afflictam esse quasi viam, qua ad faustiora populi sortes sint adducendae. Simul calamitatem instantem accuratius delineat: v. 9 « *Nunc quare moerore contraheris? numquid rex non est tibi? aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem* »? — hebr. *et nunc quare vociferaris vociferatione* (cf. *Rib. Lap.*

---

1. Neque praetereundum est, eadem adhiberi vocabula; 2 Reg. 23, 3 David promissiones sibi factas colligit in *dominatore*, quem Deus dabit, מוֹשֵׁל: Mich. מֶמְשָׁלָה *dominationem* venire dicit, et 5, 2 *dominatorem* מוֹשֵׁל.

2. LXX singulari ratione habent primum regnum venire ex Babylone; unde Graeci de oppugnatione Ierusalem per Chaldaeos et Nabuchodonosorem futura explicant, id quod *Barh.* quoque.

3. Vel non distinxerunt inter utramque vocem, uti non distinguit *S. Hier.* in Is. 32, 14; *M.* 24, 361.

Calm.) idque [1], ut ait *Lap.*, nervosius. Audit in mentis visione propheta ingentem doloris eiulatum, miseriae summae indicem, quo filia Sion prostratam rempublicam et regnum collapsum et regem pereuntem deplorat; cernit vates Sionem subito dolore acerbissimo, qui est parturientis, correptam, unde civitatis ruinam et regis, qui simul est regni totius veluti fulcrum et rerum nutantium spes certa (inde *consiliarius*), interitum accidisse oratoria illa interrogatione concludit. Iustum esse dolorem concedit; ut eum ferat, hortatur; at quod iam similitudo parturientis innuit, eum esse *partus* dolorem indicat, ex quo demum praeclarus fructus enasci debeat; quare pergit v. 10 « *dole et satage, filia Sion, quasi parturiens; quia nunc egredieris de civitate et habitabis in regione et venies usque ad Babylonem. Ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum* »; — hebr. *parturi et enitere* i. e. parturientis dolores subi ac sustine; instabunt dolores acutissimi, quos iam exsilii enumeratione quasi per partes recenset : urbs sancta relinquenda, in agro sub dio habitandum, in regionem longinquam usque ad Babel veniendum erit. Ergo urbs ab hostibus expugnabitur; incolae in captivitatem abducentur et per transmigrationem et in aliena terra diu domibus carebunt, in agro sub pellibus vel tabernaculis aut miseris in casulis habitabunt et usque in Babel abducentur. Fieri Babylonis mentionem veri nominis prophetia est, cum Michaeae tempore Assyriis praedominantibus potius exspectares captivitatem assyriacam et commorationem ninivitícam. Ita ipsius regionis determinatione vaticinia praecedentia (2, 10) accuratius circumscribuntur. Simul conditio populi et civitatis dissoluta (cf. v. 6. 7) magis declaratur : rege ablato, miseriis ingruentibus, et demum ipsa libertate et patriae regionis inhabitatione iis erepta. At *partus* dolores simul aliquid spei afferunt; neque iis tale solamen deest : liberationem, quam Dominus effecturus sit, ostendit. Eam sub Cyro cernimus operi mandatam; inde enim parva restaurationis initia, quibus proxima fiebat praeparatio ad messianicam. Igitur mediis in miseriis aliquid consolationis immiscere non omittit propheta. *Satage* ita explicat *Rib.* : « est anxium esse, distorqueri difficultate alicuius rei conficiendae, festinare cum cura et sollicitudine ».

---

1. Ita recentiores quoque; cf. *Schegg, Hitz. Keil, Reinke*, quamvis רוּעַ, hiph. הֵרִיעַ etiam saepius de exsultatione et iubilo usurpetur. *S. Hier.* formam derivavit a רעע et רַע *malum, infortunium* respexit. LXX legisse videntur ידע, cum praebeant ἔγνω; κακά; *Syrus* hiphil verbi רעע videtur exprimere : quare fecisti malum? Denique *Chald.* legit רֵעַ sed in significatione *proximus* et verbum derivat a רעה *se sociare*, cf. Prov. 13, 20; 28, 7; 29, 3 etc.; habet enim : quare tu populis adiungeris? Videtur *Aq.* legisse, sicut *S. Hier.*; cf. cod. syr. hexapl.

Multi v. 9 aliter accipientes nihil nisi consolatoria ibi interpretantur (cf. *Rib. Sanct. Men.*) videl. de ingruentibus malis prorsus non esse, cur doleat Sion; liceret dolori vacare, si forte non adesset rex; verum cum rex messianicus et optimus rerum consiliarius praesto sit, omnem moeroris causam penitus abesse et exsulare debere. — Aliter *Theod.*: unde in aerumnas incidisti? habebas regem et consiliarios; disce ergo tua culpa tibi accidisse. Similiter *S. Hier.*: « vitio tuo nec regis nec consiliarii mereris auxilium »; neque multum abest *S. Cyr.* — Sed v. 10 demonstrat explicationem supra propositam optime in contextum convenire. Insuper *ter* formula עַתָּה v. 9. 11. 5, 1 periodus calamitatis et oppressionis inducitur.

Altera causa angustiarum, quibus Sion obsidetur, ira est inimicorum profecta ex odio, quod gerunt in urbem sanctam et a Deo ad sedem regni theocratici evectam: v. 11 « *et nunc congregatae sunt super te gentes multae, quae dicunt: lapidetur et aspiciat in Sion oculus noster* »! — hebr. *profanetur* i. e. sacra sua dignitate spolietur et polluatur; gentium igitur conatus hostiles in id tendunt, ut sancta civitas profana reddatur et foeda, et ut ipsi hac profanatione summopere delectentur; hebr. enim *aspicere in* ... gaudium denotat et delectationem. Apposite rem exhibet *Rup.*: « quo dicto vehemens innuitur odium et invidia, quae non leviter exsaturari possit, nisi multarum aspectu miseriarum; quo cum potiti fuerint, maligno risu solvuntur et crudeli plausu tripudiant, dilatantes os suum ...». Igitur hostes non excidium qualecumque moliuntur, sed profanationem desiderant et *hac* volunt cum voluptate frui. Talis ergo urbis conditio supponitur, qua abominationem illam iam proxime ei esse inferendam iure possit exspectari. — *Lapidetur* [1] i. e. tamquam adultera puniatur (cf. *Hier. Alb. Rib. Sanct. Lap.*).

Verum aliud est Dei consilium; idque tale quod rationibus humanis ex rerum humanarum cursu depromptis non possit cognosci, quod proinde hominum exspectationem longe superat: potentissimi quique hostes ab infirma Sione erunt prosternendi, sed ex ipsa prostratione salus devictorum et prosperitas efflorescet; ita Dei consilium singulare apparet, quod propheta exponit: v. 12 « *ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini et non intellexerunt consilium eius, quia congregavit eos quasi foenum areae* »; — hebr. *quasi manipulos in aream*, ut *S. Hier.* in com. rite explicat et vertunt *Rib. Lap. Mar.* i. e. hostes congregati sunt, ut odio suo satisfacerent; Deus vero illos consociari permisit, quo facilius et efficacius ad interitum et punitionem colligantur. Sunt enim quasi mes-

1. Variorum ex hebr. interpretationes vide apud *Lap.* — Ex cod. syr. hexapl. *Aq.* vertit: cadat ira; *Sym.*: rea fiat. — Verbum חָנֵף *S. Hier.* Is. 24, 5 vertit *infici*; Ier. 3, 1 *pollui ac contaminari.*

sis irae Domini (cf. Os. 6, 11), quasi segetes et manipuli conterendi, triturandi, conculcandi. Unde in eadem imagine pergit propheta: v. 13 « *surge et tritura, filia Sion ! quia cornu tuum ponam ferreum et ungulas tuas ponam aereas : et comminues populos multos et interficies Domino rapinas eorum et fortitudinem eorum Domino universae terrae* » ; — qui adversa urgetur fortuna, qui in sordibus est luctu, sedere dicitur; cum igitur *surgere* iubetur, id audit, ut pulverem excutiat, moerorem deponat et se ad optimam spem attollat (*Sanct.*). Sion, quae affligi et in terram prosterni videbatur, admonetur, ut assurgat, vires sumat, hostes conterat; « in tritura vis significatur maior, cui se alii ita submittunt, ut mutire non audeant, sed perferant omne sive ignominiae sive acerbitatis genus » (*Sanct.*). In *cornu* cernitur fortitudo; quare huius quoque virtutis symboli mentio fit, quamvis ad trituram non referatur. Satis bene rem perpendit *Theoph.* : « quoniam manipulos dixit, eandem verborum immutationem servans apte nunc adiicit : surge tu, quae mortua videris, fac eos proteras atque comminuas. Meo namque auxilio freta vires habebis inexpugnabiles, uti taurus, ferreis cornibus praeditus, ad irruentium inimicorum impetum propulsandum, et aeneis ungulis munitus ad eosdem proterendos atque conculcandos ». De veterum more iumentorum ungulis terendi cf. Deut. 25, 4. Os. 10, 11.

Sed populorum clades fit, ut spolia Domino consecrentur ; *interficies*[1] *Domino* i. e. consecrabis Domino, uti *S. Hier.* in com. interpretatur, quem alii rite sequuntur (cf. *Alb. Sanct. Mar.*). Ita Is. 23, 18 negotiationes Tyri Domino esse sanctificandas dicitur; sim. Is. 60, 6. Agg. 2, 8 (hebr. et LXX): *fortitudo* i. e. opes, divitiae (cf. *Rib. Lap. Men. Mar.*). Ea scil. conditio describitur efficienda, qua omnia Deo sint sacra (cf. Zach. 14, 21), isque est finis, cur potestas illa inimicorum subiiciatur et conteratur, ut scil. regnum Dei omnia pervadat et in suo quasi sinu complectatur. Haec est igitur indoles victoriae sioniticae, ut omnia ad Dei servitium transeant, ad quod a Dei populo consecranda sunt.

De qua rerum conditione ista prophetae verba sint explicanda, interpretes multum inter se dissident. Alii enim ibi cernunt prophetice depictam cladem illam Assyriis sub Sennacherib inflictam, de qua Is. 37, 36; 4 Reg. 19, 35 (*Cyr. Lap. Men. Tir. Gord.*) ; alii stragem Chaldaeorum olim quoque fore (*Rib. Sanct.*) ; Cambysis cladem depictam cernit *Calm.* ; sermonem fieri de scythicis gentibus, quae post reditum ex Babylone Palaestinam vastaverint et demum victae sint, aliis placet (*Theod. Theod. M.*), dum alii tempora Machabaeorum eorumque certamina simul cum prioribus eventibus tangi sibi persuadeant (cf.

---

1. Secunda persona, quam veteres versiones praebent, textui *mas.* omnino est praeferenda. Ipsa Sion illa debet Deo devovere. Hoc aptissime et optime dicitur ; Deum vero ea Domino devovere, quid sibi tandem vult ?

Rib. Lap. Tir. Gord. Reinke) vel denique gentes Gog et Magog exhiberi, quae apud Ezechielem (38) et in Apocalypsi tamquam ultimus regni Dei hostis describantur (cf. *Ephr. Keil*). In tanta opinionum varietate illis assentiendum esse censeo, qui haec de *tempore messianico* generatim dici perhibent (cf. *Hier. Rup. Alb. Sa, Mar. Schegg*). Proponitur enim non una quaedem periodus, sed norma generalis, cur Sion ab aliis impugnetur et quomodo civitas a Deo electa victoriam demum gloriosam de omnibus reportet ad Dei gloriam. Id utique suo modo etiam factum est tempore post exsilium in certaminibus Machabaeorum. Verum propheticae voces non unius periodi eventus, sed legem statuunt fundamentalem, quae in omni theocratiae epocha valitura est : fore impugnationes ; humanitus res esse desparatas et iam fere conclamatas ; sed portas inferorum non praevalituras ; hostes contumaces iri contritum ; victoriam ipsis devictis, dummodo velint, fore salutarem ; ex omnibus gloriam Dei eiusque cultum iri auctum, ad quem illustrandum ipsi hostium conatus, opes, quam maxime conferre debeant.

g) Dominator ex Bethlehem oriundus 5, 1-3.

Tertia vice (cf. 4, 9. 11) calamitatem et miseriam summam describit vates, qua Sion erit prosternenda : 5, 1 « *nunc vastaberis, filia latronis ; obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam iudicis Israel* » ; — hebr. ad verbum : *nunc turmatim congregare, filia turmae* i. e. adhortatur Sionem, urbem militum copiis instructam et ad expeditiones militares prodire solitam, ut exercitum colligat, ut suas vires exserat, ut quoad fieri possit, se defendat. Haec exhortatio *oratorie* adhibetur ad periculi imminentis magnitudinem ostendendam ; periculum describitur *obsidione,* urbis coarctatione, et indignissima tractatione *summaque contumelia,* quae summo magistratui et reipublicae administratori infligatur. Quae cum accidant, res israeliticas plane esse desperatas et abiectas patet. Cernitur enim urbs non solum oppugnatione afflicta, verum etiam expugnatione facta hostium potestati et arbitrio subiecta, a quibus proceres ludibrio habeantur. Iuste quidem ita iudices iniusti puniuntur (3, 1. 9. 11) ; nam dignitate theocratica violata et lege Dei proculcata aequum est, ut hostes triumphent. « Ignominiae signum non dubium est ictus in faciem ; id si per virgam intelligitur fieri, omnino miserum ac servile erit » (*Cyr.*). Ad interpretationem latinam haec notat *S. Hier* : « nunc interim pro meritis tuis vastare, sive, ut in hebraeo habetur, *concidere* [1]... nec te appello filiam meam, sed latronis

---

1. Habet הִתְגֹּדְדִי hanc significationem, quae de incisionibus in cute factis dicitur, uti in luctu fieri solebant ; cf. Ier. 16, 6 ; 41, 5 ; 47, 5. Deut. 14, 1. At hoc loco certe notio petenda est a גְּדוּד *turma, agmen militum,* quae vox de turma praedonum quoque adhibetur cf. Os. 7, 1. 3 Reg. 11, 24 ; unde versio *S. Hier.* nullo negotio patet, praesertim cum praedantium copias saepius *latrunculos* vocet ; cf. 1 Reg. 30, 8. 23. 4 Reg. 5, 2 ; 13, 20 ; 24, 2. 1 Par. 12, 21.

filiam... fecisti enim domum meam speluncam latronum, repugnasti adversum me ».

Sermonem esse de Ierusalem, ex analogia cum 4, 9. 11 iam constat. Quare plerique interpretes id etiam agnoscunt. *S. Cyr.* aliique, qui in textu suo legerunt θυγάτηρ Ἐφραΐμ de Samaria interpretantur. *Theod.* additamentum illud non habet. Alii, ut *Lap. Men. Tir. Gord.* sermonem fieri volunt ad Assyriam propter cladem Sennacherib. Aliis cladem et expugnationem a Chaldaeis illatam exhiberi placet, ita ut iudicem in maxilla percussum Sedeciam intelligant (cf. *Ephr. Rib. Sanct.).* Alii qui triplicem hanc annuntiationem v. 9. 11 et 5, 1 historice applicandam esse censent exsilio babylonico (cf. *Reinke*), certaminibus tempore Machabaeorum praesertim contra Syros et Antiochum Epiphanem factis, hoc loco Romanorum invasionem per Pompeium factam urbisque sanctae profanationem intelligunt populique subiugationem sub Romanorum imperio et demum urbis destructionem populique dispersionem. Quidquid sit de tam distincta triplicis epochae calamitatum praedictione, hoc modo indubitato ex textu elucet, tempore valde calamitoso, cum respublica israelitica sub alienorum dominio iaceat cum ignominia prostrata, exoriturum esse Dominatorem in Israel cf. 5, 3.

At in tantis miseriis salus exorietur Sioni et quidem non proxime ab ipsa urbe, vel arce regia in urbe constituta, sed inde, unde David quoque rex olim egressus salutem et liberationem ab oppressione Philisthinorum urbi et populo attulit. Id salutis exordium auctoremque a Bethlehem exeuntem mente cernens propheta, ipsum viculum alloquitur, rem miram designans, quod capite regni conculcato oppidulum remedium sit praestaturum v. 2 « *et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda! ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis* » ; — hebr. verte : *et tu.. parva ut sis inter chiliades Iuda* i. e. minor quam ut censearis inter chiliarchias vel praefecturas Iuda ; q. d. tribunum vel chiliarcham, qui mille familiis praesit, non merearis, eo quod mille familiis non constas (cf. *Lap. Sa, Mar.*) ; vel generatim *chilias* אֶלֶף coetum dicit familiarum ad unam stirpem pertinentium, ex quibus pluribus una coalescit tribus et quibus principes[1] chiliadum praeficiuntur (cf. Ex. 18, 21. Num. 1, 16. Iud. 6, 15. 1 Reg. 10, 19 ; 23, 23). Sollemnitatis causa additur nomen antiquitate venerandum *Ephrata* (cf. Gen. 35, 16. 19 ; 48, 7), uti addiderunt maiores natu, cum bene precarentur Ruth (Ruth 4, 11), ex qua oriundus erat David. Vicus ille parvulus gloria et nobilitate omnes urbes vincet, uti canit Prudentius in hymno Epiphan. :

O sola magnarum urbium
Maior Bethlehem, cui contigit

---

1. Quare, ut iam *Sa* adnotat, « *millia* Michaeas familias vocat, harum autem capita Matthaeus *principes* » ; Matth. 2, 6 ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα.

Ducem salutis coelitus
Incorporatum gignere.

Ut enim prior David, ita etiam *ex te mihi egredietur, ut sit dominator in Israel*; *ex te* i. e. ex viculo, qui totius quasi nationis et regni conditionem humilem in se exprimit et familiam David in solio olim splendentem, sed iam ad pristinam obscuritatem reversam exhibet, ut ea quoque in re typus cernatur David. Per *Dominatorem* hunc *dominatio* prisca redibit ad filiam Sion, iam nunquam auferenda; quare 4, 8 et 5, 2 eodem initio *et tu* efferuntur et quae ibi dicta est *dominatio* (cf. hebr.), iam *Dominatori* accepta refertur, in quo *Dominator* ille apparet, de quo David in ultimis verbis omnia vaticinia sibi facta complexus cecinit (2 Reg. 23, 3). Atque simul ultima redditur ratio, cur Sion non sit peritura, verum victoriam de hostibus reportatura (4, 10. 13), quia scil. *Dominator* κατ' ἐξοχήν surrecturus est. Prodibit, *egredietur* יצא, vocabulum hoc de ortu, nativitate saepe adhibetur, uti v. g. in promissione *reges ex te egredientur*[1], quamvis, uti per se patet, generali notione *prodeundi* etiam usurpetur. Iam quo sensu hic erit accipiendum? Cum notum sit ex vaticiniis Davidi datis magnum illum Dominatorem oriturum esse ex stirpe David, nunc accuratius determinatur, ex quo stirpis Davidicae domicilio sit proditurus; sed simul eum ibi in lucem esse edendum, certe satis commode fluit; idque eo magis si perpenderis, v. 3 ita esse conformatum, ut versui primo et alteri maxime respondeat et paucis utriusque argumentum referat; *dabit eos..* calamitatem v. 1 descriptam repetit, *usque ad tempus, in quo parturiens pariet*, finem et terminum calamitatis indicat, uti v. 2; quare non immerito *parturiens pariet* huius versus 2 maior censeri potest et magis accurata determinatio. Accedit, quod David rex natus sit in Bethlehem; si ergo alter David (cf. Os. 3, 5) dicatur *egredi* ex eodem loco, idque vocabulo ad nativitatem designandam apto, vix non debebis de origine et nativitate interpretari. Insuper statim origo coelestis subditur, ergo membrum antecedens de *origine* terrestri erit capiendum. Inde ergo efficitur scribas ad quaestionem, ubi Christus nasceretur, optime respondisse, quo responso simul intelligimus, locum hunc interpretatione apud Iudaeos per manus tradita[2] ita fuisse explicatum.

Mihi egredietur i. e. Deo auctore, ad laudem, obsequium, gloriam Domini, tamquam Dominator a Deo missus, qui nomine et auctoritate Dei regnum et dominium capessit (cf. *Lap.*).

---

1. Gen. 17, 6; 35, 11; cf. Gen. 25, 25; 38, 28. Ex. 21, 22. 2 Reg. 7, 12; 4 Reg. 20, 18. Is. 39, 7; 48, 1. Iob 1, 21 etc.

2. *Chald.* vocem מְשִׁיחָא *Christus* (*Messias*) textui inserit: ex te prodibit coram me Messias, ut sit dominationem gerens super Israel.

Qualis sit Dominator, origine demum coelesti et aeterna declaratur. Is enim, qui in tempore ex Bethlehem prodibit, non ibi vitae initium sortitur, verum *egressiones eius ab olim, a diebus aeternitatis* sunt (LXX αἱ ἔξοδοι), i. e. tales ab aeterno sortitur origines, quae sint egressiones. Modus loquendi mysterio demum SS. Trinitatis patefacto clare patet; adhibetur pluralis numerus, quia Filius semper procedit a Patre iugi generatione et processione, olim, heri, hodie; est continua quaedam emanatio et nativitas, omni aeternitati et omnibus durationibus coexsistens; simulque uberrimi huius vitae fontes et origo excellentissima[1] indicantur (cf. *Rib. Sanct. Lap.*). Atque etiam in V. T. tempore Michaeae *egressiones* saltem aliqua ratione intelligi poterant. Nam Messiam esse divina natura praeditum, non poterat penitus ignorari, cum iam Ps. 2, 7 dicatur: « filius meus es tu » et Is. 9, 6 Messias vocetur « pater aeternitatis, Deus fortis »; addi quoque potest Ps. 44, 7; 109, 3. Sed si *filius Dei* et *Deus* agnoscebatur, origines eius tamquam nativitas a Patre considerari debebant.

Origines eius sunt *ab initio....* separatim utraque expressio apud Michaeam 7, 14. 20 et alibi occurrit de prisca historia; coniunctim similis locutio de antiqua historia legitur Is. 51, 9: « consurge, sicut in diebus antiquis (קֶדֶם *olim, initium*), in generationibus saeculorum (עוֹלָמִים) », sed etiam de vera aeternitate cf. Prov. 8, 23. Idem nostro loco obtinet; repetitione notio aeternitatis pari modo effertur, ac si dicitur in saeculum saeculi etc. (cf. *Rib.*).

S. Hier. primo explicat de aeterna generatione; mox tamen aliam explicationem subiungit: « egressus eius non eo tantum fuerat tempore, quo visus in carne est, sed ab initio aeternitatis sive ab initio saeculi; quia semper ipse locutus est per prophetas et sermo Dei factus est in manu eorum, ideo dabit Iudaeos, eosque regnare permittet usque ad tempus parientis ». Sed haec expositio considerari potest tamquam fluens ex priore: quia ab aeterno exsistit, ideo etiam olim antequam in carne appareret, continuo se manifestavit. — Clarius triplicem explanationem proponit et legentibus eligendam relinquit *S. Cyr.*: « egressus itaque appellat aut temporis expertem Dei Filii ex Patre in propria subsistentia generationem, aut exhibitionem eius in tempore futuram, quando caro factus est; aut etiam ex diebus saeculi praedefinitus et constitutus est Salvator et Redemptor »; sim. *Theoph.* Ceterum testimonia Patrum, qui de aeterna generatione rite exponunt, vide apud *Rib.* et *Sanct.* Uterque etiam commemorat interpretationem, quae recentioribus quibusdam placet et a *S. Hier. Cyr.* aliisque iam est indicata:

---

1. Hisce recentiorum quoque interpretationes concordant; vertunt *Rückert* seine Hervorgänge; *de Wette*, *Hitz.* sein Ursprung; *Ewald* seine Ursprünge; *Keil* seine Ausgänge; *Haevernick* seine Ausgangszeiten; *Fürst C.* ortus, origo. Numero vero plurali nomen *collectivum* et *abstractum* exprimitur; cf. *Ewald*, Lehrbuch der hebr. Spr. § 179.

egressiones dici *operationes*, quas Deus a rerum prima constitutione ediderit et praesertim manifestationes per angelum Domini (cf. *Keil, Trochon*). Sed nequit ostendi, מוֹצָאָה vel מוֹצָא habere hanc significationem, neque verum est, in Scriptura *Deum egredi* idem plane dicere ac Deum operari. Alii ex recentioribus locum explicant de generis antiquitate et nobilitate vel de titulis antiquissimis, immo immemorabilibus, quos habeat ad dominationem capiendam (cf. *Iahn, Schegg*); at *prius* nil dicit eximii, cum familia David vel stirps Iuda non sit ceteris antiquior; alterum vero aeque a vocis significatione abest. *Chald.* aeternitatem refert ad *nomen* Messiae : cuius nomen dictum est ab initio, a diebus saeculi. *Theod. M.* Zorobabelem hic designari vult sed simul Christum denotari; similiter *Barh.* qui *corporaliter* i. e. sensu historico et literali Zorobabelem ducem, *spiritualiter* vero Christum significari affirmat. Explicationem hanc *Theod.* et *Theoph.* impugnant iam ex eo, quod Zorobabel non in Bethlehem, sed ut ipsum nomen declarat, in Babel natus sit[1]. — Ceterum longiorem disquisitionem de historia interpretationis huius loci vide apud *Reinke,* Mess. Weissag. III p. 349-364.

Apud Matth. 2, 6 textus ita legitur : « et tu Bethlehem terra Iuda, nequaqam minima es in principibus Iuda » ; de quo loco cum Mich. conciliando multa scripserunt (cf. apud *Rib. Sanct.*). Sed cum apud S. Matth. pergatur : *ex te enim exiet..* liquido patet sensus : Bethlehem revera magnam et nobilem fore, quia ex illa rex aeternus sit proditurus. Quod ergo apud Mich. tamquam corollarium et consequens ex textu sequitur, hoc apud Matth. aperte enuntiatum audimus. Vel Michaeas aperte ponit Bethlehem vicum parvum, si civium numerum consideres, tamen Dominatorem esse editurum, et ita tacite innuit gloriam eius ac famam futuram; Matthaeus vero hanc conceptis verbis affert. Similiter *Rib.* nodum solvit addens : « probabilissima est haec solutio et satisfacere cordato lectori debet ». — *In principibus Iuda* cf. supra; *in Israel* exhibetur apud Matth. circumlocutione : *qui regat populum meum Israel,* qua verba fere referuntur ex 2 Reg. 5, 2 olim ad David dicta.

Uti ex 5, 1 elucet, calamitas et oppressio hostilis perdurabit usque ad Dominatoris adventum. Ab eo autem gloria, pax, beata concordia afferetur. Id v. 3 quoque proponitur ; v. 3 « *propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet, et reliquiae fratrum eius convertentur ad filios Israel* » ; — i. e. quia Messias ex vico ignobili, proin ex stirpe Davidica non in splendore constituta, sed obscura, collapsa, ad humilem conditionem redacta, prodire debet, *dabit eos* hostibus proculcandos, permittet eos opprimi (cf. *Cyr. Theoph. Barh. Alb. Men.*), donec Dominator ille nascatur ; *pariens* est eximia illa Virgo Is. 7, 14 : « ecce virgo concipiens et pariens » iam ex vaticinio Isaiae nota. Partus, vel egressus

1. Cf. Agg. 1, 1; neque ulla ratione dici potest, eum propterea tamquam ex Bethlehem (uti v. g. *Grotius* vult) egressum describi, quia descendat a David, i. e. a familia ex Bethlehem oriunda ; at nemo Moysen dicit egressum esse ex Ur Chaldaeorum, quia inde ortus sit Abraham.

Dominatoris omnis beatitatis felicissimum est auspicium. Ita apud Isaiam quoque l. c. partus ut liberationis symbolum datur; quare cum nostro loco de simili partu, qui sit oppressionis finis ac terminus, sermo inferatur et *pariens* iam nota et sane eximia commemoretur, postquam de egressu Dominatoris ex Bethlehem mentio est iniecta, sententia minime dubia est, et partim ex 5, 2 partim ex Is. l. c. de matre Messiae intelligi debet.

Tamquam beatae instaurationis initium describitur altero membro benedictio quam Dominator allaturus est. Ut Dominator super Israel reliquias Israel reducet; hebr. *et reliquiae fratrum eius revertentur cum*[1] *filiis Israel*; Iudaei *fratres* eius vocantur, quare *temporalis* Messiae ex Bethlehem *origo* denuo innuitur. Venit Messias, ut populum suum colligat: « non sum missus nisi ad oves quae perierant domus Israel »; Iudaeis *primo* Evangelium erat annuntiandum et primi coetus Christianorum ex Iudaeis coalescebant et quia Iudaei Messiam respuebant — *reliquiae* enim convertentur — « ecce convertimur ad gentes » Act. 13, 46. Reditum istum concordem describit Ier. 3, 18. Ez. 37, 19.

Parientem intelligi matrem Messiae, plerique interpretum censent (cf. *Ephr. Cyr. Theoph. Alb. Lap. Men. Tir. Hitz. Schegg, Keil, Trochon, Reinke, Loch,* — alios vide apud *Reinke* l. c. p. 374). At consensus non est unanimis. Alii enim *Ecclesiam* intelligi volunt, cui dictum sit pariter illud: *laetare sterilis quae non paris* etc. Is. 54, 1; ita *S. Hier. Theod.*; alii eodem sensu gentilitatem, quae coniuncta cum Christo pariat multos filios (*Rib. Mar.*); alii Ierusalem ita dici opinantur, quippe quae auxilio Dei adiuta doloribusque partus feliciter perfuncta meliorem conditionem nacta esset « atque hoc donum peperisset, cuius beneficio ipsi salvi exstitissent » (*Theod. M.*); quae expositio etiam a *Sanct.* in paraphrasi adoptatur et confirmari potest ex iis, quae ad 4, 10 notata sunt. Denique *Calm.* urbem ibi cernit *Babylonem*: « populum suum Chaldaeis tradet Deus, donec nimirum Babylon captivos, quos veluti utero clausos continebat, dimitteret ».

Verum istis expositionibus acquiescendum non est. Primo enim cum subito de *pariente* sermo inferatur, de ea, quae iam ut talis nota est, mentio fieri debet. Talis autem est, vel ex 4, 9. 10 ipsa Sion, vel ex 5, 2 et Is. 7, 14 mater Messiae. Tertium non datur, cum certe neque Ecclesia, neque gentilitas, neque Babylon simpliciter *parientis* nomine significari possit quasi nomine ex vaticinio hoc vel aliunde iam in usum invecto. Verum difficile non est ostendere, Sionem h. l. omnino non posse intelligi. Nam cum sequatur: *et reliquiae fratrum eius*, necessario in membro antecedente supplendum est: in quo parturiens pariet

1. Ita esse עַל capiendum, ex eo elucet, quia Iudaei nunquam dicuntur reverti ad Israel, vel sese adiungere ad Israel; ceterum cf. Gen. 32, 12. Ex. 35, 22. Iob 38, 32. 1 Sam. 14, 32. Ps. 50, 5; 92, 4 etc. quibus in locis notio *una cum* indubia est; vide *Ges.* Thes. s. v. עַל d p. 1027; *Ewald,* Lehrbuch § 217, 4 δ.

eum; insuper *eum* suppleri debere, iam sequitur ex v. 2 *ex te egredietur*, cum vocabulum ad nativitatis originem aptum adhibeatur. Iam vero in tali contextu ex v. 2 et altero membro versus 3ii (fratrum eius) non potest intelligi, nisi ipse Dominator. Praeterea h. l. populus non consideratur per modum alicuius abstractionis, ut filia Sion etc. quia dicitur : *tradet eos*; neque sensus esse potest : *tradet eos, donec Sion pariat*; hoc enim esset vel : donec Sion laboribus et doloribus perfuncta fuerit, vel : donec Sion fructum praeclarum ediderit vel : donec Sion eum pepererit. Sed primum tautologice ac ridicule dicitur : opprimentur, donec cessat oppressio ; alterum arbitrarie asseritur et contra analogiam, quia non ipsa Sion ex se fructum praeclarum producit, verum a Deo instauratio efficitur ; tertium denique significatione duplici accipi potest : vel Sion pariet Messiam ; id quod gratuito asseritur, cum Sion nullibi hac dignitate ornetur ; vel pariet populum novum sanctum, uti Is. 66, 8 ; at *populus novus sanctus* hoc loco gratis fingitur et contextu reluctante obtruditur, immo propter *reliquias fratris eius* prorsus excluditur. Insuper hisce in versibus de Sion non fit mentio ; frustra igitur arcessitur. Proinde restat explicatio de matre Messiae unice et verbis apta et contextui consentanea et ab Isaiae vaticinio iam praeparata et suggesta, quam explicationem etiam aliqui ex rationalistis, uti *Ewald, Hitzig*, amplectuntur.

Demum notandum est, *dabit eos* ab aliis explicari : eos conservabit, non permittet interire et penitus exstingui (cf. *Hier. Theod. Rib. Sanct. Sa, Mar. Tir.*) ; sed locutio sensu supra allato accipi debet ; cf. Iud. 11, 9. 1 Reg. 8, 46 ; 14, 16 (text. hebr.). 2 Chron. 30, 7 etc. nam *dare* — prodere in manus et potestatem hostium, usu frequentissimo est ; multa exempla congessit *Ges.* Thes. p. 926. Atque nostro loco is sensus sufficienter iam versu 1 determinatur et parallelismo qui adest *sensus* inter nostrum versum et duos antecedentes ; calamitatem enim duraturam utrimque clare asseritur, donec Messias advenerit ; vel : versus 3 paucis complectitur antecedentia, unde ex iis quoque illustretur oportet.

h) Dominatio eius beata atque invicta 5, 4-8.

Tamquam primum Dominatoris opus assignatum est, ut ex reliquiis populi sui coetum Deo sanctum colligat v. 3 ; a reliquiis istis conversis nova theocratia messianica exordium capit. Iam quid in ea effecturus sit, clarius describitur : v. 4 « *Et stabit et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui ; et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terrae* » ; — *stabit* i. e. praesto est et vigil, ut opem ferat (cf. *Cyr. Rib.*) ; gregem Domini ipse pascet, diriget, optimis pascuis providebit, officio fungens divina fortitudine et potentia, ita ut nemo possit ei ullam rapere ovem (*Rib.*) ; ornabit munus pastoritium illa maiestate et virtutis magnitudine, quam Deum ostendere par est ; ita scil. eos gubernabit ac si in eo gloria nominis Dei et honor maiestatis divinae ageretur, cum indignum sit sublimitate divina eos non optime pascere et protegere (*Rib.*). Paucis propheta veri ac divini pa-

storis partes delineat, infinite excedentes illas, quas pastores populi rapinis, oppressionibus, crudelitate, ruinis tunc exercebant (cf. 2, 1. 2. 8. 9; 3, 1-12). Sub tali cura divina secure ac tuto *habitabunt*; ita enim, ut ipse *Hier.* fatetur, *melius* cum *Sym.* textus hebr. [1] verti debet, idque ipso progressu orationis exigitur. Nam *conversio* iam supra v. 3 est descripta, et cum Dominator protegat et pascat, effectus huius auxilii et officii exspectatur i. e. secura atque imperturbata habitatio. Haec populo in vetere Testamento raro contigit, est vero propria novi foederis, *quia nunc magnificabitur,* quia nunc Deus potentiam, maiestatem, gloriam, benignitatem peculiari ratione ostendere vult. In Ecclesiae igitur stabilitate, invicta constantia, duratione imperturbata Dei magnificentia per orbem terrarum relucet.

Cur et qua ratione quieta habitatione fruantur, in sequentibus magis declaratur : v. 5 « *et erit iste pax ; cum venerit Assyrius in terram nostram et quando calcaverit in domibus nostris, et suscitabimus super eum septem pastores et octo primates homines* » ; — quia ipse Dominator est *pax* [2], pace ac tranquillitate subditi eius donantur. Pacem in nova theocratia vates iam 4, 3. 4 descripsit; et hoc loco post tot bellicos tumultus et perturbationes (4, 9. 10. 11 ; 5, 1) pacis mentio eo gratior redit. Est autem Dominator *princeps pacis* (Is. 9, 6), pacis auctor, largitor, effector, sub cuius imperio totus orbis laeta pace et felicitate illustrabitur (cf. Ps. 71); est pax שָׁלוֹם, non sine allusione ad Schelomoh, Salomon, qui est *pacificus* et cuius regni pax, ubertas, felicitas umbram et imaginem exhibuit regni messianici (cf. 4, 4). Neque enim David, quia multum sanguinem fudit, templum Deo erigere potuit, sed ad id Salomon electus est, rex pacificus; ita novum Dei templum et regnum ab eo instituitur, qui est pax. Ei vero etiam propterea appellatio haec quam maxime convenit, quia ipse pacem restituit inter Deum et hominem et inter homines ipsos et tamquam talis *Pacificator* iam Gen. 49, 10 (hebr.) annuntiatur. Unde plane consequens est, ut Messias recenter natus pacis cantico ab angelis consalutetur, ut hanc eligat salutationem messianicam eamque suis Apostolis adhibendam tradat. *Pax* igitur et in vaticiniis messianicis et in vita et doctrina Christi et in epistolis Apostolorum mira concordia annuntiatur.

Qualis autem pax in regno messianico exspectanda sit, statim determinatur : pax illa scil. quae pugna, vigilantia, victoria de hostibus re-

---

1. At *Syrus* quoque et *Chald.* exprimunt *convertentur* i. e. lectionem יָשֻׁבוּ pro יֵשְׁבוּ ; LXX ad hanc accedunt ἐν τῇ δόξῃ τοῦ ὀνόματος... ὑπάρξουσιν.

2. *Chald.* vertit : et erit deinceps pax nobis. Etiam aliqui interpretes explicant : et erit *tunc* pax, erunt res prosperae (*Grotius, Ros.*) ; at זֶה est pronomen *hic, iste*, neque unquam particulae *loci* vel *temporis* significationem assumit neque qui pro hac significatione afferuntur oci (Gen. 31, 41. Num. 22, 32. Esth. 2, 13) eam ostendunt (cf. *Reinke*).

portata possidetur. Id innuitur, dum dicitur : *cum venerit Assyrius*; Assur tempore Michaeae hostis praepotens populo Dei imminebat, iam partem populi abduxerat et aliquas provincias terrae Domini occupaverat (cf. 4 Reg. 15, 29 ; 17, 4 - 6 ?) atque magis magisque ipsi urbi periculum et terrorem creabat. Quare Assur praecipuo quodam iure tamquam *hostis* regni Dei in scenam propheticam inducitur, in se scil. reliquos omnes concludens ac repraesentans. *Cum venerit.... et suscitabimus*; illud *et* apodosin vestit (uti germanicum *so*), *tum* scil. non aderit ducum penuria, sed quamplurimos duces et copias insignes ei opponemus. Numerus enim septenarius multitudinem dicit, quae adiuncto numero octonario tamquam omnino magna designatur ; ita similem habes locutionem apud Amos : « super tribus sceleribus et super quattuor » et 1 Reg. 2, 5 hebraea et graeca habent : « donec sterilis peperit septem », id quod interpres latinus rite explanavit : « donec sterilis peperit plurimos » (cf. Ier. 15, 9) ; similiter Eccl. 11, 2 : « da partem septem, nec non et octo » i. e. panum et opum tuarum partes eroga liberaliter in pauperes (cf. *Rib. Sanct. Lap. Est. Mar. Men.*). *Primates* i. e. *principes hominum* hebr., qui instituti sunt a Dominatore tamquam principes super subditos regni sui ; quare innuitur adfore in regno messianico ordinem hierarchicum, adfore duces, principes a Messia delectos et consecratos et institutos, qui eius nomine res gerant.

Refert *S. Hier.* : « ubi nos posuimus *primates homines* et in hebraico scriptum est *nesiche adam*, *Sym.* interpretatus est *christos hominum* ; *Theod.* et quinta editio *principes hominum* ; *Aq. graves* vel *constitutos homines*, id est καθεσταμένους ; » ; cf. cod. syr. hexapl. p. 198. 536. נָסִיךְ alibi vertitur *dux* Ios. 13, 21 ; *princeps* Ez. 30, 32. Ps. 82, 12. Cum נֶסֶךְ sit *libamen*, aliqui vocem explicant : is qui libamine effuso consecratus sit (cf. *Fürst L.*) ; unde haud immerito *Sym. christos* transtulit, quam notionem *Schegg* voci bene vindicat.

Isti autem principes non solum regnum ac ditionem theocraticam efficaciter defendent et tuebuntur, verum etiam terras regionesque hostium ipsis hostium armis expugnabunt ac subiicient : v. 6 « *et pascent terram Assur in gladio et terram Nemrod in lanceis eius* » ; — suis armis hostes vincentur et haec arma hostibus erepta militibus Christi inservient. *Nemrod* cf. Gen. 10, 8 - 12 ; ita rebellio illa antiquissima, cuius initium et centrum fuit *Babel*, ultimatim a Messia prosternetur ; eius rebellionis symbolum in nomine *Nemrod* cernitur, quod proprie *rebellemus* (מָרַד Is. 36, 5. 2 Reg. 18, 20 etc.) interpretaberis ; ipse Nemrod « coepit esse potens in terra », vi et oppressione utitur, neque in posterum terra Assur et Babel a talis parentis exemplo unquam recessit. Pastores autem Dominatoris *pascent* terram gladio i. e. eam subiicient et quidquid est rebellionis tollent. Is autem, qui per principes ex homini-

bus assumptos cladem hostibus infert et fideli gregi pacem ac securitatem procurat, est ipse Messias ; unde : « *et liberabit ab Assur, cum venerit in terram nostram et cum calcaverit in finibus nostris* » ; — erunt igitur etiam regno messianico certamina subeunda et pax illa promissa acquiritur multa patientia (cf. Ioel 3, 9) ; verum portae inferi *non praevalebunt.*

Adnotat *S. Hier.* : « in eo ubi ego et Aquila transtulimus *in lanceis eius*, Symmachus vertit ἐντὸς πυλῶν αὐτῆς id est *intra portas eius* ; Theodotio *in portis eorum* ; quinta editio ἐν παραξίφησιν αὐτῶν, quod nos possumus dicere *in sicis eorum*, in hebraeo autem positum est baphetee » (בִּפְתָחֶיהָ). Plerique vertunt *in portis eius* i. e. in oppidis et arcibus eius, terram simul cum omnibus urbibus.. occupabunt, uti Assur *calcavit in terram nostram et in domibus nostris.* Sed parallelismo versio *S. Hier.* commendatur ; formam hebr. eadem scil. significatione accepit, qua פְּתִחוֹת Ps. 55, 22 *iacula*. Vertit *Chald.* : in fortitudine turrium ; *Syrus* : in ira eius. LXX praebent ἐν τῇ τάφρῳ αὐτῆς. Praeterea cf. cod. syr. hexapl. ad h. l.

Est igitur Dominator pax et protectio efficacissima populi sui. Sed et ipse populus sub tali duce beatitudinis huius ac fortitudinis particeps benedictionem acceptam longe lateque diffundit in omnes qui eam recipere gestiunt, adversarios vero invicte prosternit. Ita populus messianicus similitudinem Messiae induit ; id quod de *pace* v. 7 delaratur : v. 7 « *et erunt reliquiae Iacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino et quasi stillae super herbam, quae non exspectat virum et non praestolatur filios hominum* » ; — cf. v. 3 ; hae primitiae Israel, quas Messias reducet ac convertet ad Deum suum, erunt in medio populorum quasi ros coelitus immissus ; « loquitur autem iuxta id quod in terra promissionis fiebat, in qua quoniam a Maio ad Octobrem usque mensem pluvia non est, fructus terrae rore conservantur, ne nimio calore arescant et pereant » (*Rib.* sim. *Sanct.*). Afferent fertilitatem, vigorem et quae languescunt ad novam vitam erigent, i. e. sermone et doctrina divina animas hominum veluti rore perfundent et gratiis coelestibus impinguabunt (cf. *Cyr.*) ; « tantam ac talem rerum omnium copiam pollicetur, ut et alios hac bonorum affluentia quasi rore conspergere et beneficiis afficere possint » (*Theoph.*). Vide Os. 14, 6. Similitudinem roris et pluviae ad fecunditatem referendam esse, non, ut alii volunt, ad multitudinem, neque ad repentinam regni messianici originem, iam inde patet, quia hac imagine id adumbratur, quod de Messia supra dictum est : *et erit iste pax*, sicuti altera leonis comparatione ea ad populum accommodantur, quae in antecedentibus de victoria Messiae dicta sunt. Quare bene explicat *Lap.* : « divina doctrina et vitae sanctitate fecundabunt terram... Deus sua coelesti luce et gratia ad praedicationem Apostolorum illabens mentibus auditorum easque placide ac suaviter irrorans

faciet eas fecundas virtutibus et bonis operibus ». Ad gratiam coelitus conferendam refertur illud *a Domino*. Atque spiritualem hanc plantationem, *herbam*, non crescere hominum industria et adiutorio, verum solo favore divino, designatur membro illo: *quae non exspectat virum* . . . i. e. non ab homine sperat ea quae ad vigorem et vitam conferunt, neque homo ea largiri potest (cf. *Alb.*). Textus hebr. ita verti potest: *qui* scil. ros *non exspectat hominem* i. e. ros datur a Domino, quando et quantum vult; hominum industria, desiderio, conatibus attrahi non potest: ita gratia Dei gratuito datur, cui et quando Deus voluerit; homo eam promereri nequit suis viribus. Spiritus enim spirat, ubi vult neque est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Atque uti in singulorum hominum vita, ita in populorum quoque conversione gratuitum Dei beneficium, qui efficaciter vocat, quando ipsi placuerit, agnoscendum est. Ita *ros* gratiae operationem bene adumbrat. Idem exprimeretur in textu latino, si scriberetur: quae (scil. stillae) non *exspectant* virum et non *praestolantur* filios hominum.

Uti nova theocratia abundat benedictione, ita etiam fortitudine et terrore praestat in adversarios; agit *suaviter* et *fortiter*; v. 8 « *et erunt reliquiae Iacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis silvarum et quasi catulus leonis in gregibus pecorum, qui cum transierit et conculcaverit et ceperit, non est qui eruat* »; — hebr. accuratius non *ceperit*, sed *qui si pertransit* (gregem), *conculcat et discerpit et non est qui eruat*; imaginem terroris et fortitudinis invictae tam accurate et quasi *epice* oculis subiicit vates, ut ad omnium solatium mediis in aerumnis constet, nullum hostem in theocratiam praevaliturum. Leo enim ex Iuda vincet (cf. Gen. 49, 9. Num. 23, 24. Os. 5, 14) et huius potentiae particeps est populus Dei; quae enim de Messia valent, qui est *caput*, haec de eius quoque *corpore*, quae est Ecclesia, iure merito praedicari, ipsa hac *leonis* similitudine declaratur, quippe quae alias de Messia, hic de eius Ecclesia proponitur.

i) **Abolendus est apparatus bellicus et superstitiosus 5, 9-14.**

Consideravit vates a v. 2-8 praeclaram felicitatem et gloriam invictam quam Dominator suis allaturus est. Huic igitur magno desiderio obviam fertur; quare ardenti animi studio talem gloriae divinae manifestationem exoptat et vaticinia accepta suis precibus comitatur; ita v. 9 in textu hebr. per modum optativi: *exaltetur manus tua super inimicos tuos*; eodem sensu intellige *vulg.* v. 9 « *Exaltabitur manus tua super hostes tuos et omnes inimici tui interibunt* »; — magna sit et excelsa manus tua, uti olim erat super Aegyptios in exitu Israel de Aegypto; cf. Num. 33, 3. Ex. 14, 8. Is. 26, 11; atque intereant omnes, qui divinis consiliis

se opponunt! *exscindantur* hebr.; quibus verbis vates sane comprehendit inimicos Dei extra Israel et intra Israel (cf. 2, 3; 3, 2 etc.)

Huic suspirio vatis Deus respondet declarans, quae ablaturus sit et aboliturus ex Israel in die illo, quo scil. manum suam exaltabit et novam theocratiam instituet. Aliis verbis : indicat Deus regnum messianicum praeparandum esse abolitione omnis apparatus bellici (v. 10. 11) et superstitiosi (v. 12. 13. 14). Vates igitur pro sui temporis conditione hac simul doctrina utitur, qua ostendat, quae a se removere debeant, ut populus Deo acceptus praeparetur. Uti enim iam ex antecedentibus (4, 9; 5, 1) constat, populo in aerumnis et *abiecto statu* versanti salus affulgebit.

Quare Deus sermonem facit de epocha, qua incipit manum suam exaltare et omnia quae theocratiae obstant exscindere : v. 10 « *et erit in die illa, dicit Dominus, auferam equos tuos de medio tui et disperdam quadrigas tuas*, v. 11 *et perdam civitates terrae tuae et destruam omnes munitiones tuas* »; — arcte ad v. 9 referri debet *in die illa*; ut scil. desiderium prophetae impleatur, ut gloria Dei in nova theocratia reluceat, pompa terrestris, superbia et fiducia funditus erit exstirpanda; periodus humilitatis est quasi germen et origo instaurationis; cf. Zach. 9, 10; quare locus iste insigniter docet, quam immerito Iudaei regnum messianicum bellica gloria et mundano fastu celebre sibi polliciti sint; e contra haec omnia interitui et abolitioni esse devovenda diserte et explicite annuntiatur. Illa explicite commemorantur, quae ad impetum in hostes faciendum et ad defendendam regionem quam maxime valent, ut ex una specie scil. omne armorum genus intelligatur et omnis potentia humana, cui fiducia humana possit inniti.

Alia praeparatio, qua inauguranda est nova theocratia, eaque pro Michaeae tempore peropportuna, in eo consistit, ut ritus quivis et cultus superstitiosus atque idololatricus tollatur; « *et auferam maleficia de manu tua et divinationes non erunt in te*; v. 12 *et perire faciam sculptilia tua et statuas de medio tui et non adorabis ultra opera manuum tuarum* »; — tales ritus exstitisse, vide Is. 2, 6-9. 18. 20; 57, 5-8. 4 Reg. 16, 3. 4; 18, 4. 2 Par. 28, 2. 3; 31, 1; *divinationes* hebr. מְעוֹנְנִים, quam vocem multi de augurio ex nubibus capto, alii de incantatione et fascino, alii de vi excitandi tempestates explicant [1]. *Sculptilia* idola sunt ex ligno vel aere, ferro confecta; *statuae* מַצֵּבוֹת etiam *cippi lapidei* vocabantur et obelisci (cf. Gen. 28, 18. 22; 31, 13. Ier. 43, 13), qui consecratione quadam cultui idolorum adhibebantur.

Demum utrumque, idololatriam et apparatum bellicum, complexus ite-

---

1. Vertit h. l. *Aq.* κληδονιζόμενοι; *Sym.* σημειοσκοπούμενοι; *Theod.* ἀποφθεγγόμενοι. Neque *vulg.* eodem ubique modo vertit : *augures, observantes somnia, tempora*; LXX

rata assertione deletum iri vaticinatur v. 13 « *et evellam lucos tuos de medio tui et conteram civitates tuas* » ; — hebr. אֲשֵׁירֶיךָ ; videntur arborum trunci fuisse, erecti in honorem Ascherae (cf. Deut. 16, 21 hebr.). Cultum Ascherae (vel Astartes?) impudicitiis plenum pro toto genere affert ; in altero membro aliqui textu mutato [1] legi volunt *conteram inimicos tuos* (cf. *Mar. Men. Trochon*), sicuti *Chald.* vertit. At lectio communis optimum praebet compendium versuum antecedentium ; quare omnino retinenda est.

Aschera, quae *felix, felicitatem afferens*, proinde *dea Fortuna* explicatur, aliquibus in locis V. T. indubie tamquam dea et socia Baal designatur. Ita sane cum sermo infertur de aliquo simulacro Ascherae, de supellectile pro Aschera, de tabernaculis vel domunculis pro Aschera, de prophetis Ascherae (cf. hebr. 1 Reg. 15, 13 ; 18, 19. 2 Reg. 21, 7 ; 23, 4. 7. 2 Chron. 15, 16). Verum plerisque in locis Aschera vel nomen plurale Ascherim et Ascheroth adhibetur pro idolis, simulacris, statuis ; fiebant ista ex ligno, vel eorum loco arbores aut arborum trunci usurpabantur ; saepe enim in hebr. legimus Ascherim debere exscindi, succidi, comburi, exterminari ; non debere fieri, collocari, etiam aedificari ;debere efferri vel removeri ; vel ea stare, consistere (cf. Ex. 34, 13. Deut. 7, 5 ; 12, 3. Iud. 6, 25. 28. 1 Reg. 14, 15. 23 ; 16, 33. 2 Reg. 13, 6 ; 17, 10. 16 ; 18, 4. Is. 17, 8 ; 27, 9. Ier. 17, 2. 2 Chron. 14, 3 ; 17, 6 ; 19, 3 ; 31, 1 etc.). Etiam *plantare* dicitur Deut. 16, 21 *non plantabis tibi Ascheram omne lignum iuxta altare Domini Dei tui* (hebr.), ex qua locutione orta videtur versio apud LXX et in *vulg.* obvia, Ascherim esse lucum, id quod a re non adeo discrepat, quia prope eiusmodi sacraria saepe etiam lucus aderat voluptatis fovendae causa. Simul cum Baal cultus Ascherae exercebatur et Ascherae symbolum prope altare Baal collocabatur. Cultus impuritatem et spurcitias satis ea produnt quae 1 Reg. 14, 23 ; 15, 12-14, 2 Reg. 23, 7 (hebr.) indicantur ; quare *S. Hier.* verborum sensum rite expressit loquens de sacris Priapi et de simulacro turpissimo 3 Reg. 15, 13.

Alia est quaestio, utrum Aschera idem fuerit idolum cum Astarte (Aschtoreth) necne. Multi id censent aliis negantibus aliisque rem certo definiri non posse asserentibus. Astarten eandem fuisse quae apud Assyrios Istar appellabatur, satis probabile videtur. De tota re vide *Vigouroux*, La Bible et les découvertes mod. 3 ed. III p. 263 ; *Schenkel*, Bibellex. I p. 257 ; *Herzog*, Realencyklop. für prot. Theol. 2 ed. I p. 723 ; *Kaulen*, Kirchenlexicon I p. 1520. Multa quoque affert *Movers*, Die Phoenizier I p. 559 et seq. *P. Scholz*, Goetzendienst p. 247 seq.

Uti Deus in populo Israel ea destruit et exstirpat, quae sanctitati divinae opponuntur, ita in reliquis quoque populis : v. 14 « *et faciam in*

---

modo κληδονισμόν i. e. ominationem ex sono, voce, vel οἰώνισμα et ὀρνιθοσκοπεῖν augurium ex avium volatu etc. captum exprimunt ; cf. *Ges.* Thes. p. 1053.

1. Vel עָר in notione *inimicus* accipiunt, quam vox aramaica habet Dan. 4, 16. Locus qui pro ea re affertur 1 Sam. 28, 16 valde dubius est ; lego secundum LXX et *S. Hier.* לְרֵעֶךָ.

furore et in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quae non audierunt » ; — i. e. quae non obedierunt, quae vocem Domini invitantis contempserunt. Ultionem indicat summam *in furore* .. nulla clementia mitigatam. Epocha enim messianica tempus iudicii quoque est in populos exercendi, quia salus oblata cedet illis vel in resurrectionem vel in ruinam maiorem (cf. Is. 66, 15-18. Ioel 3, 9. Soph. 3, 8. Agg. 2, 23).

Versus hos interpretes vario modo superioribus iungunt et explicant. Alii enim de Assyriis eos dici existimant, eorumque cladem annuntiari (uti iam *S. Ephr.* et *Theod. M.*), alii eos referunt generatim ad eversionem Ninives et Babylonis et inimicorum populi Dei. Sensus utique sat facilis et obvius colligitur. Sed unde tam repertina *apostrophe* ad gentes hoc loco declaretur, illi non explicant neque facile dixeris, neque intelligitur, quomodo si allocutio fit ad gentes, iterum subito v. 14 enallage personae fiat et de gentibus inferatur sermo talis, quasi antea earum mentio non habita esset. Eadem difficultate premitur explanatio, vatem loqui ad gentilitatem conversam (*Sa, Lap.*) vel ad Ecclesiam primitivam, cui omnia arma quibus antea oppugnasset fidem, Deus sit ablaturus (*Men. Tir.*), vel ad membra convertenda (*Rib.*). Nam quaero, ubinam est in textu aliquod indicium vel vestigium, orationem non ad Israelem, verum ad alios quosdam dirigi ? unde tam repentina vel gentium conversarum vel convertendarum, vel Ecclesiae primitivae allocutio ?

Neque explanatio a *Keil* proposita approbari potest : describi scil. internam regni messianici sanctitatem et perfectionem, quae demum superatis omnibus hostibus sit exoritura. At oppido falsum ! neque enim Israel magiae et diis addictus hostes superabit, neque interna sanctitas et perfectio regni messianici est adeo manca et imperfecta, ut abolitione magiae et idololatriae contineatur. Num propheta ad novae theocratiae sanctitatem exhibendam nihil aliud proferre censendus est nisi auferendum esse cultum superstitiosum ! Quis post tam magnifica promissa (5, 4 etc.) adeo parum exspectat ?

Aliter *S. Cyr.*, qui hos versus praedictioni de clade urbis hierosolymitanae eiusque excidio adnectit : « tunc ergo, inquit, peribit equitatus tuus et simul cum eo peribit curruum superbia.... Israelem a detestanda idololatria, ab aris, a delubris, a sacrificiis et ab adoratione operum manuum suarum liberat ». Similiter *Theod.* quoque verba refert ad Iudaeorum inter gentes dispersorum conditionem ; « praedicit itaque eis fore ut ab urbibus suis expellantur et in gentibus dispersi ab idolorum errore liberentur » ; censet enim Iudaeos cum gentium conversarum pietatem vidissent, invitos etiam ipsos a cultu idolorum recessisse. At sermo fit ad eosdem ad quos antea, sed eum in modum, ut declaretur quid auferendum sit, ut regnum exoriatur et stabiliatur messianicum.

III. — TERTIA ORATIO CP. 6 ET 7.

ARG. — Scena forensi instructa Deus disceptationem cum populo orditur eum commemoratis beneficiis, quae olim in Aegypto et in itinere per desertum ei contulerat, ingratitudinis accusans (6, 1 - 5). Nomine

populi propheta se imparem fatetur, qui dignam exhibeat gratiarum actionem; respondet Deus ostendens se placari exercitio caritatis et iustitiae (6, 6 - 8). Verum cum populus a tali virtutum norma longissime absit, quippe qui fraudi et avaritiae summopere sit implicatus, grave denuntiatur ab hoste victore supplicium (6, 9 - 16).

Porro tale excidium merentur, quia pravitas morum longe lateque serpens omnes ordines infecit; quare vastatio veniet, qua humanae societatis vincula dissolventur ruina universali (7, 1 - 6). In tali extrema necessitate spes in unum Deum est erigenda, spes scil. instaurationis, qua vere poenitentes et Dei auxilio confidentes nunquam destituuntur, (7, 7 - 10). Iam ea spes in eo consistit, ut urbe restituta et separatione gentium sublata omnes ad Sionem accedant, dum regio hostium conculcationi tradatur. Tum grex Domini, populus electus, omni securitate et abundantia pascitur, mira Dei protectione cinctus, ita ut adversarii haec Dei magnalia, similia aegyptiacis signis, cernentes maximo stupore et terrore afficiantur (7, 11 - 17).

Sermonem vates precatione concludit, qua indolem spiritualem regni messianici peccatorum deletione atque gratiae veritatisque largitione constitutam luculenter effert (7, 18 - 20).

In tertia hac parte peculiariter notanda sunt haec : a) accusatio scelerum augetur beneficiis Dei recensitis; b) animorum ad regnum messianicum praeparatio, quae poenitentia, virtutum exercitio, spe firma consistat, clarius atque distinctius proponitur (6, 8; 7, 7 - 10); c) quibus in rebus indoles spiritualis novae theocratiae consistat, apertius declaratur (7, 18 - 20).

a) **Dei beneficia et populi ingratitudo 6, 1-5.**

Quo magis stupor Iudaeorum excutiatur, ad disceptationem forensem et iudicialem invitantur, quae iubente Domino instituitur a propheta et qua coram testibus populus in ius vocatur, ut ingrati animi, infidelitatis, impietatis se reum fateri cogatur et pudefiat (cf. *Cyr. Calm.*). Praefatione utitur vates ad populum, qua illos reddat attentos ad litem audiendam, quam Deus populo intendit, utpote ad causam, non a se effictam, sed a Deo imperatam, v. 1 « *Audite, quae Dominus loquitur: surge, contende iudicio adversus montes et audiant colles vocem tuam* »! — *surge*... verba Domini sunt, quibus prophetae mandat, quae in iudiciali congressu proferre debeat : discepta, in ius voca coram montibus, ita ut montes et colles tamquam *testes* vocandi sint; ita iam *Ephr. Theoph. Calm.*; idque indubium fit, cum statim subdatur in hebr. et apud LXX et in versione *S. Hier.* : *audite montes,* scil. tamquam testes beneficiorum et magnalium Dei, quae populo praestitit, testes scil.

legislationis, foederis initi et populi promissionum, testes commorationis in deserto et plurimorum miraculorum etc. Habet tale dicendi schema pondus suum, cum res inanimatae quasi vita, sensu, mente donantur, ut homines stuporis et obdurationis arguantur. Bene enim notat *Theod.* : « nam quia rationis capaces rationis inopia laborant, inanimos adversus ratione praeditos iudices dabo ». Quo in dicendi schemate, uti tertiae orationis serie postulatur, maior quoque populi reprehensio exprimitur. Similem affectum prodit, ut *Cyr.* affert, Isaias quoque 1, 2. In eam vero formam iam Moyses praeivit, invocans coelum et terram *testes*, quod legem proposuerit, *ultores* et *vindices*, si praevaricati fuerint (cf. Deut. 4, 26 ; 30, 19 ; 31, 28) ; requirit enim, uti adnotat *S. Thomas* (ad Is. l. c.), creaturam in testem in iudicium peccati, quae etiam fuerat testis in obligatione praecepti. Idque iuremerito. Nam uti creatura Deo inservivit ad puniendos Aegyptios et Israelitas liberandos, ita eius quasi interest, ne frustra praestiterit servitium ; quare nervose testis advocatur contra praevaricatores (cf. *S. Cyr.* ad Is. l. c.). Quare Dominus litem intentat coram iis : v. 2 « *audiant montes iudicium Domini et fortia fundamenta terrae ! quia iudicium Domini cum populo suo et cum Israel diiudicabitur* » ; — hebr. *audite... et stabilia* (inconcussa, perpetua), (scil.) *fundamenta terrae* [1], *quia disceptatio est Domino cum populo suo et iudicio contendet cum Israel* ; quasi *disputare* vult cum Israel, criminaliter scil. ut disceptatur in tribunali (*Lap.*) ; uti similiter apud Isaiam Dominus loquitur : *venite et iudicemur* (Is. 43, 26) ; etiam nunc populum Israel cogit praesenti omni creatura, si quid habeat respondere, ut iustificetur Deus in sermonibus suis et vincat cum iudicatur ; vult enim non solum videri potens, qui possit inferre supplicia pro populi peccatoris sceleribus, sed iustus, qui ad iudicium provocat peccatores (*S. Hier.*).

Montes et *colles* etc. varias apud varios subierunt interpretationes. *Angelos* intelligit *S. Hier.*, quibus rerum humanarum commissa sit procuratio. Certe si angeli *testes* censentur, haud repudianda erit sententia, etsi non sit loci nostri *explicatio*. Verum aliter loquitur *S. Hier.* : « in iudicio Dei vel ad angelos crimen referetur, si non egerint cuncta, quae ad suum officium pertinebant, vel ad populum, si illis universa facientibus ipsi audire contempserint ». Quam opinionem bene reiicit *Rup.*, « quia sancti angeli praeterito iam iudicio divisi a malis angelis de salute sua securi et in beatitudine sunt firmati ». Eam alio modo facta scil. suppositione impossibili ad rem augendam *Haimo* proponere vide-

1. Praeter LXX et *S. Hier.* etiam *Syrus* et *Chald.* praebent *audite*. Notat *S. Hier.* : « LXX *et valles fundamenta terrae* interpretati sunt ; *Sym.* et *Theod.* transtulerunt *et antiqua fundamenta terrae* ; quinta autem editio ipsum hebr. posuit *ethanim*, *fundamenta terrae* ».

tur : « contende iudicio cum angelis, ut si reperti fuerint non digne homines procurasse, tollatur culpa a populo et referatur ad principes vel ad me, qui tales hominibus praeposui ». Angelos intelligi posse etiam *S. Cyr.* censet, sed ita ut *coram* ipsis (ἐπ' αὐτῶν) i. e. iis praesentibus tamquam qui divinae mansuetudinis magnitudinem prae aliis cognoscant et quantam nostri curam gerat Deus optime perspexerint, iudicium instituatur ; praeter eam alias affert expositiones : montes et colles in iudicium vocari propter idololatriam in ipsis commissam et ideo reos haberi (cf. praeterea *Theoph. Lap. Tir. Men.*), vel sub tali metaphora intelligi principes et optimates. Quae ultima interpretatio multos nacta est patronos (cf. *Rib. Sanct. Sa, Mar. Men.*). Sed frustra asseritur modus loquendi adeo inusitatus. In eum inciderunt latini interpretes potissimum ex eo, quia *vulg.* fert *adversum montes* ; at את significationem habet *cum*, de societate vel de praesentia, uti Is. 30, 8 *scribe.. coram eis* (hebr.) ; eadem notione etiam πρὸς τὰ ὄρη explicant *S. Cyr.* et *Theoph.* (παρὰ τοῖς ὄρεσιν). Aliam explicationem commemorat *S. Hier.* de Abraham reliquisque patriarchis, vel de daemonibus. *Theod. et Theod. M.* in montes propterea oculos coniici debere opinantur, quia hostium Assyriorum tot cadavera circum se habuerint proiecta. — Certe non opus est contra has opiniones explicationem quam proposuimus pluribus vindicare. — Absurde *Hitz.* explicat, vati ita clamandum esse versus montes, ut echo audiatur, qua cum montes videantur respondere, disceptationem oriri et litigantium tumultum.

Disceptatio Domini non est accusatio actoris implacabilis neque iudicis severi dura sententia, verum expostulatio amore plena et ad animos commovendos quam maxime facta et viscera paterna pandens : v. 3 « *popule meus, quid feci tibi aut quid molestus fui tibi? responde mihi* » ! — pro *molestus fui* significantius, ut ait *S. Hier.* [1] in hebr. scriptum est : *quo labore te pressi?* « quae enim a me data est occasio, inquam, eorum quae adversum me scelerate patrata sunt? quod iussorum meorum onerosum, quod molestum? contra me veni et iniqui me convince !.., singularem facinoris insolentiam demonstrat etiam eorum fortasse iudicio, qui sunt vehementer ingrati » (*S. Cyr.*). Quaerit Deus, cur foedus initum violaverint ; *qua in re te fatigavi* scil. ut taedio foederis illud abiiceres? *responde mihi* urgentis est et de stupore et ingratitudine conquerentis. Et ad hanc expostulationem arcte adnectitur sequens *quia* i. e. numquid ideo tibi molestus fui, *quia* ex servitute dura in libertatem insperatam te asserui (*Sanct.*)? Unde v. 4 « *quia eduxi te de terra Aegypti et de domo servientium liberavi te et misi ante faciem tuam Moysen et Aaron et Mariam* »? — « illustre hoc fuit et late patens beneficium, in quo uno continentur plurima » (*Sanct.*). Revocat Deus eis in memoriam miracula in eorum favorem et protectionem, at in

---

1. *S. Hier.* idem verbum vertit Iob 16, 7 *oppressit* ; cf. Ez. 24, 12 *multo labore sudatum est* ; Is. 7, 13 *molestum esse* ; Ier. 12, 5 *laborare.*

punitionem Aegyptiorum patrata et qua ratione ipse suasor, ductor viae fuerit et a servili conditione eos in nobilem filiorum Dei libertatem vindicaverit. Inter potissima beneficia, quibus ea stabilivit, quae fauste coepta erant, recensetur *Moyses* legislator atque institutor, qui populum a cogitationibus abiectis et humilibus abduceret et perspicue Deo placita demonstraret (*S. Cyr.*), adnumeratur *sacerdotium Aaron*, quo officio reconciliationis et expiationis cum Deo satisfieret (cf. *Cyr. Alb. Sanct. Rib. Lap.*), efferuntur *Mariae*, sororis Moysis, partes, quae choros ducens gratiarum actionis canticum de magnifica liberatione cecinit (Ex. 15. *S. Cyr.*), quae prophetissa (Ex. 15, 20) mulierum curam agens eas potissimum edocuisse non immerito censetur (cf. *Theod. Theoph. Rib. Sanct. Lap. Men.*). Ita Deus ordinibus omnibus summa cura providit et quid aliud erat exspectandum, nisi ut populus suas etiam partes fideliter ac constanter impleret?

Expostulationem solum per summa capita literis consignavit propheta, latius certe et per singula in orali sermone prosecutus; quare iis quae initio liberationis gesta sunt [1], ea quae in fine peregrinationis per desertum et in ipsa prima terrae occupatione acciderunt, statim adnectit v. 5 « *populc meus, memento quaeso, quid cogitaverit Balach rex Moab, et quid responderit ei Balaam, filius Beor, de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres iustitias Domini* » ! — *meus*, ut pudore suffundat ingratum ; cf. Num. 22, 2 — 24, 25 ; 31, 16 ; Balac enim eos maledictione et diris perdere tentavit repetitis vicibus, Balaam vero ne minimam quidem maledictionem proferre concessum est, at iussus est populo iterato et magnifice benedicere. Deus enim, ut *Sanct.* ait, tam diligit populum, sic illius incolumitati cavet, ut neque illum ab impia lingua patiatur vel inani susurro aut magico sermone perstringi, sicut parentes tenera cura etiam quae natura levissima sunt a filiis arcent, ne eorum quies vel somnus interturbetur. Iam quid Balac cogitaverit et ope pessimi consilii Balaam (Num. 31, 16) effecerit, Deus vero largitus sit, in memoriam vates revocat addens *de Setim usque ad Galgalam* : in Setim enim populus idololatria et fornicatione quam maxime reus est effectus (Num. 25, 1 seq.) ; at nihilominus Deus misericors opem sub-

---

1. Audi, quomodo *S. Cyr.* haec beneficia conditioni nostrae accommodet : « eduxit et nos ipsos ex Aegypto spirituali, hoc est e tenebris et fraudibus diabolicis, et luto ac latere, affectionibus scil. carnalibus. Traiecit et per mare nascentes inde distractiones et acerbis quasi periculorum fluctibus inde exsistentibus liberavit divinasque leges in animum insculpsit. Sacerdotem praeterea creavit salutis nostrae auctorem. Ac velut Mariam emisit, Ecclesiam utique, hostium insidiis superiorem, servatorique Deo gloriam insigniter rependentem. In Ecclesia enim perpetuo hymni et gratiarum actiones et divinorum beneficiorum laudationes ac praedicationes vigent ». — Notum est, quam mire versus isti in liturgia in die Parasceves adhibeantur et illustrentur ad animos commovendos ; cf. *Lap.* — Digna quoque est quae legatur *S. Hier.* accommodatio textus ad rem christianam, *M.* 25, 1208.

misit, in *Galgala* Iordane transmisso primo in terra Canaan castrametati sunt et circumcisione ibi facta nova illa generatio, quae in deserto succreverat, foederi divino est sociata; quare iter illud *de Setim usque ad Galgalam* insignia Dei beneficia continet et terrae promissae occupationem et iteratam foederis ictionem verba illa indicant (cf. Ios. 4, 19; 5, 9). Haec autem Deus populo praestitit, *ut cognosceres iustitias Domini* i. e. « ut perspicua omnibus fieret mea iustitia atque veritas; progenitori enim tuo promiseram, me Palaestinae terram vobis daturum; et idcirco te incolumem servari, quo fidem ei datam servarem » (*Theoph.* sim. *Theod. Rib. Mar. Men. Tir.* « impedimenta enim humana et diabolica sustulit »). Eis enim curis et beneficiis populus perspicere potuit, quae essent Dei consilia et quae Deus ab hominibus fieri vellet: ea quippe etiam iustitiae Dei vocantur. — *Setim* in campestribus Moab ad orientem maris mortui e regione Iericho erat (cf. Num. 33, 49. Ios. 2, 1; 3, 1). *Galgala* sita erat inter Iordanem et Iericho distans a fluvio 50 stadiis, ab urbe Iericho decem (cf. *Ios.* Antiq. 5, 1, 4); ibi erant sub Iosue castra Israelitarum (Ios. 4, 19; 5, 10; 9, 6; 10, 6).

Verba ea *de Setim usque ad Galgalam* varie et prioribus adnectunt et explicant. Audi *S. Hier.*: « Balaam cupiens maledicere benedixit de Settim usque ad Galgal totum exercitum Israel oculis lustrans et mutans loca », et similiter loquuntur *Cyr. Theoph. Alb. Mar.* et ut videtur *Barh.* Eam expositionem ex eo refutat *Rib.*, quia montes, ex quibus Balaam populo maledicere tentavit, non sint in terrae tractu a Settim ad Galgal usque[1]; quare ipsi aliique (*Lap. Men. Tir.*) verba explicant de consilio a Balaam dato, ut toto itinere mulieres moabiticae submitterentur ad Israelitas seducendos. Alterius expositionis praeterea meminit *S. Hier.*, quam Hebraeorum esse dicit, ut scil. memoria repetant, quae mala operati sint et quae beneficia a Domino acceperint a tempore, quo fornicati sunt cum Midianitis usque ad tempus quo Saul apud Galgal unctus est in regem (sim. *Alb.*). Alii supplent: « *memento*, quae ego vestri causa egerim a Setim ad Galgalam usque, quo scil. prodigio aquas Iordanis coercuerim, ut liberum vobis aditum in Chanaanitidem facerem meumque foedus vobiscum ad Galgalam instauraverim » (*Calm.*). Ita iam *Chald.*: nonne egregia facinora edita sunt pro vobis a convalle Sittim..; et beneficiorum mentionem etiam iniiciunt *S. Ephr. anct. Sa, Trochon.* At non opus est suppletione illa.

b) Quomodo gratum se ostendere oporteat 6, 6-8.

Dei beneficiis in memoriam revocatis vates personam populi induens et pro populo, quem ad sensum gratitudinis evehere vult, respondens asserit, talia Dei beneficia nulla re humana rependi posse, neque in populi

---

[1] Sed si explices *de Settim versus Galgal*, ea sententia probabilitate non caret, quia rora castra Israelitarum de Settim versus Iordanem, et proin versus Galgal posita erant.

potestate neque in ulla humana virtute positum esse, quo Deo pro illatis iniuriis satisfiat eiusque maiestas peccatis offensa placetur. « Ipse populi vice pias cogitationes excitat, dicens » (*Theod.* sim. *Theoph. Sa*) v. 6 « *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocautomata et vitulos anniculos* »? — hebr. *in* (*cum*) *qua re obviam ibo Domino*? vel quasi praeveniam, praeoccupabo (cf. *Rib. Lap.*), ei scil. irato occurram, ut placem eum, vel ante eum, qui tot largitus est, comparebo pretium solvens et benignitatem remunerans? et cum quanam re *incurvabor*, me prosternam *Deo excelsi*? qua scil. re digne adorabo et honorabo tantam maiestatem, quae coeli stellarumque celsitudine longe celsior est et imperium tenet coeleste atque terrestre? Num ea sacrificia, quae ipse fieri voluit, tantae maiestati satisfaciant? Sed quomodo animalium sanguis et adipum odor et incendium tanto Deo digna esse possent? Quod ut doceat propheta et populum a sensibilibus ad excelsam de Deo cogitationem elevet, consulto *Deum excelsi* appellat. Erant vituli *anniculi* victima lectissima (cf. Lev. 9, 3. Ex. 12, 5), quatenus pro excellenti quodam sacrificiorum genere requirebantur. Verum etsi sacrificia ista in immensum augerentur, nihil Deo dignum efficeretur. Id vates inculcat v. 7 « *numquid placari potest Dominus in millibus arietum aut in multis millibus hircorum pinguium* »? — vel melius *in myriadibus*, ita ut *millia* et *decem millia* inter se excipiant, uti fit proverbiali forma (cf. 1 Reg. 18, 7). In textu hebr. leguntur *myriades rivorum olei* (cf. *Sanct. Lap. Mar.*); *oleum* enim requirebatur ad incruentam oblationem, quae cum holocausto erat coniungenda (cf. Num. 15, 4. 6. 9; 28, 5. 9. 12; 29, 3. 9. 14 etc.). Sed locutioni proverbiali melius consulitur in lectione, quam praeter *vulg.* etiam LXX et *Syrus* sequuntur [1].

Hisce legalia et ritus V. T. minime sufficere vates ostendit simulque docet, ne populus caerimonias illas nimium ducat et aestimet, sed ut ad verum Dei cultum qui vera pietate et obedientia consistat animum applicet (cf. *Cyr. Theoph. Alb. Rib.*).

Etiam longius progreditur vates. Concedit culpae conscientia homines impelli, ut culpas eluere sanguine et victimis expiare desiderent, sed nullum sanguinem *humanum*, ne carissimorum quidem pignorum, culpae labem posse emundare; inde igitur luce clarius patet, quam impar homo sit placationi divinae; « *numquid dabo primogenitum meum pro scelere*

1. Eos legisse רחלי pro textu *mas.* נחלי iam *Mar.* coniectavit. Lectionem graecam et lat. *Houbig.* quoque adoptari vult. Textui *mas.* autem suffragantur *Aq.* et *Sym.* in cod. syr. hexapl. Aliter de origine versionis syriacae coniectat *Reinke*, Proph. Micha, Beitraege IX p. 39; dum ibidem p. 26 a LXX alterum membrum omissum esse asserit, errat; textus enim fert ἐν χιλιάσι κριῶν ἢ ἐν μυριάσι χιμάρων (hircorum) πιόνων; vel secundum alios ἀρνῶν, immo etiam χειμάῤῥων, quae ultima lectio ad textum hebr. נחלי plane conformis est.

meo? fructum ventris mei pro peccato animae meae »? — « hoc autem dicit, non quod Deus eiusmodi victimis oblectetur (exemplo enim Abrahami docuit, se talia non accipere), sed hoc ex hypothesi ponit per hyperbolen propterea, quod filius est rerum omnium carissimus » (*Theoph.*); quare *primogeniti* quoque meminit, cum primogenita ubique maiore in pretio habeantur. Primogenito additur *fructus ventris mei* i. e. reliqui filii (cf. *Schegg*).

Quis a v. 6 loquatur, non omnes eodem modo explicant. Plerique populi contriti et de peccatis dolentis voces agnoscunt (cf. *Hier. Alb. Rib. Sanct. Lap. Mar. Men. Tir. Gord. Calm. Trochon*), eodem modo *Rup.* verba Ierusalem urbis proferri docet. At populum cum dolore et detestatione peccatorum ad Deum confugere et remedia placationis animo sincero exquirere, vix tibi persuadebis, si consideraveris ea quae in subsequentibus propheta minatur et reprehendit. Si enim populus vera poenitentia ad Deum se converteret, non minae et iudicium, sed venia et prosperitas annuntiarentur. Quare *populum* habitu et sermone dolentium et expiationem quaerentium induci, valde improbabile est. Multo vero magis a vero alienum est, quod recentioribus quibusdam placet, populum superbe cum Deo contendere, quia statuta peragat sacrificia et officia sua versus Deum exsolvat, neque ullo doloris sensu eum tangi, verum repellere accusationem a Deo factam quasi iniquam (cf. *Schegg, Keil*). At quid demum sibi vult, quod *pro scelere, pro peccato* sacrificium exquiritur? vel ut alii hebr. intelligunt, quod quaeritur, num primogenitus sit offerendus in expiationem sceleris et fructus ventris in sacrificium pro peccatis? Qui ita interrogat, culpam adesse agnoscit [1]. Quare iuremerito *S. Cyr.* explanat : « poenitentis personam inducit quasi commissa deflentis et cupientis cognoscere, quanam via se obiectis criminibus exsolvat et quae studia Deo acceptissima persequatur » (sim. *Theoph.*). Sed hanc personam ita propheta inducit, ut ipse praeeat et in se sensus illos exprimat, non ut populum loquentem faciat.

Immerito quoque aliqui v. g. *Reinke* verba illa *numquid dabo primogenitum meum* etc. ita accipiunt, ut populus ad iram divinam placandam sacrificia quoque humana Deo offerre ex erronea sententia voluerit; indeque populum ex altera parte reprehendunt, quia in errore adeo turpi de Deo eiusque voluntate obstrictus fuerit, ex altera autem laudant, quia se paratum exhibuerit, ut ad satisfaciendum Deo carissima quaeque pignora immolaret. At utrumque immerito asseritur. Neque enim populus ipse loquitur, neque propheta eum in sensum populo loquens praeit, uti per se patet, neque etiam verba ipsa per se sumpta sensum illum sanguinolenti sacrificii humani necessario requirunt, sed modus est loquendi hyperbolicus, quo quam maxime declaretur ex una parte nullo modo esse in hominis potestate positum, ut proprio marte reconciliationem et

1. *Schegg* utique asserit : das Bekenntniss « für mein Sünd — und Schuldopfer » kommt wie ein unlieber Misston; sed inde debuit concludere *suam* explicationem esse falsam; nam si propheta populi superbiam et arrogantiam depingere voluisset, verbis istis partes assumptas mire deseruisset.

expiationem efficiat, ex altera vero hominem ad placandum Deum ne a gravissimis quidem resilire debere, sed paratum esse oportere ut se suaque omnia divino committat arbitrio. Modus loquendi similis est ei quem adhibet S. Paulus scribens ad Galatas : oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi (Gal. 4, 15), neque fortasse alienus a genere loquendi quo utitur dicens : optabam ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis (Rom. 9, 3).

Quid Deus postulet et quibus in rebus vera pietas consistat, declaratur v. 8 « *indicabo tibi, o homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat a te : utique facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo* » ; — hebr. *indicavit tibi*, i. e. indicatum est tibi [1] ; *facere iudicium* i. e. iustitiam observare, id agere quod rectum, probum, iustum est ; חֶסֶד cf. Os. 4, 1 ; veram pietatem ut *diligant* i. e. totis animis amplectantur et magno cum studio ac fervore opere exsequantur, postulatur. « Ille sollicitus ambulat cum Deo, qui in rebus omnibus divinam explorat voluntatem, illique quam potest diligenter obsequitur » (*Sanct.*) ; *ambulare* ex hebraismo totam agendi vivendique rationem designat, est *conversari*, *sese habere* ; hebr. proprie *humiliter ambulare* i. e. animo demisso, obediente, qui omnibus in rebus Deo se subdat et eius adoret voluntatem atque beneplacitum suspiciat. Eam verae pietatis formam sacer vates proponit, qua populum rebus externis et speciei obsequii exterioris immersum ad veram legis divinae indolem mentemque intelligendam evehat ; erat enim imprimis muneris prophetici excolere et fovere animorum pietatem et *cordis circumcisionem* ; cf. Deut. 30, 6. 16. 20. Ios. 24, 14. Is. 1, 16. 17. 1 Reg. 15, 22. Os. 6, 6 etc.

Notat *S. Hier.* : « verbum *esne* (הַצְנֵעַ) quod LXX transtulerunt *paratum esse* et nos diximus *sollicitum ambulare*, Theodotio significantius expressit καὶ ἀσφαλίζου τοῦ πορεύεσθαι μετὰ Ἐλωαίχ i. e. cave diligenter ut ambules cum Deo tuo. Sive, ut quinta editio transtulit καὶ φροντίζειν agere scil. sollicite ». *Syrus* sequitur LXX : sis paratus ad sequendum Deum tuum. *S. Hier.* Prov. 11, 2 vertit : *ubi est humilitas, ibi et sapientia* ; hebr. *et cum humilibus sapientia* (צְנוּעִים) ; quare etiam nostro loco *humiliter* vel *animo demisso* explicandum est, ut iam *Rib.* et *Calm.* observant.

c) At iniustis et impiis ingruit poena 6, 9-16.

« Post ostensam viam salutis addit aculeum et minas ad movendum et demum excidium, nisi resipiscant » (*Gord.*). Longe enim absunt a

1. Primam personam praeter *S. Hier.* exhibent *Syrus* et *Arabs* ; reliqui omnes tertiam ; cf. cod. syr. hexapl. ; *Aq.* et *Sym.* habent : dictum est tibi. Etiam versio coptica praebet ex LXX : annuntiatum est tibi (cf. *Tattam*, Duodecim proph. min. libr. in lingua aegypt. p. 124. 125).

norma proposita v. 8; quare iam tonitru divini iudicii auditur; v. 9 « *Vox Domini ad civitatem clamat — et salus erit timentibus nomen tuum! audite tribus et quis approbabit illud* »? — i. e. adhortatio, minae Domini iam ad urbem fiunt; iam strepitus et clamor iudicii quasi tonitru a Domino insonat, quo urbem ex desidia et scelere excutiat et dignas poenas repetat — *vox Domini* cf. Is. 30, 31; 66, 6. Ioel 2, 11; 3, 16. Am. 1, 2. Soph. 1, 14 —. Et in hac tempestate una salus iis est, qui numen divinum ac maiestatem reverentur, colunt. Tonitru illud a longinquo appropinquans ut *audiant* i. e. mente percipiant, timeant, et vera poenitentia avertant, monet propheta; verum iam ipse desperat de amplo admonitionis effectu: *quis* i. e. pauci erunt vel fere nullus, qui obtemperet et monitionem opere compleat (cf. *Alb. Rib. Sanct. Sa, Mar. Men.*); *quis sapiens et custodiet haec* (Ps. 106, 43. *Alb.*)? *Civitatem* intelligi *Ierusalem* vera est fere omnium sententia (cf. *Ephr. Rib. Sanct. Lap. Men.*); *S. Hier.* Samariam intelligit.

Ita quidem *vulg.* Aliter textus *mas.* et in secundo quidem membro legitur וְתוּשִׁיָּה יִרְאֶה שְׁמֶךָ; quae verba varie a variis redduntur: salus ei, qui respicit nomen tuum; vel: sapientiam respicit (intendit, ob oculos habet) nomen tuum; vel: sapientia (vir sapiens) respicit (curat) nomen tuum. Alii legentes יִרְאָה [1]: sapientiae est timere nomen tuum. Atque veteres versiones singulari consensu non verbum *videndi* ראה, sed *timendi* ירא h. l. legerunt. LXX καὶ σώσει τοὺς φοβουμένους τὸ ὄνομα αὐτοῦ· *Syrus*: doctrinam praedicat timentibus nomen eius; *Chald.*: doctores timent nomen. Quare haec notio erit retinenda, quae praeterea optimum sensum praebet; unde hebr. verte: *salus est revereri nomen tuum* et lege יִרְאָה uti habetur Ps. 86, 11; de qua locutione cf. Is. 59, 19. Iob 28, 28. Neh. 1, 11 (*Hitz.*). De voce תּוּשִׁיָּה vide, quae notavi Iob 5, 12; 6, 13; 26, 3. In tertio membro *vulg.* magis recedit a textu hebr. *audite virgam* (i. e. supplicium decretum) *et quis constituit illam* (uti iam *Mar.* explicat)? *Virga* scil. iudicium imminens; cf. Is. 10, 5: « Assur virga furoris mei »; 10, 24: « in virga percutiet te ». Dein monentur, ut perpendant, quis eam virgam destinaverit, i. e. a quo supplicium illud sit infligendum, scil. a Deo: ergo quis et quantus quantam inflicturus sit poenam.

Translatio *S. Hier.* ex hebr. facile intelligitur; est enim מַטֶּה *tribus*, *virga*, uti שֵׁבֶט; *ramus* enim arboris *virga* est, gentis vero ramus *tribus* habetur. Dein pro *mas.* יְעָדָהּ legisse videtur aliquam formam verbi ידע, vel, ut *Schegg* coniectat יְעִדֶהָ fut. hiph. a עוד (cf. 1 Reg. 21, 10) *testificari, contestari* (?) — ceterum יעד alibi rite transtulit *constituere* 2 Reg. 20, 5; condicere Ier. 47, 7. LXX praebent: ἄκουε φυλή, καὶ τίς κοσμήσει πόλιν; respicere videntur verbum עדה (cf. Ier. 31, 4 *adhuc*

1. I. e. infinitivum verbi ירא; ita *Ewald Hitz.* Immerito negat *Reinke* eum sensum apto convenire in contextum. Ipse explicandum censet: sapiens oculos dirigit ad nomen tuum.

ornaberis tympanis tuis) et pro sequenti voce עוד legerunt עיר. *Syrus* in priore parte voce שׁבטא (hebr. שֵׁבֶט) utitur ; in altera parte : quis testatus est ? ergo refert ad עוד. *Chald.* denique *virgam* sceptrum interpretatus et insigne potestatis explicat : audi, rex et dominator et reliquus populus terrae ; igitur legit in secunda parte עֵדָה *coetus*. — Textus hebr. praeferri debet, quia et optimum sensum praebet et variae versiones veterum tamen eum supponunt.

Ex textu hebr. *audite virgam et quis constituit eam?* supplicium decretum annuntiatur et *vox Domini* tamquam iudicii index declaratur. Cur autem supplicium in populum decerni debeat, sequentibus probatur : v. 10 « *adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis et mensura minor irae plena* » ; — i. e. ignem illum, quo demum domus et civitates magno incendio conflagrabunt, adhuc semper cum diligentia domi servant, retinent ; causas calamitatis non tollunt ; talis ignis est iniquitas (*Sa, Tir.*), est avaritia (*Alb. Rup.*), sunt thesauri iniquitate accumulati (*Rib. Sanct. Men.*), qui *adhuc* sunt apud eos, i. e. post tot monita et increpationes prophetarum (*Rib. Sa, Tir.*), *adhuc* enim longiturnitatem et perseverantiam sceleris denotat, ut ait *Rup.* Quanta iniustitia pecuniam corrodant, ostendit *epha tenuitatis* (hebr. *Rib.*) vel *epha maciei* i. e. mensura iusto minor, qua alios defraudant ; quare simul vocatur *maledicta*, a Deo diris devota et abominationi habita, quae plenam Dei iram provocat. *Epha* secundum *Iosephum* (Antiq. 15, 9, 2) continuit unum μέδιμνον, i. e. sex modios romanos sive 96 sextarios [1].

Indignabundus interrogat Deus, num talia scelera inulta abire debeant, ita ut ipse flagitiis quasi connivere videatur : v. 11 « *numquid iustificabo stateram impiam et saccelli pondera dolosa* » ? — i. e. numquid puram, innoxiam declarabo stateram iniquitatis et pondera fraudulenta? lapides scil. qui pro ponderibus in sacculo portabantur, cf. Deut. 25, 13. Lev. 19, 36. Prov. 16, 11 ; 20, 10. Hisce non pauperes ad amovendam penuriam abutebantur, verum *divites* insatiabili habendi cupidine stimulati : v. 12 « *in quibus divites eius repleti sunt iniquitate et habitantes in ea loquebantur mendacium et lingua eorum fraudulenta in ore eorum* » ; — eius, *in ea* civitate scil. v. 9 ; in hebr. *pleni sunt oppressione,* violentia scil. et crudelitate pauperes opprimunt, ad quod eis falsa pondera inserviunt inter alia ; dein uni iniustitiae generi alia addunt toti quasi fraudibus et mendaciis constituti ; hebr. *lingua eorum*

---

1. Recentiores de ea re non consentiunt. *Bertheau* pro *epha* statuit 1985, 77 digitos cubicos mensurae parisiensis (Kubikzoll), *Thenius* autem solum 1014, 39 (— etwas mehr als 20 Liter) ; cf. Bibellexicon, ed. *Schenkel*, IV p. 133. *Ges.* Thes. p. 83. Ille sequitur Flavium Iosephum eiusque de mensuris opiniones adoptavit, quae sane non ubique iis concordant, quae s. literae suppeditant (cf. 3 Reg. 7, 23. 25). Hic doctorum iudaicorum sententias hac in re praeferendas esse censuit ; cf. *Winer*, II 40. *Rhiem*, Handwoerterb. I p. 934.

deceptio est in ore eorum, est fraus ac fallacia, quasi nihil aliud loqui possint.

De textu hebr. praeterea haec nota : v. 10 recentiores fere communiter vertunt : *suntne adhuc in domo impii thesauri iniquitatis* ? ita scil. ex lectione mas. הַאִשׁ ; הַ enim est interrogandi particula et אשׁ scribitur pro יש, uti 2 Sam. 14, 19. *S. Hier.* vero legit הָאֵשׁ *ignis*, quam lectionem etiam LXX et *Syrus* exprimunt, dum *Chald.* lectionem *mas.* sequitur. Sed iure praefertur lectio LXX, *S. Hier.* et *Syri* ; nam si ה esset interrogandi particula, ex norma communi exspectaretur addi primo vocabulo et scriptio אש pro יש est valde inusitata, quae uno tantum loco 2 Sam. 14, 19 comprobari possit. Cur igitur in sententia ceteroquin plana et in stilo Michaeae limpido duas subito exceptiones statuamus, ut sensum extrahamus a veterum acceptione alienum ? Sed *ignis* metaphora, inquiunt, tam subito invecta non placet. At magis placet quam sermo contra consuetum modum formatus. Neque tropus ille adeo est alienus, cf. Iob 20, 26 ; 31, 12 ; et ad eum bene conformatur irae divinae incendium זעם in fine versus. Ceterum lectioni *S. Hier.* etiam codices hebr. suffragari plures vide apud *de Rossi*, qui immo asserit : « quamplures ex meis codicibus habent *kametz* et ה demonstrativum », qui igitur lectioni *ignis* testimonium ferunt.

Et v. 11 secundum lectionem *mas.* verte : *num purus ero in bilancibus iniquitatis* ? i. e. num ego innocens ero si talia apud me exstent ? At sane dura est tam repentina personae enallage, qua propheta subito impiorum voces usurpat tales, quales illi debebant adhibere. Quare *S. Hier.* melius *piel* eiusdem verbi legit et expressit [1]. LXX sensum eundem exhibent εἰ δικαιωθήσεται ἐν ζυγῷ ἄνομος ; sim. *Syrus* et *Chald.* — Illud אֲשֶׁר v. 12 diversimode accipitur ; alii hunc versum cum v. 13 coniungunt ; *quia* divites.. ideo et ego percutiam te ; alii orationem directam ita vestiri volunt (*Hitz.*) ; alii relativum agnoscunt iungendum cum suffixo subsequenti הָ : cuius (civitatis) divites pleni sunt violentia, ita ut per modum exclamationis supplendum sit : o civitatem, cuius divites... alii simplicius *quia* vertentes referunt particulam ad membrum antecedens : num impunitum relinquam... quia divites eius. Eum particulae usum exemplis probant vocabularia.

Quare Deus vindictae sententiam pronuntians explicat, quamnam *virgam* (v. 9 hebr.) constituerit v. 13 « *et ego ergo coepi percutere te perditione super peccatis tuis* » ; — hebr. *et etiam ego* cum emphasi ; cum populus adeo sit assiduus in sceleribus, etiam Deus assiduus erit in poena infligenda ; hebr. proprie *infirmo percutere te* [2], aegritudine afficio percutiendo te ; te ita percutio ut ad aegritudinem redigaris (cf. *Lap. Mar. Men.*) ; plagam proinde minatur et vastitatem (hebr.) magnam.

---

1. Nam nulla est ratio, cur formae *piel* ea significatio negetur cum *Hitz.* et *Keil* (cf. נִקָּה) ; nam Prov. 20, 9 *cor mundare* ad eandem demum recidit significationem ; item Ps. 73, 13 *cor iustificare* ; quare *Fürst C.* merito tradit verbo significari : iustificare, a noxa culpaque peccatorum integrum ac liberum vel facere vel servare.

2. Hebr. הֶחֱלֵיתִי a חלה ; *S. Hier.* legit, ut *Mar.* adnotat, a חלל formam הַחִלּוֹתִי ; ita quoque legerunt LXX καὶ ἐγὼ ἄρξομαι, et *Syrus* et *Aq.* (cf. cod. syr. hexapl.) atque sensus planus redditur. *Chald.* et fortasse *Sym.* legerunt textum *mas.*

Iam supplicium accuratius declaratur idque ex minis iam olim intentatis cf. Lev. 26, 25. Deut. 28, 30. Os. 4, 10 etc. v. 14 « *tu comedes et non saturaberis et humiliatio tua in medio tui ; et apprehendes et non salvabis, et quos salvaveris in gladium dabo* » ; — primam plagam minatur famem ; ea urbs afflicta est in obsidione Chaldaeorum : « mense autem quarto nona mensis obtinuit fames civitatem et non erant alimenta populo terrae » (Ier. 52, 6). Et talis afflictio diu residebit media in civitate ; *humiliationem* vocat afflictionem et vastitatem ab hostibus inferendam (*Rib. Sanct.*) : vel, quod magis ad hebr. accedere videtur [1], pauperiem illam et famem, stomachi vacuitatem et depressionem (cf. *Mar. Men.*). Alia poena est : fuga quidem se suaque proripere et salvare tentabunt, at frustra ; immo si qua servata esse putant, etiam illa hostibus et caedi tradet Deus (cf. *Rib.*). Ita bonis omnibus privabuntur, quae olim e terrae proventibus tamquam Dei benedictio promissa erant observantibus legem v. 15 « *tu seminabis et non metes ; tu calcabis olivam et non ungeris oleo, et mustum, et non bibes vinum* » ; — cf. Deut. 28, 38 seq. Am. 5, 11 ; agros, vineas, oliveta colent, sed pro alienis, qui scil. subito irruent et laborum fructus percipient. Quia foedus Dei abiecerunt, etiam bonis foederis carebunt.

Cur autem a promissis et benedictione terrae excludantur, iterum rationem subdit v. 16 « *et custodisti praecepta Amri et omne opus domus Achab et ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem et habitantes in ea in sibilum ; et opprobrium populi mei portabitis* » ; — in priore parte argumentum v. 10-12, in altera argumentum v. 13-15 brevi proponitur ; populus scil. a Domino descivit et impiorum regum Israel vestigia et exempla premens totus abierat in scelera. Mentio fit Amri, qui « operatus est nequiter super omnes qui fuerunt ante eum » (3 Reg. 16, 25) ; filius eius Achab « fecit malum in conspectu Domini super omnes qui fuerunt ante eum » (3 Reg. 16, 30), duxit uxorem Iezabel, filiam Ethbaal regis Sidoniorum, et cultum Baal invexit. Lues autem et perversitas eius regiae domus invecta est in Iudaeam per Athaliam filiam Iezabel et Achab, quae tamquam heres paternae et avitae pravitatis etiam *filia Amri* appellatur (4 Reg. 8, 26. 2 Par. 22, 2). Quantopere autem ex eo fonte corruptio in Iudaeam manaverit, constat ex 4 Reg. 8, 18 : « ambulavitque (Ioram rex Iuda) in viis regum Israel, sicut ambulaverat domus Achab ; filia enim Achab erat uxor eius

---

1. יֶשַׁח *vacuitas, inanitas* ; sed verbum hoc tantum loco occurrit ; inde significatio potius e coniectura enata est. *Syrus* et *Chald.* morbum, dysenteriam interpretantur. An a verbo שָׁחָה *deprimet te* ? cf. *Ros.* LXX verbum חָשַׁךְ *obscurari* in textu יֶשְׁחַךְ legisse videntur, quam lectionem *Houbig.* approbat.

et fecit quod malum est in conspectu Domini »; immo regnum prope ad interitum adductum est eo iam tempore et interiisset iam tum, nisi Deus promissa Davidi data intuens misericordi longanimitate poenam distulisset; « noluit autem Dominus disperdere Iudam propter David servum suum » (l. c. v. 19). Unde Michaeas eandem impietatis originem indicat, quam sacer auctor 4 Reg. 8, 18 tangit. In prophetae verbis acerba continetur reprehensio [1]: Domini statuta reliquerunt; adoptarunt impii Amri praecepta; omne opus Achab, i. e. cultum idolorum, insectationes et persecutiones prophetarum Domini, iniustitias, caedes, mendacia — talia enim erant opera Achab domusque eius cf. 3 Reg. 16, 30 et seq. 18, 4; 21, 3 seq. etc.; haec autem magno studio, constanter, imitabantur; *ambulare* enim est *versari*, exerceri in aliquo opere (*Sanct. Rib.*). Ita vero agentes vindictam divinam sibi promerentur; quem nexum necessarium cum ignorare non possent, quasi consulto et intentione explicita perditionem sibi voluisse procurare censentur; unde *ut darem te*. Uti scelus tripliciter, ita et poena triplici ratione profertur; est interitus, isque cum maxima ignominia et irrisione, et diuturnus; *opprobrium populi mei* i. e. quod gentes ei propterea summo cum gaudio inferunt quia est populus Dei (cf. *Lap. Tir.*), quod Deus suo populo sit comminatus et praeparaverit a gentibus inferendum (*Rib. Sanct. Sa*), tale portabunt et quae natio iudaica per longum saeculorum cursum peccavit et ad poenae rationem accumulavit, ea ipsi iam in se suscipere et experiri debebunt; ruinam subibunt diu praeparatam et ita poenarum cumulum portabunt.

d) Digna sceleribus poena 7, 1-6.

Tale vero excidium merentur, quia tot prophetae monitiones spernentes ad meliorem frugem nullatenus redierunt. Quare gemebundus propheta se frustra laborasse conqueritur neque ullum inveniri ait, qui desiderio prophetae satisfecerit (cf. *Theod. M. Theoph. Rib. Sanct. Mar.*); v. 1 « *Vae mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae! non est botrus ad comedendum, praecoquas ficus desideravit anima mea* »; — *vae* (אַלְלַי — ut distinguitur a הוֹי) non minantis est vox, sed gementis et sortem deflentis (cf. *Men. Tir.*); « heu mihi, quia in excolendo populo tamquam vinea operam prorsus vacuam et inutilem sumpsi; accidit enim mihi quod in autumno vinitori absoluta vindemia, qui relictos scrutatur racemos, neque tamen aliquid invenit opportunum esui; desideravi in populo meo virum aliquem iustum ea aviditate, qua

1. Hebr. וַיִּשְׁתַּמֵּר diligens studium ac sedulam observantiam dicit.

famelicus homo ficus temporaneas et praecoquas desiderat » (*Sanct.*); populus *vinea* est Domini (Ps. 79, 9. Is. 5, 1 seq. *Rup.*); at nihil fructus attulit; unde vates dolet, cum laboris sui successum, i. e. salutem suorum adeo exoptet. Intimo enim desidero animi fertur *in praecoquas ficus* i. e. non, ut aliqui volunt (*S. Hier. Alb. Mar.*), saltem immaturas ficus volui invenire, sed, ut constans usus fert (cf. Is. 28, 4. Os. 9, 10) fructum lautissimum, qui gratissimi sit saporis, ergo maximam morum emendationem vehementissime expetivi (cf. *Barh. Sanct. Sa, Lap. Calm. Schegg*). At iusta spe et exspectatione est deiectus; quare ea quoque ratione grave onus muneris prophetici sentit et lamentatur.

In textu *mas.* legitur ad verbum: *vae mihi, quia factus sum sicut collectiones pomorum, sicut racemi vindemiae* (cf. *Rib. Sanct. Lap. Schegg, Reinke*), et ita recentiores quoque vertunt; sed locutio est satis dura. Nam vel debet explicari: mihi accidit, sicut fieri solet *in* collectione post messem, *in* racematione post vindemiam — id quod verba non admittunt, quia כְּאָסְפֵּי קַיִץ non est: sicut *in* collectione — vel propheta nomine totius populi et in populi persona loquitur: populus similis est racemationi post vindemiam; at ne talis quidem comparatio facile fluit, neque hoc loco admitti potest prophetam induere personam populi; nam alias etiam in persona populi dicendum esset: populum desiderasse optimam morum conditionem (*praecoquas ficus*). Sed ut id absurdum est, ita repentina personae enallage bis subito facta etiam repudiari debet. Quare textus hebr. intelligendus erit, ut LXX et *S. Hier.* legerunt: ὡς συνάγων sicut colligens; legatur ergo participium אֹסֵף vel in plurali אֹסְפֵי, idque altero membro quoque suppleatur: *sicut* (*colligens*) *racemos vindemiae*, ubi brevitatis causa omitti potuit. De קַיִץ cf. Am. 8, 1; *poma* ibi vertit *S. Hier.*; hoc loco tempus pomorum i. e. *autumnum* substituit, uti Is. 28, 4 *maturitatem autumni* dixit; alibi vocem vertit *aestatem* (Ier. 8, 20. Zach. 14, 8. Prov. 6, 8; 26, 1 et iam Gen. 8, 22 — ita quoque Ps. 73, 4 *vulg.* quibus adde Am. 3, 15 domus *aestiva*), *messem* (Ier. 40, 10; 48, 32. Prov. 10, 5; 30, 25), *vindemiam* (Is. 16, 9 — in loco vero parallelo Ier. 48, 32 *messem*); vox generatim significat *tempus abscissionis fructuum*. Etiam LXX varie exprimunt. Semel LXX et *S. Hier.* *palathas* reddiderunt (2 Reg. 16, 1. 2).

« Quae tropice enuntiaverat, plana facere volens subiungit » (*Theod. Mar.*) v. 2 « *periit sanctus de terra et rectus in hominibus non est; omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur* »; — hebr. חָסִיד cf. Os. 4, 2; *periit* i. e. iam non invenitur, disparuit; hyperbolice dictum, uti v. g. Ps. 13, 2 seq. ad maximam morum corruptelam et omnium ordinum perversitatem declarandam; hebr. *omnes ad sanguines insidiantur*, violentias, rapinas, caedes meditantur et machinantur cf. Is. 1, 21. Os. 4, 2; quare explicans subdit: *vir* i. e. quisque *fratrem suum*, alios *venatur*, sicut auceps venatur avem; callide insidias struit, venatur cum *cherem* hebr., quasi rem interitui et excidio devotam, vel ad exterminium, [1] ut eum quasi anathema disperdat et

1. Ita, ut לַחֵרֶם, prout in altero membro לְדָמִים explicetur; ita accipiunt *Syrus, Chald.*: ad interitum, ad consumptionem. Alii חֵרֶם *rete* vertunt propter verbum *venandi*, qua signi-

exterminet (cf. *Lap. Mar.*), vel (quod ad venationem magis aptum est) eum *reti* venatur i. e. callide ac fraudulenter insidias parat eumque capere et perdere studet.

Neque pudet eos scelerum, verum flagitiis tamquam re bene gesta gloriantur; haecque lues ipsos quoque primores infecit; ita v. 3 « *malum manuum suarum dicunt bonum; princeps postulat et iudex in reddendo est et magnus locutus est desiderium animae suae et conturbaverunt eam* »; — cf. Is. 5, 20: « vae qui dicitis malum bonum et bonum malum »; perversitatis fastigium id est, ipsas veri iustique notiones rebus affingere facinorosis. Hebr. verte: *ad malum*[1] *manus eorum, ut bonum vel egregie faciant* i. e. male seduli sunt et assidui, ut prava quaeque consilia expedite, solerter vel ut bona peragant. Quod quam late iam serpserit, in primorum ordinibus demonstrat: princeps exigit i. e. totus est in exactione munerum, vectigalium ad sacram auri famem explendam; uti *Syrus* non male supplet: *postulans* (est, dicens) *da*! iudex *in retributionem* (hebr.) vel remunerationem, largitionem est intentus; non ius et iustitiam ut administret ei curae est, verum ut ditescat. Unde Is. 1, 23: «principes tui socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones »; cf. supra 3, 11. Soph. 3, 3. Ez. 22, 27. Praeterea *magnus*, nobilis scil. et opibus, auctoritate valens quaecumque pravo[2] animi desiderio concepit, sine ullo freno sermone effundit; ex abundantia scil. cordis perversi perversa loquitur. Neque ibi sistit, verum « condensarunt, implicuerunt, intricaverunt, sicut funem reddiderunt *eam*, scil. הַוָּה i. e. corruptelam » (*Lap.*), perniciem, quam animo conceptam fovent. Pluralem numerum vates ponit, quia *magnus* totum ordinem dicit.

Enumerationem et descriptionem generali sententia propheta absolvit: v. 4 « *qui optimus in eis est, est quasi paliurus; et qui rectus quasi spina de sepe* »; — i. e. « *quasi paliurus* pungens et retinens, vulnerans appropinquantem sibi et adunco dente retinens; *quasi spina de sepe*, ut ibi inveniatur dolor, ubi putabatur auxilium » (*Hier.*). Vinea Domini, domus Iuda et Israel, non uvas, verum spinas profert; et si qui bonus est et censetur inter illos, talis invenitur, quales demum reliquos

---

ficatione legitur vox Hab. 1, 15-17 (*vulg.* sagena); Ez. 26, 5. 14; 32, 3; 47, 10. Eccl. 7, 26. At nostro in loco *Syrus* quoque et *Chald.* vertunt *ad interitum*, LXX eundem sensum praebent ἐκθλίβουσιν ἐκθλιβῇ; legeruntne יצירו pro יצודו?

1. הָרַע aliis praeplacet accipere *infin. hiph.*, uti הֵיטִיב; *ad male faciendum* manus promptae sunt, *ut egregie id faciant*. *S. Hier.* parumper alio sensu expressit הֵיטִיב bonum facere i. e. tamquam bonum praedicare. *Syrus* et *Chald.* negationem inserunt: et non benefaciunt.

2. הַוָּה *pernicies, scelus* cf. Prov. 11, 6; 19, 13. Ps. 5, 10; 38, 13; 52, 4; 55, 12. Iob 6, 30 etc.

putabimus? Rhamnus paliurus est spinae genus, de quo Virgilius : « carduus, et spinis surgit paliurus acutis » (Eclog. 5 — cf. *Alb. Rib. Sanct. Lap.*). In altero membro hebr. fert *et rectus prae vepreto* i. e. peior vepreto.

Tali rerum conditione vindicta Dei, toties a prophetis praedicta, necessario devolvetur in criminosos : « *dies speculationis tuae, visitatio tua venit; nunc erit vastitas eorum* » ; — hebr. *dies speculatorum tuorum* i. e. prophetarum (cf. Ier. 6, 17. Ez. 33, 7) ille scil. dies irae divinae et iudicii, quem tot minis vaticinati sunt (cf. Os. 1, 9 ; 2, 9; 4, 16 etc. Am. 3, 4. Ioel 2, 2) ; quare Ieremias iure contra pseudoprophetam excipit : « prophetae qui fuerunt ante me et te ab initio et prophetaverunt super terras multas et super regna magna, de proelio et de afflictione et de fame » (Ier. 28, 8). Quare dies ille ut *dies visitationis* i. e. castigationis, qua Deus scelera eorum est visitaturus et ulturus, a vate designatur ; *tunc erit perturbatio* [1] *eorum* (*hebr.*), perplexitas, confusio (cf. Is. 22, 5 ; 29, 10). Atque iuremerito. Nam uti ipsi omnia pervertunt, notiones boni malique evertunt, ita condigna poena plectentur.

Qualis autem futura sit perplexitas et omnium rerum perturbatio, propheta eum in modum describit, ut vincula omnia amicitiae, familiae, consanguinitatis soluta esse et bellum omnium contra omnes geri dicat ; ex qua conturbatione simul concludi oportet, ingentem fore calamitatum molem, qua talis strages edatur : v. 5 « *nolite credere amico et nolite confidere in duce ; ab ea quae dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui ;* v. 6 *quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam, et inimici hominis domestici eius* » ; — hebr. *ne fidatis familiari* i. e. amicissimo, cuius consuetudini quis quam maxime assuefactus est ; ita cernitur *gradatio* [2] post *amicum* ; immo diligenter cave ab ipsa uxore (cf. Deut. 13, 7 ; 28, 54 : quae cubat in sinu suo). Malorum ingruentium magnitudinem hisce delineari, vera est plerorumque interpretum sententia (cf. *Cyr. Theod. Theod. M. Theoph. Rup. Rib. Men. Calm.*) ; nam verba haec aperte *perturbationem* v. 4 explicant et v. 7 traditur doctrina, quomodo iudicio ingruente pii se habere debeant. Tali contextui autem descriptio morum, qui tum tempore Michaeae iam adsint (cf. *Ephr. Lap. Mar. Tir.*

---

1. *S. Hier.* notat : « *mabucha* (מְבוּכָה) magis πολιορκίαν et φρούρησιν, id est *obsidionem* et *custodiam*, quam *vastitatem* in hebraeo sonat » ; verum בּוּךְ cf. Ex. 14, 3. Ioel 1, 18. Esth. 3, 15 in *niph.* notionem *perplexum esse* prae se fert vel *perturbari terrore*. Unde Is. 22, 5 LXX ἀπώλειαν expresserunt, *conculcationem* autem *S. Hier.* Propter verbum בָּכָה *plorare* facile patet, cur apud LXX h. l. κλαυθμοί et sim. apud *Syrum* legatur.

2. Cf. Prov. 17, 9, ubi *S. Hier.* transtulit *foederatum;* LXX ibi et Prov. 16, 28 φίλους. Ceterum nomen est ducum Edomitarum cf. Gen. 36, 15. Ex. 15, 15.

Schegg, Reinke qui prophetam ad v. 3 redire volunt), minime apte inseritur. Multiplex bellum in ipso familiae sinu v. 6 exhibetur; ita Christus quoque malorum molem designat (cf. Matth. 10, 36; 24, 10. Luc. 12, 53). — Animadverti oportet, calamitatem futuram iterum iterumque a propheta ita describi, ut in unoquoque loco certa quaedam malorum species adumbretur; v. g. 2, 10 habes migrationem e terra; 3, 12 destructionem urbis et templi; 4, 9. 10 regni abolitionem, exsilium, servitutis dolores; 6, 14. 15 plagas famis, sterilitatis, vastationis hostilis, quam effugere iam non liceat; 7, 5. 6 demum bellum intestinum [1]. Singulas autem comminationes reprehensio morum pessimorum et accusatio comitatur. Tale est enim munus propheticum, ut et scelera perstringat praesentia et futura mala non taceat. Verum praeclarius est illud, quo vates vel instaurationem annuntiat vel pios ad eam praeparat. Has partes sublimiores iam in subsequentibus aggreditur.

e) Consolationi est spes instaurationis 7, 7-10.

Iam quid in ea rerum omnium perturbatione, cum humana omnia corruant et dissolvantur fulcra (cf. Is. 3, 1), iustis ac piis agendum erit? Hos propheta edocet, sanum praebens consilium aeque ac exemplum, quemadmodum sit in Deo omnis fiducia collocanda (cf. *Theod. Theoph. Lap.*); « ipse enim credit in Deo et omnis contemplatio eius in Deo suo; et quamquam tribulationibus et pressuris mundi prematur, tamen praeter eum qui dicit : « nolite timere, ego vici mundum » (Ioan. 16, 36) in nullo fiduciam habens exspectat Deum salvatorem suum et credens in eo oculosque suos ad eum semper dirigens sperat se exaudiendum » (*S. Hier.*). Unde v. 7 « *Ego autem ad Dominum aspiciam, exspectabo Deum salvatorem meum; audiet me Deus meus* »; — hebr. אֲצַפֶּה « attentissimam speculationem » (*Rib.*) dicit : in alta quasi specula constitutus Domini opem magno cum desiderio magnaque spe prospiciam, ad illam incessanter oculos dirigam; *Deum salutis meae* (hebr.) praestolabor, certus de exauditione. « Quamvis tales tantaeque sint calamitates, de Dei patrocinio non desperabo; constanter ad ipsum respiciam, salutem inde exspectans, quam etiam mihi sine dubio praebebit, cum qui in huiusmodi calamitatibus petit auxilium, exaudiens » (*Theod. M.*). Tales igitur animorum sensus induant pii Israelitae, talibus verbis se erigant, quando calamitatum molem diu iam annuntiatam viderint revera ingruere! Iis propheta praeit, in se depingens fidem atque spem, quae a fidelium Is-

1. Cf. Is. 3, 5; et de impletione cf. Lament. 2, 20; 4, 10. 15. 4 Reg. 25, 25 aliqua belli intestini indicia.

raelitarum animis abesse nunquam debet. Eadem ratione suos docet Isaias 8, 11 - 22, et Ieremias se solatur mediis in angustiis ; cf. Lament. 3, 22 - 35. 64 ; 5, 19. 21 etc. Hunc enim in modum, ut *Ephr.* dicit, cor iustorum loquitur ; et comparanda est, ut *Lap.* monet, oratio Iosaphat regis : « sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te » (2 Par. 20, 12).

Quanam vero spe piorum animi semper confortari debeant, explicatur v. 8 « *ne laeteris, inimica mea, super me, quia cecidi ; consurgam ; cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est* » ! — praeclaram exspectationem verbis praeclaris conceptam ! hebr. ita magis concinne verte : *nam si ceciderim, surgam ; nam si sedeam in tenebris, Dominus mihi est lux.* Spes est reparationis. Gentes manibus plaudunt de regno iudaico prostrato, populum Dei cum contemptu conculcant — at *ne laeteris* ! adest populo Dei remedium casus ; ex conditione abiecta ad altissimam dignitatem theocraticam evehetur ; est spes novissimis eius (cf. 2, 12. 13 ; 4, 1 ; 5, 2. Os. 1, 10 ; 2, 18 etc.) ; « si nimirum in calamitatum afflictionumque tenebris versabor, Deus mihi lux erit efficietque, ut eiusmodi tenebrarum incommoda minime sentiam » (*Theoph.*), vel potius Deus suae benignitatis radiis et gratiae suae illustratione tenebras dispellet, quia quasi sol orietur super populum suum (cf. Is. 60, 1) ; uti olim in ignis splendore populum suum ex Aegypto eduxit et in nube lucida super tabernaculum foederis requievit, ita denuo sua luce noctem miseriarum collustrabit atque in splendidissimum diem mutabit (cf. Is. 60, 20). Ad tropum notat *Sanct.* : « esse in tenebris in omni ferme lingua idem est quod aerumnosam vitam agere et in luctu aut moerore esse ; cui lux opponitur, qua et animi profusa laetitia significatur et fortuna melior ». Insuper cogita, coelum in oriente limpidius, clarius esse lucemque gratius atque iucundius oculis animisque illabi et fulgentius splendere, quam nostris in regionibus nubibus et nebulis offusis.

Hac igitur certissima instaurationis spe pii se solentur. Verum *quando* felicissima illa tempora effulgebunt ? At etiam hic valet : non est vestrum nosse tempora et momenta. Quare vates docet, qua animi dispositione interea spes illa alenda sit et qua mente calamitates sint ab omnibus subeundae : v. 9 « *iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam iudicet et faciat iudicium meum : educet me in lucem, videbo iustitiam eius* » ; — i. e. vera postulatur et describitur *poenitentia*, qua dolentes agnoscant se peccasse et propterea etiam parati sint cum patientia *iram Domini* i. e. poenam et calamitatem a iusto peccatorum vindice inflictam subire eamque exsolvere, quamdiu ei placuerit. Ea mente exsilii poenam esse adeundam propheta docet ; ea consideratione eventus bellorumque exitus, clades regni populique stragem, hostium impetum perpendi ac rite aestimari iubet. Brevem precationis formulam

proponit, qua per longam malorum seriem pii de divino consilio erudiantur; humilem docet confessionem, labores et molestias poenitentiae ne declinent, monet; sed simul certa spe eos erigit : *donec causam meam iudicet*, i. e. « quoad ipse causam, quae mihi cum affligentibus me inimicis est, iustam et aequam esse iudicio suo confirmet; etsi enim eum iniuriis lacessivi, mihi tamen cum illis admodum iusta est expostulatio. Quippe cum nihil mali passi a me sint, adeo crudeliter me vexarunt » (*Theoph.* sim. *S. Hier. Rib. Lap. Sa, Est. Mar. Men. Tir.*). Deus enim populum suum e servitute liberans, novam condens theocratiam, hostes prosternens populi sui causam agit et facit *iudicium meum* i. e. id populo reddit, quod gratuita sua promissione pollicitus erat et quod vi huius promissionis iam ius populi constituit; illum igitur *statum rectum* Deus inducet, qui populo iam vi promissionum et foederis debetur. Hunc autem vates optime designat : *educet me in lucem*, e carcere et tenebris in libertatem et beatitudinem, e tristitia in laetitiam, ex impietate in beatam Dei cognitionem et gratiae eius collustrationem. Tum *videbo cum voluptate* (ita hebr. רָאָה בְּ) *iustitiam eius* i. e. novum illum statum, quem Deus vi suae fidelitatis instituet, et qui in Dei regno et salute continetur. Vocatur *iustitia Dei*, quia Deus eum vult, eum pro sua fidelitate efficiet (cf. 6, 5). Haec vero *iustitiae* pars est ultio in inimicos, quam *solam* multi h. l. agnoscunt (cf. *Ephr. Theod. Theoph. Sanct. Lap. Mar. Men. Tir.*); altera pars est fidelitas et proin miseratio in populum suum (cf. *Cyr.*); unde integram notionem bene describit *Theod. M.* : « concedet mihi conversionem in melius, ipse mihi ius reddens de iis, quae a cunctis inimicis meis pertuli inique, mihique quod aequum est adiudicabit, meque adeo in propriorum bonorum splendore collocabit, ut manifesta et indubia appareat Dei voluntas, qua de iuris aequitate sollicitus ab incumbentibus malis me sublevabit, et qui mihi temere iniuriam faciebant, iuste punivit; id enim denotant verba : *videbo iustitiam eius* » (sim. *Rib. Sanct.*).

Haec populi Dei exaltatio gloriosus est de inimicis triumphus et magnifica honoris divini vindicatio : v. 10 « *et aspiciet inimica mea et operietur confusione quae dicit ad me : ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam : nunc erit in conculcationem et lutum platearum* »; — populi enim iudaici opprobrium et cladem putabant gentes ipsius Domini impotentia et infirmitate accidisse; quare deos suos potentiores iactabant et populo insultabant irridentes : *ubi est* Domini auxilium et potentia? Nam victoriae et gloria gentis referri solebant ad deum gentis (cf. Is. 10, 9-11); idque inscriptiones cuneiformes quoque luculenter comprobant, in quibus nihil frequentius legitur, quam : Assur, Dominus meus, hostes prostravit, mihi in manus dedit etc.; idem elucet ex Ier. 48, 7. 46. Unde populi restitutio simul est gloriae Domini vindi-

catio et ostensio ; quare *propter me, propter me faciam, ut non blasphemer* (Is. 48, 11). — In hebr. *et aspiciat..* optantis in modum effertur. De repentina populi Dei exaltatione oppressores eius et inimici Dei confusione obstupescent et Dei manum potentissimam agnoscere cogentur. Ad *aspiciendi* verbum haec advertit *Sanct.* : « habent auxesim haec verba, quae iuxta materiae qualitatem et modum aut gravem significant dolorem et molestiam, aut voluptatem ingentem ex rei alicuius contemplatione conceptam... vehementer confunderis, o inimica mea, cum tantam fieri videas fortunae mutationem ». Iam sortes mutatae sunt ; civitas sancta stat gloriosa, hostes quasi lutum conculcantur ; sancti triumphant exsultatione et victoria Dei laetantur, inimici iacent prostrati. Haec est iusta audacissimi consilii retributio (cf. Is. 10, 6) ; quod illi inferre gestiebant civitati Dei, ipsi in se experientur. Ita iam in vetere foedere praeformatur illud : « portae inferi non praevalebunt » ; ita fortitudo Davidica servatur in urbe Davidica (cf. Ps. 17, 43).

Haec *proxime* dici de Babylone a Medis Persisque devicta, de Babylone inimica civitatis sanctae, plurium est sententia (cf. *Ephr. Cyr. Hier. Rup. Rib. Sanct.* etc.) eaque vera — de Idumaea enim, quam alii intelligunt (cf. *Barh. Lap. Tir. Men.*), hic non fit mentio — at simul propheta in illa de Babylone victoria generatim adumbrat regni Dei gloriam et potentiam invictam. Illa enim urbis post exsilium instauratio non est nisi praeparatio quaedam et prolusio ad instaurationem *messianicam*, quam propheta praecipue contemplatur et tanto verborum pondere et ambitu delineat. Ea vero, quae de regno Dei in universum dicuntur, belle applicari posse ad singulos regni Dei cives, ad singulas animas, apte expositum invenies apud *S. Hier.* et *S. Cyr.* h. l.

f) Describitur instauratio messianica 7, 11-17.

Spem eam, qua piorum animi confortentur, vates accuratius delineat ostendens, quomodo Sion licet ceciderit, sit surrectura, et qua ratione Dominus lux sit futurus sedentibus in caligine ; ait enim Domini vineam, quae nunc vastationi sit obnoxia, esse restituendam i. e. fore theocratiae instaurationem : v. 11 « *Dies, ut aedificentur maceriae tuae ; in die illa longe fiet lex* » ; — est גָּדֵר *murus*, sed etiam *maceria vineae* (cf. Num. 22, 24. Eccl. 10, 8. Is. 5, 5) ; muri Ierusalem restituentur ; *vinea* Domini (cf. 7, 1) denuo restituta custodiae Domini tradetur (cf. Is. 27, 2) ; idque per modum exclamationis laetae propheta annuntiat, quasi dicat : laetare ; exsistet dies faustissimus, veniet tempus optatissimum ad macerias aedificandas. Indolem vero instaurationis addit, qua illam longe sublimiorem fore vetere conditione asserit : eodem scil. die longe recessurum, procul abfuturum esse terminum vel limitem. In antiqua

enim rerum conditione Deus populum suum arctis incluserat limitibus et theocratiam in una gente et terra una conclusam esse voluit; non ita in instauratione, sed tum spatia esse dilatanda, limites illos esse removendos, terminum longe lateque extendendum. Quod in quantum futurum sit, v. 12 designatur. Hanc esse significationem vocis hebr. חֹק collige ex Prov. 8, 29, ubi *vulg* habet : « quando circumdabat mari terminum suum » ; Iob 14, 5 ; 26, 10 ; 38, 10. Is. 5, 14. Ier. 5, 22 : quibus in locis subest notio *termini* vel *limitis definiti* [1] et circumscripti, uti ex eorum locorum versione quoque *vulgata* elucet. Hanc autem significationem voci etiam hoc loco optime convenire, ipsa explicatio prodit et a versu subsequente penitus exigitur. Eodem sensu intellige : *longe fiet lex* i. e. lex antiqua recedet ; vel lex illa populum Dei et theocratiam veterem coarctans et angustis includens finibus longe fiet, removebitur. Priori explanationi proxime accedit, quod LXX expresserunt : καὶ ἀποτρίψεται νόμιμά σου ἡ ἡμέρα ἐκείνη, vel, ut alii legunt καὶ ἀπώσεται, dies ille depellet legitima.

Eo enim die populi undique ad instauratam theocratiam confluent : v. 12 « *in die illa et usque ad te veniet de Assur et usque ad civitates munitas, et a civitatibus munitis usque ad flumen et ad mare de mari et ad montem de monte* » ; — hebr. *illo die ad te venient ab Assur et urbibus Aegypti* [2], *et ab Aegypto et usque ad flumen* (et a regione quae extenditur usque ad flumen) *et usque ad mare a mari* (i. e. ab iis regionibus quae sunt a mari usque ad mare) *et ad montem a monte* i. e. undique ; primo nominantur regiones, in quas exsules dispergentur : Assur et Aegyptus, in quam urbe a Chaldaeis capta multi Iudaeorum fugerunt ; dein tota regio intermedia : ab Aegypto usque ad Euphraten, qui est fluvius, flumen κατ' ἐξοχήν ; demum omnes terrarum tractus a mari ad mare, a monte ad montem generali quadam designatione comprehenduntur [3], cum extrema terrae et mari et montibus claudi popularis ferat opinio. Cum dicatur *venient*, confluxus iste non de Israelitis revertentibus intelligitur, quorum reditus aliis verbis : reverti, congregari, reduci, educi, convertere captivitatem, describi solet, verum de gen-

---

1. Significat חֹק generatim *statutum*, *definitum*, laboris pensum alicui attributum ac definitum, vel victus partem ei assignatam ; inde *tempus statutum*, lex statuta, decretum etc. Cf. Ex. 5, 14. Lev. 10, 13. Prov. 30, 8 ; 31, 15. Iob 14, 13 etc. unde LXX vertunt ὅριον, ἐντολή, πρόσταγμα, νόμος ; etc. cf. *Fürst C.*

2. Est enim מָצוֹר nomen poeticum Aegypti pro מִצְרַיִם cf. Is. 19, 6 ; 37, 25. 2 Reg. 19, 24 hebr. Veteres vocem secundum etymologiam transtulerunt περιοχήν καὶ περίφραγμα, πολιορκίαν cf. *Hier.* et cod. syr. hexapl. ad h. l. LXX nomen צוֹר *Tyrus* ibi deprehenderunt, unde ἀπὸ Τύρου.

3. Cf. Ps. 71, 8. Am. 8, 12. Zach. 9, 10.

tium omnium in novam theocratiam assumptione (cf. 4, 1 seq.); venient scil. nationes ab Assur et Aegypto i. e. oppressores qui erant populi Dei, a theocratia non excluduntur; cf. Is. 19, 23-25: « benedictus populus meus Aegypti, et opus manuum mearum Assur » (hebr.); venient tribus illae in desertis dispersae, venient demum ab omni etiam remotissima terrae plaga, ab oriente et occasu, a septemtrione et meridie. Ita theocratiam fore universalem liquido patet. Eam autem immediate adnectit propheta urbi Ierusalem aedificatae, non quasi statim oritura sit simul ac Ierusalem aliqua ratione Esdra et Nehemia ducibus sit restituta, sed quia ipsa haec restitutio fit, ut theocratia illa universalis praeparetur, in qua demum ultimus restitutionis terminus summaque perfectio consistit. Vates enim ea coniungit, quae nexu interno ac destinatione divina inter se copulantur, licet longo temporum intervallo separentur; cf. Os. 2, 16. 18. Am. 9, 11.

Incisum illud v. 11 *longe fiet lex* variam habet apud varios et translationem et explicationem. *S. Hier.* traditionem Iudaeorum secutus scribit : « nequaquam Babyloniorum imperio subiacebis », cessaturum scil. hostium imperium et praeceptum quod Iudaeis imposuerint; hoc sensu et *Theod.* et *Sym.* ἐπιταγὴν καὶ πρόσταγμα vertisse videntur; hunc sensum certe reddit *Chald.* : in illo tempore destruentur decreta gentium; hunc sensum longo agmine interpretes amplexi sunt : *Alb. Rib. Sanct. Lap. Sa, Mar. Men. Tir. Gord. Schegg, Trochon.* Varia proponit *S. Cyr.* : morum leges eo tempore iam non observari, refert enim ad conditionem v. 5. 6 descriptam; vel consuetos dies festos, idolorum fanis institutos et sacrificia iam non iri celebratum. Aliis placet explicare : iniquas leges, impios ritus iri dissolutum (*Theod. Theoph.*); legitimorum ablatione reipublicae ruinam et casum denotari censet *Theod. M.* : « nam quamdiu durat politia aliqua et principatus, necesse est legitima quoque perseverare, quibus ii uti solent, qui in ea republica sunt; verum facta captivitate legum ordinem tolli necesse est ». *Rup.* demum ad legis Dei abiectionem refert, de qua sermo fit 1 Mach. 1, 12-16. — De legalium abolitione per Christum facta inter alia *Theoph.* explicat, de separationis a gentibus lege abolenda intelligunt *Keil, Reinke.* Primam urbis aedificationem et instaurationem post captivitatem tangi, in aperto est; « video cum Hieronymo interpretes fere omnes haec accipere de instauratione Ierusalem per Esdram et Nehemiam » bene advertit *Gord.* Verum ibi minime sistendum esse, verborum proprietas in sequentibus docet. Versus enim 12 de reditu Iudaeorum ex captivitate explicari nequit, nisi verbis amplissimis vis inferatur. Illam autem inferunt, qui explicant : « a mari rubro usque ad mare occidentale, a monte Idumaeorum usque ad Libanum » (*Theod.*), vel « a mari Galilaeae usque ad mare mediterraneum, a Libano usque ad Carmelum » (*Rib.* cf. *Sanct. Lap.* etc.), vel « a Libano ad Arabiae montes » (*Calm.*) etc. Et qualis, quaeso, esset haec promissio : venient ad te Iudaei a Galilaea, a Libanon, usque ad mare mediterraneum? Quare locus iste explicationem potius exhibet vaticinii 4, 1. Utroque in loco urbi destructae statim instauratio plena et perfecta i. e. messianica subiungitur; in ea autem prior instauratio per Esdram deno-

tatur, quippe quae tempore et praeparatione praecedat. Quare bene advertit *Ephr.* hoc vaticinium opere impleri in Ecclesia Christi.

Vae autem illis, qui ad novam theocratiam confluere renuunt! Simul cum regno messianico iudicium fit in adversarios contumaces: v. 13 « *et terra erit in desolationem propter habitatores suos et propter fructum cogitationum eorum* »; — terra scil. hostium (cf. *Theod. Theoph. Haimo, Alb. Rib. Sanct. Lap. Sa, Mar. Men. Reinke*), non terra Iudaeorum (ut volunt *Tir. Calm. Trochon*), hebr. *propter fructum operum eorum*. Dei enim regnum in terris constitutum id secum afferre debet, ut demum omnes, qui contra illud surgunt, intereant; « gens enim et regnum quod non servierit tibi, peribit; et gentes solitudine vastabuntur » (Is. 60, 12. cf. Zach. 14, 17-19). Sollemne est a Gen. 3, 15 et deinceps, simul cum homine peccatore affligi ac vastari creaturam, regiones (cf. Gen. 6, 13; 19, 25. Is. 34, 4-15).

Dum terra illa, quae regno theocratico non adiungitur, vastitate ac desolatione horret a Domino inflicta, populus theocraticus pace, prosperitate, securitate summa fruitur. Talem epocham animo cernens vates et desiderio efflagitans precatur v. 14 « *pasce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuae, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli; pascentur Basan et Galaad iuxta dies antiquos* »; — Dominus ipse erit pastor bonus (cf. 5, 4); « pascit in virga, non ferrea virga eos percutiens, sed convertens eos in mansuetudine » (*Cyr.*). Titulus quem habent, ut Deus curam gerat tenerrimam, est quia sunt grex hereditatis Domini, populus quem sibi Dominus elegit in peculium et possessionem et in nomen et gloriam (cf. Ex. 19, 5. Ier. 13, 11). Ut grex Domini (cf. 4, 8) habitant *soli* i. e. separati a profanis, longe ab eis remoti moribus, fide, religione; est laus illa, quam iam Balaam populo tribuit (Num. 23, 9) et quam donec retinuerit, securus erat sub Dei protectione speciali (cf. Deut. 33, 28). Coetus theocraticus illustris est *sanctitate*; ille igitur excellenti modo *solus* habitabit; et quia talis est, in pascuis uberrimis erit constitutus, quae propheta sui temporis regionisque conditione ex pascuis *Carmeli* montis amoenissimi et *Basan* et *Galaad* designat. Constat eas regiones fuisse fertilissimas, quare, ut iam *Rup.* notat, Ruben et Gad illas sibi in possessionem postularunt (Num. 32, 4 seq.), et *tauri Basan* in proverbium abierunt, quo boves pinguissimi et optimi dicerentur (cf. Deut. 32, 14. Am. 4, 1. Ez. 39, 18. Ps. 22, 13 hebr.); *sicut diebus saeculi* (hebr.), ut olim Deus gregis sui curam gerebat, ut olim patriarchis piisque regibus beneficiorum suorum magnificentiam exhibuit et tempore Davidis et Salomonis populum ubertate, pace, securitate donavit (cf. 4, 4. Is. 1, 26); alii malunt tempora intelligi Moysis et Iosue, quibus Deo duce populus pascebatur et demum in terram fluentem lacte et melle introducebatur (cf. *Reinke*).

Precationi annuit Deus atque pollicetur, theocratiae instaurationem iisdem Dei magnalibus fore insignem, quibus prima institutio et liberatio ex Aegypto fuerit commendata: v. 15 « *secundum dies egressionis tuae de terra Aegypti ostendam ei mirabilia* »; — est enim prima illa liberatio, electio et in populum Dei assumptio prolusio quaedam atque imago altioris liberationis messianicae et filiationis; quare utraque liberatio nexu similitudinis coniuncta saepius proponitur; cf. Is. 43, 15; 51, 10. Os. 13, 4. 5. Zach. 10, 11. Nam in utraque hostes devincuntur miro Dei auxilio, populus insigni Dei protectione praeventus favores divinos experitur et e servitute in libertatem filiorum vindicatus Deo duce iter aggreditur ad terram promissam, quo in itinere coelesti pabulo reficitur etc. Hanc similitudinem effert S. Paulus 1 Cor. 10, 1-6; eam paucis declarat *Rup.*: « a diabolo liberati et a peccatis in quibus servivimus ei, de Aegypto huius saeculi, id est de ignorantiae tenebris exivimus, transivimus mare baptismi et ecce spiritualem escam manducavimus et spiritualem potum bibimus, scil. corpus et sanguinem eiusdem pastoris et agni ». Erit igitur liberatio messianica opus a Dei potentia et gratia gratuito profectum et insignis maiestatis eius ac benignitatis manifestatio.

Uti in egressu ex Aegypto visis et auditis Dei magnalibus « conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan » (Ex. 15, 15), ita futura instauratio non minori erit admirationi, stupori, terrori v. 16 « *videbunt gentes et confundentur super omni fortitudine sua, ponent manum super os, aures eorum surdae erunt* »; — i. e. ea instauratione conatus et impetus hostiles inimicorum Dei inanes fuisse constabit, quare ipsi hostes pudore suffundentur de clade accepta, de viribus suis, quas tam parum valuisse iam cernunt; porro visis Dei magnalibus ita percelluntur, ut omnes sensus stupefiant et prae nimia admiratione hebetentur; manum ori imponere est prae admiratione obmutescere et obstupescere, est silentio alium venerari, cum prae rerum magnitudine usus loquelae sit interceptus, et est se convictum et pudefactum profiteri (cf. Iud. 18, 19. Iob 21, 5; 29, 9 — *Rup. Sanct. Lap.*).

Istis magnalibus simul continetur insignis clades et prostratio hostium, qua maiestatis divinae terror illis quam maxime innotescit: v. 17 « *lingent pulverem sicut serpentes, velut reptilia terrae perturbabuntur in aedibus suis; Dominum Deum nostrum formidabunt et timebunt te* »; — uti columna ignis in exitu ex Aegypto benefica erat Israelitis, Aegyptiis vero horrorem et interitum intulit, ita gloriosa Dei manifestatio in liberatione messianica erit aliis in resurrectionem, in ruinam aliis; simul enim iudicium Dei cum illa coniungitur, iudicium scil. in contumaces ac refractarios (cf. 7, 13. Is. 66, 18. Mal. 3, 2-4. Matth. 3, 10. 12). Verum ipsis iudicii terroribus adhuc salus eis offertur, quia ad salutarem

Dei timorem multi adducentur: *formidabunt, timebunt te*[1]. Hostes prostrati *lingent pulverem* i. e. prono corpore reverebuntur et supplices terram deosculabuntur: « habitus est eorum qui se victos fatentur et a se verbera et plagas et gravem aliquam ignominiam deprecantur, aut certe humillimum aliis et abiectissimum deferunt et profitentur obsequium » (*Sanct.*; cf. Is. 49, 23. Ps. 71, 9); *trepidabunt e claustris suis* (hebr.) i. e. timidi ac trementes e cavernis suis prodibunt, extrahentur sicut coluber (*Sanct.*). Fortasse in *serpentis* comparatione simul latet, impetus *diabolicos* cerni in regni Dei impugnatione (cf. Gen. 3, 15. Is. 27, 1; 65, 25. Apoc. 12, 9; 20, 2).

Primario respici et praedici instaurationem messianicam, ex verborum et promissionum ambitu perspicuum est; elucet ex 5, 4 seq.; nam sicut ibi munus pastoris et Dominatoris in Israel adumbratur in gregis custodia et hostium prostratione exercendum, ita utrumque loco nostro proponitur. At quemadmodum 2, 12. 13 reditus e Babylone ita tangitur, ut illa liberatio non sit nisi prolusio quaedam et adumbratio maioris liberationis messianicae, aliis verbis, ut in schemate et forma reditus e Babylone maior instauratio messianica repraesentetur, ita nostro quoque loco tempora illa post reditum describi, multis placet (cf. *Ephr. Theod. Theoph. Sanct. Lap. Sa, Rib. Tir.*), immo aliqui in v. 17 tempora et victorias exprimi volunt Machabaeorum (cf. *Lap.*). Sed is est promissionum ambitus, ut non solum spiritualiter, ut vult *Ephr.*, sed sensu literali immediate Christi tempora referantur (cf. *Cyr. Rup. Haimo, Alb.*); idque ex sequenti quoque precatione et gratiarum actione elucet.

g) **Instauratio spiritualis describitur 7, 18-20.**

Tribus orationibus et populi scelera exagitavit propheta et praeclara promissa messianica explicuit. Iam quam mira rerum oppositio? Populus aucta serie offensiones Dei et scelera accumulat, Deus autem instaurationem salutis plenam promittere et insigniore modo illam proponere non desistit. Quare haec omnia animo complexus propheta in Dei admirationem et laudem prorumpit et cum tanta sit populi perversitas eaque per longa tempora incrementis aucta, non divinam maiestatem, non potentiam, non omniscientiam, verum clementiam et inexhaustam condonandi miserationem laudibus extollit. Nexum bene adstruit *Theoph.*: « cum immensam Dei erga nos benignitatem propheta considerasset vidissetque ipsum tanta eos misericordia dignatum, qui nefaria scelera, venia prorsus indigna patrarant, ingenti cum admiratione clamat »: v. 18 « *Quis*

---

1. Alii duplicem terrorem ibi cernunt, Dei scil. et populi electi, a quo miro Dei favore cumulato sacro quodam horrore paveant (*Rib. Sa, Lap.*); cf. Deut. 2, 25. Ios. 2, 9. Esth. 8, 17. Sed cum statim v. 18 sermo fiat ad Deum, prior explicatio magis obvia est.

Deus similis tui, qui aufers iniquitatem et transis peccatum reliquiarum hereditatis tuae? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est » ; — *transis*, vel ut *S. Hier.* in comm. habet, transscendis i. e. condonas parcens peccatoribus. Locutio, ut idem advertit, alludit ad rem in Aegypto gestam : « ut quomodo exterminator in Aegypto transscendit populum Israel et non vastavit eum, sic tu parcas nequaquam illis imputans iniquitates suas ». Reliquiae convertentur, reliquiae, inquam, Iacob ad Deum fortem ; Is. 10, 21 ; cf. Mich. 2, 12 ; 4, 6.

Bona messianica praedicaturus propheta primo loco effert peccatorum ablationem et condonationem ; idque repetitis vicibus ; Deum enim ait *non retenturum in aeternum* [1] *iram suam* (hebr.), qua nunc iuste in populum exardescit et qua veterem theocratiam dissolvere statuit. Iram ergo deponit et deposuisse ostendit eo, quod auferat iniquitatem et veniam peccatorum concedat. Hisce instaurationem bonis spiritualibus contineri innuitur. Non retinet Deus iram, quia in miseratione et amore (חֶסֶד) sibi beneplacet, haec volenti animo et libenti complectitur, in hisce largiendis delectatur. Praeclaram divinae bonitatis speciem ! « diligis enim omnia quae sunt et nihil odisti eorum quae fecisti » (Sap. 11, 25 — *Alb.*) ; vel, ut Ecclesia orat : Deus cui proprium est misereri semper et parcere...

Peccatorum veniam et ablationem ulterius praedicat v. 19 « *revertetur et miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras et proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra* » ; — i. e. iterum miserebitur nostri ; nam, ut bene notat *Sanct.* : « *revertor* et similia iterationem significant et per adverbium explicantur plerumque ; Iob 7, 7 » ; *deponet*, hebr. *conculcabit*, pedibus conteret (cf. *Rib. Lap. Mar. Men.*), i. e. delebit, in nihilum rediget *iniquitates nostras*. Et quo efficacius etiam et clarius plena peccatorum ablatio exprimatur, additur et *proiiciet*... i. e. ut *Ros.* interpres protestans exponit : « aeterna oblivione delebis memoriam peccatorum nostrorum ; nam quae mari immersa sunt, eorum non est amplius apud nos memoria. Quae funditus deleta quis cupit et quorum etiam vestigia aut memoriam remanere nolit, ea *in mare proiici* dicuntur et Graecis et Latinis » (et profert exempla ex Horatio, Tibullo, Cicerone, Luciano). In profundo maris ergo peccata latebunt, nunquam emergent,

1. Ita hebr. et *Syrus, Chald.* — *Theod.* εἰς τέλος ; *Sym.* ἀεί (cf. cod. syr. hexapl.). Adnotat *S. Hier.* : « pro *ultra* Symmachus transtulit *in sempiternum*, Theodotio *in finem* ; LXX et quinta editio *in testimonium* : pro quo positum est in hebr. *laed* (לָעַד) et tam *ultra*, quam *sempiternum* et *testimonium* intelligi potest » ; cf. עַד et עֵד. Graeci interpretes εἰς μαρτύριον, εἰς μαρτυρίας (*Cyr.*) interpretantur εἰς τέλος ἢ μέχρι παντός (*Cyr.* sim. *Theod. Theoph.*).

nunquam apparebunt i. e. aeterna oblivione sepulta sunt (cf. *Rib. Sanct.*); « quemadmodum enim quod in profundum maris coniicitur, nostros omnino fugit oculos, ita et iniquitates perpetuae Deus oblivioni dabit » (*Theoph.*). Uti in liberatione prima hostes persequentes proiecit in mare, ne in captivitatem et servitutem redigerentur Israelitae, ita in altera spirituali peccata mari operit (eaque baptismo abluit), ut spirituali carentes servitute filiorum dignitatem prae se ferant (cf. *Rup. Lap.*). Deleri peccata et ita apud Deum oblivioni tradi, disce quoque ex Is. 43, 25 (*Theod. Theoph.*).

Cur autem Deus instaurationem adducturus sit peccatorum venia concessa, causam vates affert promissionem olim iam patribus datam (cf. *Theod. M.*), eamque ut Deus opere uberrime impleat, propheta efflagitat; eas autem promissiones bona messianica spectare, ex hoc contextu perspicuum est. Postquam enim propheta tot ac tanta de instauratione futura vaticinatus est, iam quasi ad primam originem et fontem totius exspectationis ascendit et ut certissimum spei illius praeclarae pignus et testimonium affert v. 20 « *dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham, quae iurasti patribus nostris a diebus antiquis* »; — i. e. generatim promissa patribus data opere exsequeris. Haec autem dicuntur *veritas* et *misericordia*, istae enim sunt « universae viae Domini » (Ps. 24, 10. *Rup.*), vel *veritas* et *gratia*, quibus novi foederis indoles egregie exprimitur, « lex per Moysen data est, gratia et veritas per Christum facta est » (Ioan. 1, 17). Multi sunt, qui *veritatem* explicent *fidelitatem* in promissis servandis, Deum fidem servaturum (cf. *Alb. Rib. Sanct. Lap. Mar. Men. Tir. Reinke*), sed אֱמֶת hoc loco optime retinetur in significatione *veritatis*, et *veritas Dei* אֱמֶת saepe est in psalmis *vera doctrina* (cf. Ps. 25, 5; 26, 3; 86, 11 hebr. Dan. 9, 13). Hunc sensum etiam LXX ἀλήθειαν vertentes exprimunt. Unde maior manifestatio Dei et amplior revelatio et magis intima cognitio Dei pro novo foedere efflagitatur, quae simul cum uberiore gratia et miseratione tribuenda sit iis, qui secundum Dei foedus ex nomine Iacob et Abraham censentur (cf. 4, 2 ad domum Dei Iacob). Haec autem dona certissime speranda esse, ex Dei iuramento constat, « ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus » (Hebr. 6, 18). Promissa in ultimo culmine messianica, quae iureiurando a Deo corroborantur, vide Gen. 22, 16 seq. Deut. 7, 12. Ita propheta ex regni messianici eiusque bonorum contemplatione et explicatione redit ad fundamenta rerumque initia et fausti ominis primordia, quae Deus sui consilii conscius iam priscis temporibus posuit, *quae iurasti patribus nostris*, ut unum Dei consilium quod omnia tempora complectatur innotescat nobis, quo maiore cum religione et admiratione sublimem Dei providentiam supplices veneremur.

Quaerunt interpretes, cur veritatem Iacobo dandam esse vates dicat et gratiam Abrahamo. Aliqui respondent : Abrahamo primo factam esse promissionem, et ita eam ex *sola misericordia* ortam esse ; sed vi promissionis iam Iacobo factam esse ex *fidelitate* ; alii : in Abraham intelligi universum populum fidelem, in Iacob vero tantum iudaicum ; unde illi ex mera gratia, huic simul ex fide promissionum donum insigne esse conferendum (cf. Rom. 15, 8. 9) ; vel : fideliter Deum adimpleturum in Iacob i. e. in posteris Iacob, quae misericorditer primitus Abraham patriarchae promiserit (cf. *Rup. Rib. Lap. Sanct.*). Sed cum textus habeat : *dabis Iacob* . . ea explicatio praeferri debet, qua ostendatur, quomodo illa *dentur*, tribuantur Iacobo et Abrahamo. Id eo modo intelligi potest, ut dum posteris eorum dantur, simul patribus dari censeantur, qui vel in posteris vivere creduntur, vel saltem posterorum fata magno semper studio prosequi. Et cum ipsi patriarchae demum post Christi mortem plene participes redditi sint et *veritatis et gratiae* i. e. bonorum messianicorum in visione beata, optime dicitur a propheta : *dabis Iacob veritatem.* Simile quid innuit *S. Paulus* de patribus loquens : « et hi omnes non acceperunt repromissionem Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur (Hebr. 11, 39. 40). . . iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes » (l. c. v. 13) ; quas demum pretio redemptionis soluto perceperunt. — Cur autem patri Abraham *gratia, veritas* Iacobo tribuatur, censeo cum *Sanct.* in his examinandis diu haerendum non esse. Ex lege enim parallelismi, quam saepe cernimus observatam, ea quae intime inter se cohaerent et unum quoddam efficiunt, in duo membra distribuuntur. Exempla habes multis in psalmis ; cf. Ps. 77, 5 : « et suscitavit testimonium in Iacob et legem posuit in Israel » ; cf. v. 10. 11. 13. 15. 16. 20. 23. 24. 27. 43; Ps. 79, 2. 14. 18 ; Ps. 82, 15 ; 88, 3. 22 ; 113, 1 : « in exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro — facta est Iuda sanctificatio eius, Israel potestas eius » et praecipue Ps. 104, 6 : « semen Abraham servi eius ; filii Iacob electi eius » ; Is. 41, 8 : « Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei » ; 63, 16 : « Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos » etc. Quare nostri loci sensus est : dabis veritatem et gratiam patribus nostris nobisque eorum filiis, sicuti iureiurando spopondisti ; neque in bipartita illa distributione argutiae sunt quaerendae.

A. M. D. G.

INDEX

OSEE

IOEL

AMOS

ABDIAS

IONAS

MICHAEAS

CORRIGENDA

Pag. **1** ultima linea lege : in das A. T. § 229. — **14**, 30 dele Dagesch in קּ. — **22** not. 1 lin. 1 scribe דָּבָר. — **64** not. 2 lin. 1 scribe וֹ pro וֹ. — not. 3 ult. lin. l. συντριβήσεται. — **119**, 10 l. *in domum D.* — **146**, 36 l. ὅπλον. — **162**, 12 l. Γαλαάδ. — **256** lege inscriptionem paginae : Am. 1, 3. — **300**, 32 scribe מִזְרָק. — **340**, 27 l. regiones. — **347** not. 1 lin. 3 l. praebent. — **402**, 33 l. percussio. — **406**, 4 l. אֵצֶל. — **410**, 1 l. לְאֵל. — **429**, 1 l. הַיָּמִים. — **466**, 4 l. desiderio. — Praeterea aliquoties una intercidit litera, quam doctus lector facillime supplebit ; item in punctatione hebr. saepius unum alterumve signum vel intercidit vel perperam expressum est ; sic v. g. **151**, ultima lin. excidit *patach*, scribe רַךְ, ita scil. Iud. 19, 11 (quod ibidem scribe pro 19, 21) legitur, id quod ad notam intelligendam necessarium es. —

Imprimerie Saint-Médard. — Soissons